NAZIONALE BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
14
34 D
5

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Pri Tarquinio Galluzio
Preceptori

Alunno della sancta d

VITA
ROBERTI
BELLARMINI
POLITIANI
E SOCIETATE IESV
MARCELLI II. PONT. MAX.
SORORIS FILII
S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS
ARCHIEPISCOPI CAPVÆ
FIDEI PROPVGNATORIS
VRBANO VIII.
PONTIFICI MAXIMO
DICATA

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Italicè primùm ſcripta
A IACOBO FVLIGATTO
Latinè reddita, & aucta
A SILVESTRO PETRA SANCTA
Sacerdotibus eiuſdem Societatis.

LEODII, Typis Ioannis Ouvverx,
& Leonardi Streel. CIƆ. IƆC. XXVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Coll: Rom


VITA
ROBERTI CARDINALIS
BELLARMINI
E Societate IESV,
Italicè ſcripta
A IACOBO FVLIGATTO:
Latinè reddita
A SILVESTRO PETRA SANCTA,
Sacerdotibus eiusdem
Societatis.

TIBI
BEATISSIME PATER
VRBANE VIII.
PONT. MAX.
BELLARMINVM

RVRSVS
POSTERITATI NARRATVM
EX VETERI FORMVLA
HOC EST
Breuiùs, & reuerentiùs
quàm poſſit Epiſtola
DEDICO
Prouolutus demiſſiſſimè
AD PEDVM TVORVM
OSCVLA
SILVESTER PETRA SANCTA
E
SOCIETATE
IESV.

LECTORI.

ERAM *Coloniæ Agrippinæ Ciuitate affine mea, & conſanguinea Romanis omnibus; neque ita pridem traduxerat illò me ſecum ex Italia* PETRVS ALOYSIVS CARAFA VRBANI VIII. *Pont. Max. Legatus, & vir, qui à familia, ab ingenio, à morum nobilitate Princeps, ſic ea temperat, vt cũctis humanitatẽ præbeat loco authoritatis: Cum litteræ perferuntur* MVTII VITELLESCI *Noſtræ Societ. Generalis Præpoſiti monẽtis, horaria vt ſpatia, occupato de die, quæ mihi ſupererant, vitæ* ROBERTI BELLARMINI *italicè ſcriptæ darem, quò latinè eam redderem. Monita hæc, vti me acriùs vrgent, quàm aperta imperia, ſtatim animum induxere, ne imperium detrectarem. Acceſſere literæ etiam Iacobi Fuligatti, Hiſtoriæ huius Auctoris, rogantis; tum vt verterem, quæ edidit ipſe; tum vt adderem, ſi quæ addenda ſcirem; & huic ſocio, atque amico eſſe obſequens debuĩ. Tamen in ingreſſu nouæ, & mihi antehac ignotæ viæ, ſenſi equidem Hiſtoriæ rigorem, orſus digredi nudo pede per ſpatia nudæ veritatis, detracta oratoria veſte, omni ſepoſita conſuetudine, vel ſocci, vel cothurni, qui meum ante-*

 hac

hàc cœpere pedem; ſiue cum eloquenter dicerem; ſiue cum poeticè luderem, & in vtroque promerem tentamenta potius quædam ingenij, vel genij ſaltem, quàm artis certa experimenta. Sed in aditu ipſo narrationis, quò ad res narrandas ſecurus, vidi veſtigium eius, qui me ducet; ergo greſſu alacri, veluti peregrinabundus, & ad cetera incogitans cœpi ſtatim præeuntem ſequi; ſic verò ille verbis præit.

Hiſtoria ROBERTI BELLARMINI *Cardinalis, quem & præſens ætas, & poſteritas omnis mirari debet, requirebat illa quidem, è numero ſcriptorum æui ſui præſtantem aliquem, ex cuius ore viueret ornatiùs, exprimente ſono illo, qui optimus eſſet, famamq; & figuram animi dignam conſcientia generis humani. Sed quia operis perfectio elaborati diem exigit laxiorem, intereà temporis ego (cum ita decernerent, qui apud me volunt & iubent) aggreſſus ſum coagmenta hæc narrationum edere, tametſi ea rudi opera committerem; tum quod intelligerem, locum me non præcipere ijs, qui ſcribere vellent Hiſtoriam, ſed præbere paratam vnde ſumerent; tum vero, vt hac celeritate ſcriptionis aliorum accenſa ſtudia, tanquam flammam alerem ſubditâ materiâ, & motibus excitarem; ea ſpe videlicet, vt qui erga tanti viri ſanctimoniam incaleſcunt, ijdem in virtutis lucem aliquam inclareſcant. Et mihi quidem exterſit omnem curam, & metum cogitatio, quod* BELLARMINI *res geſtæ, plenæ Chriſtiana prudentia, & cuiuſdam conuenientiſſimæ ſimplicitatis, in candore apertæ dictionis, & cui ars fucum additura non timetur, haud poſſint à ſimplicitate*

hac

hac iacturam pati, venerationis illius, quam vtique merentur. Quin imo in hunc modum quiuis compertum habebit, minimè fuiſſe conſilium texere panegyricam laudationem; & citrà fidem Hiſtoriæ nihil adferri; quam notam veri, quo pacto aſſequi potuerim, indicabo.

Primò neminem puto adeo hebetem eſſe, qui non æſtimet, quam minimè decens, imo verò temerarium foret, figmentis exſcribere virum tam inſpecti coloris, & qui ferè perpetuus Romæ, hoc eſt in Ciuitate vixit, in qua mūdi pars qualiſcumque oculos habet. Dum ſuperſunt innumeri cuiuſuis conditionis, ordinis & principatus, qui eius conſuetudine interiori vſi ſunt, profectò nulla mendacio ſecuritas; ſed contra aut pudor eſſet, aut metus. Ab his ore tenus, & per ſingrapham etiam, quæ de BELLARMINO *ipſi cognouerant, accepi. Multum prætere conduxit, in epiſtolarum ſecreto reconditorio inuentus earū numerus; & ex his pars magna autographo eius, quæ pòſt ab amanuenſi deſcriberetur. Verum ante omnia iuuit narratiuncula breuior, quam de rebus à ſe geſtis compoſuit, non quidem ſua ſponte, ſed de conſilio, & tantùm non auctoritate alterius.*

MVTIVS VITELLESCVS, *qui nunc Societati præeſt vniuerſæ cum poteſtate ſumma, ex veteri familiaritate, quodam die ad Cardinalem* BELLARMINVM *cum veniſſet meditatus, & ſignificaſſet habere ſe, quod ab eo amicè peteret, & ferè muneris loco, annuente Cardinali, vellem, inquit, vitæ ſummam tuæ ab infantia, & per ætatis reliquos gradus deinceps ſcripto complecteretis. Cardinalis abnue-*

re ſtatim, oſtenderetq́; menti optimæ repugnans eſſe, linguâ, & calamo ire in laudes proprias, & res geſtas ab ijs non bene deprædicari, à quibus geruntur. Mvtivs *contrà, exiſtimas, inquit, poſſe te in Hiſtoria noſtræ Societatis præteriri, dum alij tot, haud perinde celebres, in ea ſunt tam præclaro, & illuſtri loco? Iam (neque hoc inficias ibis) quantum, & opinionibus, & literarum monumentis variarent res à te geſtæ, ſi deberent per coniecturas ab alijs indagari? quàm ſæpe deprehenderetur Hiſtorici nutare fides? At ſi tu ea ſcripſeris, qui tuos mores perquàm meditatè tenes, facilè intelligitur, vbi loci ſit futura veritas. Neque prõptum conſilium aliud eſt, quam (in ſubſidium veri, niſi ſcribere ipſe malis) vt ego, vel quiuis alius ſubſequamur verba dicentis; & excipiamus, quæ ad hanc diem tibi in exacto vitæ curſu contigerunt. Circà res demum, ad quas oporteret ſingillatim animum aduerteres, ducet interrogabitque per omnia, hic ordo materiæ, quem attuli diſpoſitum à Scriptore hiſtoriarum noſtrarum.* Cardinalis Bellarminvs, *ad hæc (vt erat miti vir ingenio, tractabiliq́;) quoniam quæ obijceret, vix iam haberet, conditionem non tam probauit, quam accepit. Itaque incitatus ad hoc etiam ab Andrea Eudæmonioanne familiari ſuo, ſtatim quieſcere cætera, & hoc tantum inſiſtere, breuiq́; Commentarium de vita ſua ab extrema pueritia, & per ceterã inſequentem ætatẽ ſummatim compoſitũ abſoluit. Quò tamen intelligi poſſet, minime inductũ fiduciâ morum, aut arrogantiâ, vt ſua denarraret, haud præfixit narrationi nomen, ſed à littera, N. ſolita-*

riè

riè, nulliq́ conſonâ ſic incepit. N. natus eſt anno Domini M. D. XLII. *Deinde ad finem addit*; Hæc ſcripſit, N. rogatus ab amico, & fratre, anno M. DC. XIII. menſe Iunio. De virtutibus ſuis nihil dixit, quia neſcit, an vllam verè habeat. De vitijs tacuit, quia non ſunt digna, quæ ſcribantur, & vtinam de libro Dei deleta inueniantur in die Iudicij Amen. Oret pro me.

Poſtremò habui Commentarios publicos tres, formatos ad Tribunalia, Vrbis Romæ, Capuæ, & Politiani, atq́ in eis teſtes ampliùs octoginta, qui Sacramẽto affirmant multa, & præcipua de vita ipſius. Quarè non ego incertis iactata ſermonibus, aut leuius credita de eo adferam: ſed comperta, & explorata, & pleraque ſubiecta oculis eorum, qui eadem illa teſtificantur.

Hæc libuit præmittere, antequam facerem initium vitæ Cardinalis BELLARMINI. *Quæ ſi te, Lector, ad virtutem recreauerit, hoc velim, hoc precor, vt laudes referas Deo, cuius beneficio fulſit inter Eccleſiæ lumina vir, qui; ſi doctrinam ſpectes, aut æquauit ſapientiſſimorum famam, aut exceſſit; ſi ſpectes ſanctimoniam, homo fuit, quantùm erat, qui viuerent hominum ſanctiſſimus: ſed &, ſi quæ peccabit hiſtoria, condones. Certè cum operis conſilium dederit dumtaxat ſtudium publicæ vtilitatis, & ne præſenti incuriâ contingat extingui ſequentis æui memoriam, liber profeſſione hac erit; aut commendandus; aut excuſandus: æſtimandus verò ſaltem ex materiæ nobilitate, quam narrat; quoniam eſt de vita viri ferè tantùm eminentis, quantùm eminere virtus poteſt.*

INDEX CAPITVM
LIBRI PRIMI.

DE Patria, & Parentibus eius. Cap. I.
Natiuitas eius, & innocens infantia. Cap. II.
Docilitas eius, & ſtudia, tum in litteris, tum in pietate. Cap. III.
Aſpirat ad Societatem Ieſu, & in eam admittitur poſt edita, annum integrum, conſtantiæ varia experimenta. Cap. IV.

INDEX CAPITVM
LIBRI II.

Res eius geſtæ in religioſo Tyrocinio, & Philoſophiæ ſtudia. Cap. I.
Humaniora, & Rhetoricam docet Florentiæ, & in Monte Regali: Theologiam audit Patauij. Cap. II.
Mittitur Louaniũ latinè concionaturus ad Belgas: Theologiam ibidem docet. Cap. III.
Virtutis opinio, qua in Belgio vixit, ac eius in Italiam reditus. Cap. IV.
Controuerſias fidei Romæ, vniuerſali cum plauſu explicat. Cap. V.
Iuſſus à Maioribus ſuis, & à Prouincijs Septentrionis rogatus, Controuerſias imprimit. Cap. VI.
Criminationes, & calumniæ, quas diuerſis temporibus, occaſione Controuerſiarum, & librorum eius generis paſſus eſt. Cap. VII.
Virtutes eius, & conſuetudo familiaris. Cap. VIII.

Pro-

Profectio eius in Gallias, iuſſu Xixti V. Pont. Max. vnà cum Cardinali Henrico Caietano Legato; ac de his, quę tum egit pro Eccleſiæ bono. Cap. IX.
Præeſt in Societate Ieſu Romano Collegio, & Neapolitanæ Prouinciæ. Cap. X.
Romam reuocatur, futurus Clementis VIII. Pontificis Theologus, cum quo Ferrariam proficiſcitur. Cap. XI.

INDEX CAPITVM
LIBRI III.

Cogitur à Clemente VIII. Pont. purpuram induere. Cap. I.
Quis ei ſenſus, & conſilia, cum purpuram adeptus eſt. Cap. II.
Retinet vitæ modum, quo vixerat pridem, quantum patitur purpuræ conditio. Cap. III.
Qua ratione diſpoſuerit domum, & familiam ordinauerit. Cap. IV.
Quæ conſilia Clementi VIII. Pont. dederit. Cap. V.

INDEX CAPITVM
LIBRI IV.

Archiepiſcopus Capuæ renunciatur, cum inſigni totius Prouinciæ vtilitate. Cap. I.
De Viſitationibus, Sinodis, Aedificijs, & Cœnobiorum repurgatione. Cap. II.
De alijs Epiſcopalibus functionibus, eleemoſinis, & exemplis eius reliquæ Caritatis. Cap. III.
Qualis in eo fuerit amor Iuſtitiæ, & tutela Iuriſdictionis. Cap. IV.

Ro-

Romam proficiſcitur Sede vacante, ab exceſſu Clementis VIII. Pontificis. Cap. v.
Aliquot pia eius conſilia, circà optimum regimen Pontificatus. Cap. vi.
Qualem ſe in Comitijs exhibuerit, in quibus electi Summi Pontifices, Leo XI. Paulus V. & Gregorius XV. Cap. vii.
Abdicat ſe Capuæ Archiepiſcopatu, vt obediat Pontifici, eique Romæ ſeruiat. Cap. viii.

INDEX CAPITVM

LIBRI V.

Eccleſiam Politianam, dum proprius illius Epiſcopus abeſt, annos aliquot gubernat. Cap. i.
De patrocinio; tum Ordinis Cæleſtinorum; tum piarum aliquot familiarum. Cap. ii.
Obſequium eius, & obedientia erga Summos Pontifices, & Conſiliorum libertas. Cap. iii.
Quam prudenter, vnà cum Odoardo Cardinali Farneſio, controuerſias conciliauerit, inter Lucenſem Rempublicam, & illius Antiſtitem. Cap. iv.
De conſuetudine illius domeſtica, & priuatis occupationibus. Cap. v.

INDEX CAPITVM

LIBRI VI.

De virginitate eius, & Cæleſtis puritatis dono. Cap. i.
Eius erga B. Aloyſium Gonzagam virginem, & æquè innocentem ſtudia. Cap. ii.
De orationis pio exercitio, & ſtudio erga res animæ. Cap. iii.
Perfecta eius humilitas. Cap. iv.

Quàm fuerit alienus ab omni cupiditate, & affectu rerum terrenarum. Cap. v.
Quàm illuſtri cùm opinione virtutis, & ſanctitatis vixerit. Cap. vi.
Aliqua partim abdita, & longè à conſpectu remota aperit; partim mox, aut multo poſt futura, prædicit. Cap. vii.

INDEX CAPITVM LIBRI VII.

Apparatus eius ad mortem, & ſtudium abſolutiſſimæ perfectionis. Cap. i.
Seceſſus ab Aula, & vltima eius ægritudo. Cap. ii.
Mors eius. Cap. iii.
Honor, & frequentia ad exequias, & ad ſepulturam eius. Cap. iv.
Teſtamentum Cardinalis Bellarmini.

ROBERTVS
CARDINALIS
BELLARMINVS
E
SOCIETATE
IESV.

ANAGRAMMA.

LVTERI
ERRORES
AC ASTVTIAS
CALVINI
OMNES DELEBIS.



VITÆ ROBERTI CARD. BELLARMINI E SOCIETATE IESV

LIBER PRIMVS.

De Patria, & Parentibus eius.

CAPVT I.

HONOREM nominis, quem ambitione plurimi, morum commendatione pauci petunt, tam eſt adeptus feliciter ROBERTVS BELLARMINVS, homo virtuti ſimillimus, etiam dum humanam opinionem, quaſi nihil perindè, fugit; vt ſicut interire non poterit eius immortale nomen, in ſcriptis ijs, quorum reliquit ingentia poſt ſe volumina: ita ſint pari æuo manſuræ perpetuæ virtutes eius, atque res geſtæ, in recordatione ſtabili poſterorum. Iam, quia latè profuſus odor vitæ eius inno-

centis iuxtà, ac plenæ virtutum per omnia genera, Orbem vniuerſum ad ſe conuertit: vt optauerint proinde non ita pauci, cognoſcere clariùs, quæ Bellarmino fuerit conſuetudo morum, dum interfuit rebus humanis. Conueniens viſum eſt, eius vitam literis tradi, quæ cum ſint vna cuſtodia fidelis memoriæ rerum geſtarum, efficient, vt qui haud dubiè æternitate temporum, & gloriæ fruitur in Cælis, non fraudetur in terris laude, & famâ rerum; & vt multis hoc pacto ſtimuli ſubdantur ad imitationem exemplaris excogitatiſſimi.

Patria Roberti Bellarmini fuit Politianum, Vrbs amœna ſitu:, & clementiſſimi Cęli; numero verò Nobilium familiarũ, quę illic incolunt, ex illuſtribus Etruriæ Ciuitatibus. Hæc tametſi tot capita laudum habere poſſit, quot capita Ciuium excelſiſſimorum, anteactis ſeculis ex ea floruerunt: gloriari præſertim poteſt, habuiſſe ſe in hac poſtrema ætate Cardinales quatuor, & vnum Pontificem Maximum, ſi menſuram æſtimes recte factorum, plane Heroes omnes, & omnes vtilitati publicæ natos.

Inter hos fuit Ioannes Riccius Cardinalis Montis Politiani. Is primùm ſedente PAVLO III, in Alexandri Farneſij Cardinalis Aulâ, hoc eſt in litterarum, & virtutum hoſpitio, deprehenſus vir conſilij magni, neque vllo vitio, ſed contrà virtutibus ſummis; ab eodem Pontifice in communibus negotijs ad Principes

varios legatus miſſus eſt, & ſemper eximia cum laude. Ex quo demum authoritate, conſtantiâ, famâ clarus, ab IVLIO III. Pontifice inter Purpuratos adlectus, & ſummis honoribus egregiè vſus, non modò eximium conſilij, animique ſpecimen, & neutiquam vulgatæ laudis viuens dedit; ſed excedens è viuis Vrbi grande deſiderium ſui reliquit, tranſmiſitque per obitum ad nos documentum magnum; videlicet rem nullam magis debere cordi eſſe, inter Aulæ negotia, & ſeculi curas, quam obſequium circa Religiones, ac Deum.

Idem quoque Summus Pontifex IVLIVS ex hac Patria euocauit ad purpuram Robertum de Nobilibus ſororis ſuæ filium, cum eſſet natus annos non amplius tredecim. Is animo etiam, quàm cognomento, & gente nobilior multo modeſtia poſt purpuram, quàm purpurâ ipsâ venerabiliorem ſe reddidit; ex quo bona naturæ omnia, vitia fortunæ, vel ætatis nulla; ſummam verò virtutem præ ſe ferens, admirationi adeo fuit, vt eum Diuis ſimillimum iuuenem cuncti iudicarent, accedente conſenſu Orbis terrarum ad vocem illam Reginaldi Poli Cardinalis, qua ipſum, Nobile ſacri Senatus decus, ſupremiq; Ordinis ſpeculum illuſtre, nominauit. Et ego quidem puto, perrarò humanos oculos vidiſſe in ea ætate virtutis ita præcoces fructus; non modò, quia ipſius, tametſi iuuenis, virtus nullius ampliſſimi honoris faſtigium non æquabat; verum etiam, quia adeo inuicti cupiditatibus ani-

 mi,

mi,& rigidæ innocentiæ, contemptorq; honorum,& diuitiarum fuit, vt pertentauerit omnia, quò purpurâ ſe abdicaret, in Societatem IESV nomen daturus. Sed repente omnis ille vigor iuuentæ elanguit, cumque eſſet ætas annorum ſeptendecim, flos ipſe, adoleſcens in omnium virtutum exempla genitus, animam cæleſtem Cælo reddidit. Et ſi verò vix inchoato in ſpatio ereptus eſt, virtutis longum æuum expleuit *placita Deo anima illius*, ac per id, quod interuallo tam breui egit, quantus euaſurus eſſet, oſtendit.

Adſimili virtute, quanquam diſſimili ætate fuit Franciſcus Maria Taurusius, vnus inter illuſtres ſocios S. Philippi Nerei, & inter primos lapides fundati, atq; amplificati Cœtus venerabilis, quod Oratoriũ in Vrbe appellatur, & cuius piæ inſtitutionis Roma cum gaudio fructus hodieque percipit. Vir erat animi interritus,& in re gerenda miræ firmitatis, ſingulariſque prudentiæ. Quapropter cum eſſet claro apud omnes rumore, per virtutes inſignes, & vitam tanto inſtitutore dignam, CLEMENS VIII. ei primo Archiepiſcopatum Auenionenſem, deinde contulit & purpuram. In quo gradu verſatus diu fama integra, & optima: tandem homo antiquâ virtute, ac fide, iam grauior annis, decreuit abſcedere purpuræ muneribus: tametſi in corpore affecto vigeret vis animi, conſilijq; ac ſe retulit in Oratorium ad ſocios; vbi vitæ poſtremum actum, plaudente Româ, clauſit, cum perueniſſet ad annum ætatis tertium ſupra octogeſimum.

Sed ſuprà ceteros Politianũ illuſtrauit MARCELLVS CERVINVS, Põtifex ſanè maximus, & ſanctiſſimus, qui ſpem excitauerat fore, vt nutantem Chriſtianã Rempublicam humeris ſuis ſuſtineret, induceretque, & ſtabiliret illius delectam, atq; conſtitutam formam. Romę vero magna ſperabatur repurgatio: futurum enim erat, ſi eius vnius Præſidis nutu, quaſi anima, & mente regeretur, vt mores priſtini reuerterent, & egeſto quidquid turbidum, reſtitueretur vis legibus, religionibus veneratio, ſupremoque Senatui majeſtas: adeò ille ſapientia ſua, atq; ſolertia perturbatum ordinare Eccleſię corpus ad eam diem in ſacro Tridenti Concilio conatus fuerat; ſed grandia conſilia deducere deſtinatum ad finem nequiuit, repentino obitu ſublatus, cum ingenti luctu, non Vrbis modo, & circumiacentium Italiæ populorum; ſed externarum nationum etiam, quæ indoluere grauiter, atque vltrà morem lamentatę ſunt, ſeſe eo priuari, altero & vigeſimo die, quàm Pontifex delectus eſſet: tanta inſederat animis perſuaſio viri viſu, atque auditu iuxtà venerabilis. Nihilominus ſuper fundamenta exiſtimationis magnæ, quæ poſuit animus ille tam capax ſupremi regiminis, viuet, quãdiu fama, & æternitas erit, diceturque, vera eius cum laude, Pontificatum diutius tenuiſſe alios, neminem, ſi publicum luctum, atque opinionem ſpectes, glorioſius reliquiſſe.

Ex huius Sanctiſſimi Pontificis Sorore natus eſt

Ro-

Robertus Bellarminus ſanguine non degeneri; eique Cælum cum vellet cumulatè omnia ſua lumina elargiri, deeſſe non permiſit lucem ſtirpis; vt inde etiam micare poſſet inter illos, qui hanc ſcintillam iactant. Oſtendunt hoc veteres, & prænobiles familiæ, quas complexa eſt affinitate ſua Bellarmina Gens, paribus coniugijs, domi, foriſque; Ideoque Regi Britanniæ contemnenti humilitatem ſuam, tamquam genere obſcuro natus eſſet, reſcribere potuit, nec falsò, ſe Progenitores habuiſſe quidem Ciues priuatos, ſed honeſto loco, ſed probos; & preterea Auunculum MARCELLVM II. Pōtificem, à cuius laudibus ne inimici quidem temperarunt. Nam Theodorus Bibliander, fidei maculâ Lutheranus, in tabulis cronologicis, vbi ſeries Pontificum ordinat, ſic habet. *Sedit Anno* M.D.LV. MARCELLVS II. *vir ſanctus, & doctus.* Sed poſt Bellarminus addens, quàm pendat minimi titulum vacuæ nobilitatis, niſi virtus eam impleat, affirmat, ſe tametſi non ſtirpis antiquæ, ſed pudendis parentibus, atque auis eſſet, dummodo non deſideraret Religionem optimam, & pietatem in eis, paratum eſſe non verecundari ob genus. Nam S. Petrus piſcatorem egit Sanctus Paulus tabernaculorum opificem, & Deus ipſe filium fabri; qui & ſecreuit ſibi homines abiectiſſimorum natalium, vt confunderet Principes Mundi: verè enim dum nullum, faſtiditur genus, in quo eniteret virtus, gloria Eccleſiæ creuit.

Monet

Monet hic locus, vt etiam pauca de virtutibus dicam, quibus Roberti vterque parens excelluit; nam ſicut *gloria Patris eſt Filius ſapiens*, ita viciſſim ſępenumero Patrum virtus, domeſtica per exempla, ducitur ad filios, & cum lacte promiſcuè combibi ſolet.

Vincentius Bellarminus eius Pater fuit, qui ad ſeniũ vſque, vir exemplis recti nobilis inter Ciues habitus eſt, & cui ab ingenio per omnia ſtabili, ac veraci inerat ſtudium maius operis honeſti, quâm prolixi ſermonis. Ex quo conſulatu, ac cæteris honoribus perfunctus, ita ſemper pro cauſa Ciuitatis oſtendit ſe virum acrem, & inſpectæ virtutis, vt pro familia ſua id ageret perpetuò, quò eam ditaret virtutum, quàm opum largiore patrimonio. E parentibus eius, ſic quidem vir; ſed ne quis ſexus à laude ceſſaret, ecce & matris virtus. Hęc appellabatur Cynthia Ceruina MARCELLI II. Soror germana, & fœmina inprimis pia, quæ vt ex Bellarmino accepimus, Societatem IESV agnouit primùm à Paſchaſio Broet, viro Religioſo, & vno inter S. Ignatij primos nouem commilites. Is aliquando aduerſa tentatus valetudine, contulerat ſe, non procul inde, ad ſalubres aquas, & moratus obiter in Politano, cauſam pietatis intereà non demiſerat. Ergo dum inſiſteret pia colloquia ſerere, Cynthia inter alios, vt incenſa erat erga pietatem ac Deum, accedere, & colloqui cum eo ſæpius, ab eoque regi, quò in vitæ ſemita progrederetur. Atque hinc de eius viri laudibus referre multa, tan-

quàm de eo, qui calleret egregiè diſciplinam animæ; & tùm vehementer affici erga noſtrum ordinem cœpit. Hac de re habeo Epiſtolam eius, ad Alexandrum Ceruinum Fratrem, Prid. Idus Ianuar. AN. M. D. LVI. datam, in qua petebat, vt, quatenus eius cum venia poſſet, proficeſceretur ad Laureti locum inſignem, ob ſanctiſſimam Ædem Virginis Genitricis, & ſacrata omnia veſtigijs humana miſerantis Dei. Eius verò peregrinationis ſe eſſe ex voto ream, aiebat, & cupere ſe inſuper expiare animam, celeſtique epulo reficere apud Religioſos Clericos nouæ formæ, ac laudatiſſimæ (ſic enim appellat viros Societatis) qui Pœnitentibus ab aure Laureti ſunt. Dein, quod intelligeret ad iter ſumptus neceſſarios, & hos poſſe in familiæ damnum euadere, rem addidit, quæ indicio ſit eius
„moderationis; nam inquit, te ne animi angant cogi-
„tatæ expenſæ, & difficultates viç: noſti paruo conten-
„tam eſſe, & odiſſe pompas: ſatis habeo; ſi à voto alie-
„nus non fueris. Scripſit hæc vno anno antequam Societas in vrbe illa domicilium ſtatueret; nam deinceps in Templo noſtro ſacras exomologeſim, & ſynaxim, doctrinamque animæ, audiendis iuxtà rebus cæleſtibus, atque agendis apta, perpetuò frequentauit; & fructus magni argumento ſit eius in Deum vehemẽs caritas: nam oblita ferè, à natura ſe matrem eſſe, nihil magis optauit, quam vt quotquot pepererat mares, erant autem numero quinque, ij in noſtrum ordinem aggregarentur vniuerſi.

Modeſtiâ ſingulari fuit, & honorum temperans, atque pomparum: ſumptus ei pro opibus, & ornatus pro copiâ ſumma votorum erant. Item vt contineret ſe domi, & excepto quod in Templis, vt eſſet, aut nuſquàm, aut rarò alibi: familiæque inſiſtẽs educationi, filios perindè inſtitutos haberet. Idcircò non ſolummodo narrata de alijs, ſed ſpectata in ſe documẽta virtutum ſubijciebat oculis paruulorum, ſalubriaq; in loco addebat monita, quò ita timor Domini ſanctus altè in eorum animos deſcenderet, pièq; perpaucè faceret venerabundos. Docebat frequentare myſteria Religionis, ad normam vtique moris ſui; vt potè quæ ad ſacerdotis aures afferret aſſiduè præparatum animum: deinde ſacram ad menſam accederet; & manè ſtatim, cum diluculaſſet, ſenſus ad ſe omnes colligeret, ne extra animam irent, quò diuina tranquillè meditari, & Conditori ſuo dedicare poſſet primam lucem. His verò exercitationibus mentis adiungebat vocis obſequia, ſupplicationeſque, ſic diei ſpatia diſtribuens, vt à Deo principium ſemper, nec familiæ tamen procurationem negligeret: vſque adeò virilibus curis vitia fœminarum, nihil muliebre præter corpus retinens, exuerat. Ad hæc, quoniam didicerat illas preces optimas cenſeri, quibus comes ieiunium eſt; & delectari Deum erogationibus pijs; quàm erat ergà pauperes liberali commiſeratione, illis largè ſubueniendo; tanto erga ſeipſam durior, & ſeuerior fuit, cor-

pus macerando cibi abſtinentia inuſitata, corrumpendoq; ętatẽ crebris, & aſperrimis afflictationibus. Harum rerum teſtis Robertus, & Camilla Filia, quæ ſuperſtes adhuc, dum hæc narro, affirmat, interfuiſſe aliquando ſe, nec tamen conſultò in conclaui, quod erat vltimis in ædibus, cum introiret eò Genitrix, vbi minimè conſcia ibi latere quenquam, flagris ſe verberauit tam vehemens, vt attonitæ ſimilis Camilla hęreret, incerta animi indicaret ſe, quò Cynthia deſiſteret, an latebras protraheret, ne quoquomodo peccaret in Matrem tam piam. Iudicauit ex hoc, nec leui coniectura, ſolitam ſimilibus exemplis in ſe ſæuire, propterea quod ſępe, abſque alia cauſa, abderet ſe in id conclaue, quod erat ipſi pro ſolitudine, vbi remotis arbitris, operaretur pœnitentiæ ſacris. Sed res non alia magis promit virtutem animi, quàm fortuna varians, nunc aduerſis, nunc ſecundis, ſi ſuſcipitur moderatè: & præſertim in improſperis, aut ſubitâ ruinâ retinere vultum primum, res eſt ſuprà communem laudem. Multò ſe omnium fortunatiſſimam viderat, ac ſitam in ſumma orbitæ parte; quando per Nuncium omnia læta; & Cardinalem tituli Sanctæ Crucis, Germanum fratrem, Romæ inauguratum eſſe Pontificem audiuit. Contrà, qui eſt circulus præceps humanarum rerum, conuerſione facta, agnouit reuolutam ſe ad imum, cùm felicitas ea ſubitò, & ferè vix nata, conſenuit. Quia verò genus quoddam infortunij du-

duriſſimi eſt, infelicem euadere, poſtquàm ſe quis oblectauerit guſtu felicitatis; quàm ſtante, ac ne quidem, inter ea præcipitia, nutanti animo fortunam vtramque tolerauerit, & quàm æquabili vultu manſerit in hac imagine triſtium & lætorum, non ego meliùs exprimam, quàm verbis Epiſtolarum eius, quas ad Alexandrum fratrem, hâc geminâ occaſione miſit.

» Ad litteras nuncias creati Pontificis. Datæ mihi »abs te, inquit, litteræ, XI. Cal. Maij attulere conſola»tionem, & lætitiam illam, in quam officia ſororis me »inuitare debuerant; non modò; quia gaudium illud »accepi,quod eſt commune nobis,& exultanti vnà no»biſcum Orbi:verùm etiam quia tu vales proſperrimè; »pro qua ego re grates Deo adhuc maiores reddidi: »nec mihi ad vota reliqui eſt aliud,niſi vt præſentes vos »omnes videam. Officiorum ratio à me habenda,ſicut »& monita, quibus à te inſtruor, mihi percara fuerunt, »neq; quidquam ita impensè velim, atq; vt ea geram, »quæ tibi laudi ſint,& honorifica Summo Pontifici, ac »Deo. Noui de te ſimilia:& has cenſeo eſſe partes chri»ſtiani animi ſecunda metuentis, quibus modũ impo»nere, nec nimis credere ſerenitati præſentis fortunæ, »prudentis pectoris, & meritò felicis eſt. Quarè meo »intenta muneri,& honori, pro dignitate Summi Pon»tificis,ac tua hoc enitar,vt ęſtimem ego ipſa me,quan»tum ſatis eſt,quantũ opus eſt;eruntq; menſura decorũ

„meorum conſilium prudens, & ratio: ſicut tu ſcribis.
„Et verò, vt non niſi honeſta tentem, monent proles
„numeroſior, ac vitæ laſſitudo. Hæc habet initiò; pau-
„lò poſt addit. Quoniam Deus hoc beneficio me cu-
„mulauit, vt habuerim aditum ad Summi Pontificis
„gratiam, ac tuam, & vt poſſimus diuinæ Majeſtati, in
„ſtatu rerum auctiori, deſeruire, his ampliſſimis donis
„nè indigna ſim, dedi operam, & porrò datura ſum; cu-
„raboq; familiæ noſtræ ornamenta virtutum illarum,
„quæ per obitũ amitti non ſolent. Indicant hæc, quàm intus eſſet ei animus modeſtè ſitus, & idcircò audita eſt à virtute non diſcors, quando domus ſuæ obſcura ſenſit: donum in viris etiam inuentu rarum. Et fortaſſis, vt erat dilecta Deo, munere aliquo ſingulari pręmunita eſt, vt minùs eam feriret dolor, cum intelligeret, fratris repentino obitu, ſe, gentemque ſuam deiectam principatu, & factam fortunæ pariter, ac familiæ tantam inclinationem. Quo tam magno icta, ſimul publico, familiarique luctu, etſi mœrere etiam ipſa debuit, quia ſoror erat: ita ſui compos fuit, vt aliqua ſolatia inuenire Alexandri fratris ægro animo, quod difficillimum in luctu eſt, intereà potuerit, eique codicillos conſolatorios mittere, afflictum recenti caſu adhortans, vt accepto vulneri conſilio, & prudentiâ mederetur; vt Deo ita diſponenti ſubmitteret animos, ſeque ad eius voluntatem totum fingeret, formaretq;. Scripſit quippe, ſe venire ærumnarum ſociam, vti gaudiorum

diorum

diorum fuerat: malle vt fortuna, ſe quam virtus deſerat: nec familiæ ſuæ vltimum damnum eſſe, virtutis præmium amittere, modò ei exercere virtutem liceat. Deniq́ue inter ęrumnas, remedium ægrimoniæ optimum eſſe fiduciam in Deum, ſub cuius tutela nemo metuat orbitatem.

Mater igitur tam laudati moris, & principatu fratris adepta nihil, niſi luctum, & bonam famam, meritò ab ſuomet prudentiſſimo filio appellatur ſanctiſſima fæmina. Quæ cum attigiſſet ætatis annum, circiter, vndequinquageſimum, perq́ue moleſtias vitæ varias, & corporis afflictationes ſpõtè obitas, in morbũ aquæ intercutis incurriſſet; ex eo morbo decedens, in Cœlum, vti ſperandum eſt, migrauit, anno Sal. M.D. LXXVI. grandi vtiq́; exemplo, ne ſe in fœlicitate mulieres extrà virtutis cogitationem putent: cùm ferè faciliùs aduerſam, quàm ſecundam fortunam rexerit: ſed quod in rem noſtram eſt, fæmina ſanè felicis vteri, & magni Cardinalis Bellarmini fortunata parens, cuius educationi debemus acceptum referre primum illum florem innocentiæ, morumq́; lectiſſimorum, ex quo ætas noſtra fructus gloriæ tam vberes habuit.

Na-

Natiuitas eius, & Innocens infantia

CAPVT II.

HOC pacto è parentibus nobilitate claris, & chriſtiana pietate, Vincentio Bellarmino, ac Cynthia Ceruina: Pontifice PAVLO III. è gente Farneſia: Etruriæ Duce Coſmo è gente Mediceâ, anno Sal. M. D. XLII. 4. Non. Octobris, qui dies Eccleſiæ vniuerſæ lætiſſimus eſt, ob celebritatem S. Franciſci de Aſſiſio, viri Deo etiam per vulnera ſimillimi; in Politiano natus eſt Robertus Franciſcus Romulus Bellarminus (nam hoc triplex nomen è luſtrali fonte retulit) fratrum quidem natu tertius, ſed rerum maximarum deſtinatione primus. Et quamquam inter vſitatas appellationes, tantùm Roberti nomen adhæſit illi perpetuum, propterea quod fuerat à Roberto Puccio Florentino Cardinali è ſacro fonte ſuſceptus; tamen quamdiù vixit, ſub Seraphici Patriarchæ S. Franciſci tutelâ manſit, eiuſque virtutes referre nixus eſt exemplis omnibus. In ſinu optimorum parentum educatus puer minutulus, annos illuſtratæ mentis vix attigerat, cum edidit argumenta, quibus futura magnitudo eius, & eximia probitas ſperari, animaduertique poſſet. Nec erat, qui non iudicaret, inter Dei manus opifices mẽtium humanarum, ſortitum eum eſſe animam bonam, & in qua propè Adamus non peccaſſet,

quod

quod de S. Bonauentura olim dictum eſt. Religio-num erat, vel tum à pueris, quam voluptatum, & nugarum appetentior: nam puerilia quibus ętati moram faceret ſexennis, aut ſeptennis, fuere tantùm ea, quæ indicarent ipſius ad res Eccleſiaſticas procliuitatē. Quæ Sacerdotes pro aris, vel pro ſuggeſtu foris in Templo agerent, domi cuncta referebat; narrauitque ipſemet, ſe, nondum maturâ pueritiâ, deſumpto ſcamno ex aliquo fortè conclaui, eoque inuerſo ſępè vſum eſſe, tamquam ſuggeſtu. Ex eo exſtans pectore tenus cũ amiculo lineo, de acerbiſſimis Chriſti Domini cruciatibus, mœſtiſſimâque nece concionabũdus verba faciebat, & delectabatur intereà, ſuprà quam dici poteſt, pia Genitrix indole illa tam probâ, tantoque ſtudioſiùs Dei metum inijciendum rebatur in animam eius, ita vt ad cor vſque peruaderet; ne mens deerrare illecebrâ vllâ perpelleretur à ſemita recta mandatorum Dei.

Cura præcipua fuit, vitã pueri ſic inſtituere, vt non illã dedecoraret conſuetudo parium habita ſinè delectu: itaque eos, qui teñeris annis infundunt ementiti nominis libertatem, atque licentiam, & qui ſunt certa pernicies indolis honeſtæ, ipſi omnibus modis ignorandos voluit. Quâ in parte obſequens Matri Robertus, ſolitus erat ſeria, & iocos celebrare cum fratribus dũtaxat natu maioribus, & cum aliquot patritijs pueris, in quibus, quoad ętas ferret, inchoatio ſapientię cerneretur, & culpæ metus. Fuit præterea in dictis, vel

 ab

ab infantiâ tam verax, vt non meminerit ſibi excidiſſe mendacium, aut excuſationibus,& ineptijs vnquam ſe veritati latebras obtendiſſe.

Puerilibus leuiuſculis moribus ſic abſtinuit, vt Camilla ſoror, viſum ab ſe Robertum neget nouennem, aut decennem luſitare, & excurrere temerè, quod fit inter eius ætatis pueros. Contrà in re potiùs omni ſuſpici,& commendari ſolitum à ſapientiâ; adeò vt, excepto quod annorum experimenta deerant; cætera prudens, aut eſſet, aut videretur, eratq; propterea, quàquà incederet cunctis venerationi. Conſtant hęc famâ publicâ in Politiano etiam nunc, & iuramẽto confirmantur ab his, qui ipſum norunt, hodieq́ue viuunt.

Vincentius Paciuchellius in Templo maximo ibidem Canonicus, annorum trium, & octoginta, affirmat, cùm Robertus ad canendi ludum accederet, tùm ſilere, & adigi ſolitos ad modeſtiam condiſcipulos omnes, qui ſcirent eum triſtari animo, ſi obgarrire, vel adſtrepere quemquam inaudiret; quia mallet, in ea, quę docerẽtur, ſingulos meditari,&exerceri: quemadmodum de Bernardino Senenſi perhibent, cùm rumor ferret, ipſum adeſſe, iuuenes quoque vitæ fluxioris honeſtiora loquutos, licentiam poſuiſſe. Signo dein Crucis ſe palàm communiens, muſicos libellos accipiebat, exploraturus, an fortè ineſſent voces impuræ, quales aliqui, contrà virtutis harmoniam intereà canunt, artemq́ue pulcherrimam indigniſſimè deprauant.

uant. Ergò Sirenas has improbas deuitaturus, flagitantibus vocem, negabat ſe, quæ forent huiuſmodi, cantaturum; quia honeſtati vitam cum voce pariter conſecrarat.

Sed, quod excedit ferè omnem fidem, morum ea grauitas, quæ exprimebat venerationem quandam,& metum, condiebatur conſuetudine agendi tàm dulci, tàm leni, vt inuiſus nemini, ad colloquia inuitaretur à plurimis,amaretur ab omnibus. Vultus ei plenus hilaritatis; ſed in quam laxabatur veriùs, quàm ſoluebatur,innocenter lepidus & ijs facetijs vti ſolitus, quæ placerent maximè, neminemque læderent: atque has lineas amabilitatis expoliuit ad ſenium vſque. Micantem toto ex ore lætitiam obnubere; riſum in cachinnos effundere; ſupprimere, vel in oculis lenitatem, vel in vultu virgineum ruborem, illamque purpuram honeſtatis, ex qua incertum, venerationis plus referret,an amoris, videre domeſtici numquam. Atq; ex his indicijs virtutis non vſitatę credibilia fiunt,quæ de eius cetera inſtitutione traduntur. Aures properæ aduerſum imperia promptiùs parebant, quàm iubebatur; etiam ſi foret ipſe, vti fit interdùm, imperante maior. Et cum extitiſſet turbarum origo domi nunquam, dici vix poteſt, quàm facilè controuerſias aliorum ſedaret, ſi quæ inter familiares oborirentur. Interdictum ſibi ſpontè voluit luſibus quibuſcumq; mali generis, & temporis fallendi causâ captabat eos

ſolummodò, quos conſuetudo patriæ, & mos familiæ, velut anniuerſarios pararet, quum Autumni tempore nobiles quique ciuium; ſiue ſatietate vrbis; ſiue amœnitate ipſa inuitati, ſolent cum familiâ totâ Rus adire, atque vſurpare libertatem.

Hîc Robertus ruſticari, aucupium ſequi, luſitare cum auiculis, vel (quæ fuit ipſius voluptas prima) cõpoſitis cantibus, plectrique modulatis ſonis releuare animum, ac eo laxamenti genere vti ſolummodò, quo ingenui, ac probi ſolent; anteuertens conſilij maturitate, quæ in eam rem cathedræ ſapientum docuerunt.

Sed quis poſſit diuini Spiritus beatos impetus morari, cũ ille animi habenas regit? Sæpè concionabundus, cum ſuggeſti copia ruri nõ eſſet, oportunam aliquam in arborem ſe collocauit, vt diceret è ſuperiori loco ad eos, qui ſecum ruri degerent; viſaque tunc eſt, ſi vnquàm alias, ea arbor ſanè bonos fructus facere; ſiquidem adeò ardens orator aliquandò fuit, vt ſacræ virgines quædam, affines ipſius, dum interfuere loquenti de voluntarijs pœnis corporis, & cætero mundi neglectu, priuſquàm ipſe indidem ſe deorſum duceret, tactæ animo profundè fuerint; neſcio ex ratione ipſa dicendi, an quia ſcirent, ipſum ore ſimul, & factis ad perſuaſionem loqui. Nota quippe res inter familiares erat, Robertum de nocte, cùm vt ſtuderet, tùm verò vt preces ad Deum funderet, ſurgere ſolitum; ad

quem

quem finem, vt lumen accenderet, ignem ipſemet aridâ materie concipiebat, è ſilice fauillam excutiens.

Nota perindè quotidiana, quę obibat exercitia pietatis; cùm ſacrificio intereſſet adæquè, atq; ſi è numero Cęlitum foret; cùm horarias preces Beatiſſimę Virginis venerabundus legeret, eiuſdemque imploraret nomen per illuſtres titulos, quas Litanias vocant; cùm in Templo, propè ad paternas ædes, viſitaret auguſtiſſimum Sacramentum, in quo ſub ſimulacro panis intereſt rebus humanis Deus; cùm domi ſecretus oraret, demitteretque per filum adductos precarios globulos, qui numerant Virginis, aut ſinguli vitæ annos, aut deni virtutum Roſas.

Addit Vincentius idem, cùm ex muſicæ artis domo ad Gymnaſium Societatis IESV deduceret pium iuuenem, in eo viæ tractu, hunc ſummum Templum, & Ædem alteram S. Franciſci nunquàm præterijſſe, quin ſacri loci admonitu intrò ſupplex iret, atque in preces genua ſubmitteret. Teſtificatur quoque ieiunia maxima Cineralium, Aduentus Domini, & peruigilijs Sanctorum, eum in eâ ætatulâ ſanctè cuſtodiuiſſe.

Accidit aliquando, cùm ad diem Lunæ redijſſet anniuerſaria celebritas Diuinorum Natalium, vt Robertus deliberatum habuerit, die Solis inediam ferre perindè, ac ſi pridiani ieiunij lege obſtringeretur.

Quod quia non ei conceſſum, pro Eccleſiæ more; ſocij inde per iocum anſam arripuere ipſum ludificandi, quaſi ieiunium violaſſet. Tum verò ægrè paſſus eſt, non quòd eam rem ioco, ſeriòve ſibi exprobrarent ſocij; ſed quòd inductus fuiſſet in eam falſam perſuaſionem, parùm ſuæ pietati conſonam: neque priùs deſijt ſeipſum incuſare, quàm facti ſecurus redderetur: adeò nobili conſcientiâ, iam tùm à puero, aſſueuerat, vel vmbram noxæ exhorreſcere.

Omnia hæc, ſi iuſtiùs expendantur, ſatis nimirum indicant, Robertum æſtimari poſſe vas electionis ab exortu ipſo longè Deo gratiſſimum, quod de Baſilio Magno dixit ſanctiſſimus eius frater Gregorius Niſſenus. Siquidem de eo opinantur ſanè plurimi, quam è fonte luſtrali innocentiam primam extulit, retuliſſe ſecum eandem ad Superos, vt dicetur ſuo loco grauibus coniecturis.

Quod; etſi donum Dei cumulatiſſimum eſt, laudem ſummam tamen promeretur ſolers cuſtodia theſauri cæleſtis, à quâ, veluti perpetuò vigil, Roberti animus numquàm ceſſauit.

Doci-

Docilitas eius, & ſtudia; tùm in litteris; tùm in pietate.

CAPVT III.

IAM æterna Sapientia, quia Robertum deſtinauerat Eccleſiæ ſuæ præceptorem magnum, ſtatuerat ſibi in eius pectore, domicilium & ſedem: eiuſdemque innocentem animam, ad capiendos diſciplinarum ſatus, veluti purum ſolum, caſtimoniâ præparauerat. Sed & ingenium ei dederat ſine exemplo maximum, & quantæcumquè doctrinæ capax; memoriam verò celerem, atque perpetuam. Ita cum integra eius, nulliſque prauitatibus detorta mens, cœpit ſe litteris dare, & arripere primùm artes honeſtas, euenit facilè, quod Deo cordi eſſet, iuueniſq; euaſit verè indolis magnæ. Quæ explenduerant in puero, corporis, animiq́ue dotes, ſic emicuerunt repentè, vt qui inter condiſcipulos erat ætate minor, primò æquales; dein ſuperiores; poſtremò ſemet, atque ætatem ſuam anteiret: nec tam aſſiduitati, & labori ſtudiorum, quam ingenio acri, eminentiq́ue progreſſus ille tam felix adſcribebatur.

Tenuit ipſum, & delectauit, ſuper auctores alios, Virgilius Poeta, cuius lectitandis carminibus ſæpè noctes vigiles traduxit; eoq́ue factum, vt, cum res deinde poſceret, ſatis indulgente genio, poemata latinè plura Virgiliano numero, ac lege, atque italicè Odas, honeſtas,

ſtas,& probis amicas moribus libenter, nec vllo labore compoſuerit. Omnium verò, quos cecinit verſuum primi, & ceù primitiæ virginitati dedicati, notis literarum per initia ità deſcendebant, vt ἀκρόστιχις fieret, in quâ vox hæc, VIRGINITAS, exprimeretur. In hoc ſcribendi genere, magnam ſæpe laudem adeptus eſt; vt cum poemata duo, non excepta dictante aliquo, ſed ſua recitauit. Alterum luctus paſtoritius fuit, quô funus Roberti de Nobilibus Cardinalis proſequutus eſt. Alterum elegia ad Abbatem de Nobilibus, Cardinalis fratrẽ: ambo digna poemata frequentiore panegyri: cum nemo non obſtupeſceret in adoleſcentulo ſexdecim annorum tantam ingenij, & carminis fælicitatem.

Poſt hoc tempus deliberauerat heroico carmine iuſti voluminis difficultates complecti, quibus ei ſperatus aditus in religioſum ordinem prępediebatur; ſed verecundiam nõ tulit calami fluentis in propriam laudem; ideò nec opus abſoluit, & flammis, quod inchoauerat extinxit. Iam quia per ætatem reliquam Poeſi delectatus eſt, quæ de hoc reperi, ſubdam. Tam Florentiæ, ac in Monte Regali, quando ibi humaniora docuit, qùam poſteà Romæ, ac Lutetiæ Pariſiorum nactus eſt occaſiones varias laxandi animum in poeticos numeros; ſed è copiâ metrorum multò ſanè vberrima, extat tantummodò, quod ſcimus, ſaphicum carmen Florentiæ de Spiritu Sancto emodulatum, cui initium

initium, *Spiritus celſi Dominator axis*, idque typis editum fuit, ipſo planè inſcio, ſuppreſſoque auctoris nomine, inter verſus illuſtrium Poetarum: & præterea Ode de S. Maria Magdalena, quam cecinit ad æmulationem, cum Siluio Antoniano Cardinali, viro perelegantis ingenij, & extemporalis carminis vate percelebri. Iuſſerat certamen CLEMENS Pontifex, animi cauſsâ in Tuſculano ſeceſſu, & dum, quæ conati ambo, cognoſceret arbiter, palmam Bellarmino tribuit, ſtatuique iuſſit inter hymnos ſacros Breuiarij Romani ab ſe recogniti Oden eius, cui eſt exordium, *Pater ſuperni luminis*; tametſi haud in eum finem compoſita foret. Verum ætas, & moles grauior negotiorum in ipſo hanc illecebram ſenſim imminuit. In epiſtola ſcripta viro prænobili; à quo Latinas odas neſcio quas acceperat. Quādo viridis, inquit, ſuberat mihi iuuenta, eram artis huius auidiſſimus, & effudi verſus innumeros, maiorem partem heroicos, & de re graui. In alia tamen epiſtola, cum tranſmiſſa ei fuiſſent poemata quædam ſatis prolixi operis, à Paſtore animarum, qui propè hæreticos habitaret conſcripta; temperare ſibi non potuit, quin eccleſiaſtica libertate reſcriberet perilluſtri viro, à quo redditæ ſibi eæ litteræ fuerant. Quantum me ſtudio pio erga Sacerdotem, quem commendas, accendit initium litterarum tuarum; tantundem deferuere cœpi exitu illarum, propter carmina litteris addita. Nam ſi mihi non vacat,

 ſcri-

„ſcriptionem legere tam vanam, & genij adeò vltrà „morem euntis; quâ ratione potuit tantùm otij ſuppe„tere, illam vt componeret, homini, cui negotium eſt „procurationis animarum, propè inter Hæreticos, vici„naſque eorum prauitates. Saltem, ſi metro ſacro vſus „eſſet, ſubderetque flammam animis ad pietatem in „Deum, operæ iacturam, & temporis non omninò fe„ciſſet. Ex his palàm fit etiam, Robertum Bellarminum ità iuuenilibus annis dulcedine poeſeos mulcere animum cõſueuiſſe, vt procul fuerit à corruptelâ eorum, qui ingenijs magnis malè vſi, defluere in commenta laſciuiæ ſolent, cùm detrimento temporis malè deperditi, &, quod grauiùs eſt, cùm clade animæ acceptâ primùm, dein illatâ Ciuitatum publico damno.

Ad eam laudem poeſeos, addidit & alterum eloquentiæ decus; fuit enim comptæ facundiæ, in eaque tùm excelluit, cùm ad gymnaſium Societatis contulit ſe, vt diſceret pietatem ſimul, & liberas artes. Pietatem indicarunt multa. Geſtabat ſuſpenſam à ceruicibus Agni cæleſtis ceream imaginem, Sacrarumque Reliquiarum thecam, donum Præceptoris ſui, octauo quoq; die expiaturus, ſi quid peccauerat animus, vt Sacrã Euchariſtiam ſumeret, ſe ad illa diù præparabat. Ad primam lucem ſomno excitus, ſtatim, mente perauroram diffusâ in cęleſtium rerum contemplatione, cùm Deo agere, quod Nazianzenus ſigillum vocat rerum interdiù gerendarum; nec intermittere exercitia reliqua

qua pietatis. Atque hæ fuerunt artes, quibus inter incerta rerum humanarum, tenax propoſiti, viſus eſt ad Deum adhæreſcere ſemper, tanquam ad auctorem ſtatus, & firmitudinis ſuæ.

Aſſequutus iam inter æquales, quà doctrinæ laude, quà comi probitate fuerat, vt notis, ignotiſque carus eſſet, & (quod mirum eſt,) acuebat in eis venerationem amor. Erat porrò eius conſuetudo agendi, ingenioſior, & flexa ſemper ad hilaritatem: miſcere ſermonibus tamen non niſi ea ſolebat, quæ vel facerent ad liberalia ſtudia, vel ad diſciplinam animæ. Quòd ſi immodicæ linguæ aliqui fortè quid ineptè garrirent, ſtatim deriuare ipſe dexterrimè ſermonem aliò. Imò, quia norant increpare ſolitum eos, qui non verecundarentur ea dicere, quibus mẽtem ſuam, aureſque ſociorum polluerent, non congreſſum modò, ſed conſpectum etiàm eius venerati, ſtatim atque coràm aderat, ſilebant, ſi loqui perperàm occeperant, minimè auſi, quæ pudorem profanant, in ſermonem adgerere.

Eò demùm res venerat, vt intereſſe recuſaret; ſicubi ſocij conuenirent, quò ientacula, cœnamve vnà celebrarent, aut nugarentur, & perſtreperent ludibundi: ſicuti fit, quandò, vel parentes, vel Magiſtri morum abſunt. Inuitarunt ſæpiùs: at Robertus excuſare ſe; tanquàm adeſſe nequiret ſaluâ religione. Rogatus etiam à Fratre natu maximo, cui ciuile videbatur mi-

ſceri voluptatibus ſociorum, quorum præſertim eadem ætas, & nobilitas; imò & monitus, ne dignum redderet ſe, cum ſua religione, odio. Sed Roberto alia morum via: negauit conſtantiùs, quam fert iuuenum conditio; neq; illos mores ex ſua præſentia penſi plus accipere voluit. Suaſor erat potius, mutarent gaudia; itarent ad Templũ aliquod, ad Iconem Virginis Deiparæ votiua frequentatione populi venerabilem, & in hanc ſententiam ſæpenumero impulit ſocios.

Parte ex alia nihil illi tam gratum, quam inuitari ad conuentus, cœtuſq; ſodalium, qui deuouent ſeſe Virgini Genitrici: vel ad concilia ciuium per ſtudia pietatis ſociatorum; qui fraterni ſunt nominis, & moris. Inter hos referebat hanc laudem, vt inueniretur nemo, qui ab eo ſedulitate non vinceretur. Cùm verò eſſet inſpectus ardor eius, & nota facultas publicè diſſerendi; Præfectus primæ ſodalitatis, mandauit, exhiberet in munere dicendi ſibi vicariam vocem, Fer. 5. Cœnę Domini. Paruit Robertus, & inſtitutus ad hoc à Patribus Societatis, dixit oris tam grato, & tam dulci ſono, itaque ad flectendum animos temperato, vt Primores cæteri deinceps rogauerint ſæpè, ne ſolatio tam pio ipſorum aures frauderet; tametſi dicturus interdum, vt Orator extemporaneus. Quibus dùm annueret, loquens verecunda cum grauitate, afferebat breuia, & quæ affectum elicerent: prorſus iuxtà quem modum, in piâ commentatione, inſtituebatur ab eo,

qui

qui cathedrã habet inter innocentes animas, & corda docet. Et ſic, vel à primis annis, veluti alter Daniel, quos in notitiam ſui, hos & in venerationem ſenſim adducebat.

Neque verò tantummodò, dum eſſet harum piarum exercitationum ſectator domi, comes in publico, eoque apud bonos omnes laudatus, credendus eſt à Spiritu ſancto motus fuiſſe, vt linguæ ſonos exereret; ſed etiam cum infantulus prædiceret, qualis euaſurus eſſet. Narrauit ipſe interdùm, ſe tanquàm puerili leuitate, dum in templo intereſſet concioni, ſpectator veriùs, quàm auditor, tam erat minutulus puer, matri dixiſſe ſæpiùs. An tu, Domina, non vides Præſulem me, & Eccleſię Cardinalem eſſe factum? Cui cùm illa manu ſilentium faceret, pergebat puer, ei indicare ſacros Doctores, quorum è tholo imagines eminebant; addens tanquàm vnus eorum aliquis ego quidem ero. Et voluit fortaſſe Deus (iàm inde ab initio præparans eius animos) vt priùs quàm pueritiam exueret, ſuæ imaginem quandam venturæ magnitudinis vaticinaretur.

 Adſpi-

Adſpirat ad Societatem IESV, *& in eam admittitur, poſt edita, annum integrum, conſtantiæ varia experimenta.*

CAPVT IV.

ITA geniti, ità educati, cùm primùm adoleuit ætas, Parens, vt eius ingenium illuſtre, animumque varijs temperatum virtutibus, inſtrueret maioribus diſciplinis, Patauium ei fore ſtudiorum idoneam ſedem putauit; vbi, vnà cum Richardo Ceruino conſobrino, dederet ſe facultatibus grauioribus. Ad eum finem à Coſmo Etruſco Duce impetrata poteſtas, vt ſtudiorum causâ extrà Etruriam iret: nec ſupererat cura maior, quam vt iuueni admodùm, daretur ex amicorum numero, qui iter eius regeret. Reperi hoc in epiſtola ad Alexandrum Ceruinum, qui, quando ex notis occurreret nemo, diſpoſuerat comitem ei adiungere, virum aliquem ex Societate IESV, ſi fortè illò profectionem quiſpiam præpararet. Neque enim ipſum credere cuiuis, ob altam indolem animi; tametſi de virtute eius ſecurus propè diceret intereà, Robertus de melioribus progredietur ſemper ad optima: ſicut etiã nunc agit, quia Deum timet.

Verùm, dùm ea Parens agitabat, atque, vt nobilitas ferè auida eſt excellẽtię, auebat filium erudiri artibus, quibus ingenia ad magnæ fortunę cultum excitantur; de

de Roberto Dei prouidentia, cuius lege immobils rerum humanarú ordo ſeritur, interim alia diſponebat. Quadam die cogitabundus apud ſe, & cum corde agens, vt de vita certi aliquid ſtatueret, ſenſit emergere deſiderium vehemens, tranquillitatem adipiſcendi, & pacem illam, quæ exſuperat omnem ſenſum. Ideò res humanas omnes veluti cogés in conſpectum animæ, ſuperque eas meditatus, intellexit facilè, ſi eis inſiſteret, forè in lubrico pedem; & in lapſus grauiores ea ſeruari, quæ ſublimiùs attollútur. Quarè cum Propheta, magno ſenſu iterare illud, *Quis dabit mihi pennas, vt columbæ? volabo, & requieſcam.* & in hæc men-
„tem altè defigens, ità ipſemet ſecum inquit. Faſtus
„quo imaginarios honores ſuos Mundus alit, & in ter-
„ris quicquid admirere ſummum, cum pro baſi vitam
„humanam habeat, non ſtabit diù, nec ad ætatem lon-
„giorem, quàm vita ipſa: quin imò, fortunæ, opes, di-
„gnitates, quàm illę ſæpè, non expectato funere, valedi-
„cunt? Quòd ſi ad funus vſque moram faciunt, haud
„comites vltrà ſepulchrum eunt. Nam, quia fundamen-
„tum ruit, corruunt ædium partes quæque, & earum
„ornamenta. Quarè ſi Poetarum aliquis vitam, quam
„viuimus, ſomnium vnius vmbræ nominauit; quanto
„vmbrâ, ſomniovè tenuior, gloriæ humanæ pompa
„cenſenda eſt, quæ vitâ citius difflatur, & vaneſcit.

Iniecta hæc diuinitùs mens, facilè perpulit, faſtidiente animo reſpuere ſpecies honorum, magna, ſed

mera nomina : ex quo prodijt admiratio, quâ in cætera vita dein obſtupuit, progreſſum eò cæcitatis hominum genus, vt credat, ſe adſtruere ſecuritati, quidquid mole imaginariâ imponit torrenti rapido ſubterlabentis humanæ vitæ:& vt ideò perindè viuant, ac ſi fi-
,, nes mortalitatis ſint egreſſi. Non tu Roberte, non es,
,, dicebat iterùm, ad mores ſeculi huius: erige te, Deum-
,, que Ducem ſequere, qui tibi mentem hanc, & conſi-
,, lia ſaniora ſubmittit. Non tu forſitan vides, quã multa
,, pericula ambitioſi ſubeant, vt perueniant ad grandius
,, periculum? Non tu aſpicis, quam breui luce appareat,
,, & ſtatim pereat, quidquid polliceri Mundus poteſt?
,, Non ne res vitę huius, ſi aliquando guſtui ſunt dulces,
,, amarum ad ſatietatem vſque aggerunt? Dignitas quę-
,, uis, & purpura, cum magis ſplendet, ſicut roſa marce-
,, ſcit, & relinquit de ſe præter ſentes, ac ſpinas, nihil.
,, Quantum conijcere poſſum, non tu in terris reperies
,, locum ſecuriorem, quam ſepta Religionis; vbi dum
,, pronum in omnia mala, atq́ue in luxuriam fluens ſe-
,, culum ſuas procellas agit, ſepoſitus animus viuat ſibi
,, vni, ac Deo. Portus hic ſolus occurrit: cætera, otium
,, ipſum, ipſam tranquillitatem rere fœdam tempeſta-
,, tem, ac naufragium certum. Tabula, in quam ſi te
,, conijcias, fluctus inſanos deuitabis; atque enabis fa-
,, cilè, eſt fiducia in Deum. Concludam itaque: ſa-
,, pientiam eſſe, omiſſis ambitione, & voluptate, fallaci-
,, bus auctoribus, conſecrare ſeipſum, ſuaq́ue omnia

Deo

„Deo, quem ſequentibus omnia proſperè eueniunt, „aduerſa ſpernentibus. Poſt hanc victoriam de ſe, quæ non præclara modò; ſed etiam perpetua fuit: certum habuit, per ingreſſum Religionis detrahere animo omnem ſpem, & cupidinem glorię, quę à ſapientibus etiam nouiſſima exuitur. Ideò nihil tùm illi reliquum fuit, quàm vt in delectum iret Ordinis alicuius, in quo odorari florem diſciplinæ poſſet, omniſque exempli intueri documenta, & præcipuè, in vera cognitione rerum, intelligere; quid ſalubre ſit, & frugiferum, quod ſequatur; quid fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vitet. Has conditiones reperit in Societate IESV, cui vtique prima tùm ætas vim integri caloris miniſtraret ad vitam virtutis, quam profitebatur nouo inſtituto, ſed moribus antiquis: eaque inprímis placuit, quia dignitates quaſcumque, ſuam operam, citrà honores, ac titulos Pontifici deferens, Sacramento recuſaret. Idcircò ſuaptè ſpontè de eâ ſolus (mentem, haud dubiè, illuſtrante Cælo) deliberauit. Ratus tamen in his, quæ ad inſtitutionem animæ ſpectant, clarè periculoſum eſſe, de ſua vnius ſententiâ rem gerere, ſtatuit copiam diuinæ vocis, & ſibi cælitus iniectæ mentis, Præceptori ſuo, Religioſo Societatis IESV, communicare. Is erat Vincentius Spariglia, oriundus ex Aſculo Piceno, vir probus, & beneuolentiæ merito ergà Robertum, atque adeò pietate inſignis. Itaq; hominem adit, & vbi datum eſt ſpatiũ ſermoni;

moni, remotis arbitris cum hoc ordine interrogationibus varijs pertentat. Primùm ei aperit, quæ ad illum diem cœlata alijs, Cœlo vni patuerant, quæquè ipſe ſecum, ac ſolitudo diſtinxerant. Dein ſciſcitatur, quàm viueret contentus in Societate. Rogat verò, ſibi nè veluti nimis curioſo, ſuccenſeat; quippe cùm ea dumtaxat peteret ſtudio rei ſtabilis ineundæ. Po-
„ſtremò, cùm in hanc fiduciam, inquit, inuitet me ca-
„ritas illa, quâ me exemplis plurimis, planeque amas,
„per communem ſalutem,& per IESV viſcera oro,quęſoque, ne mihi eſſe obſcurum velis, ſi qua, ſub habitu
„iſto, pericula latent, quæ à ſuſcepto conſilio auertere
„me poſſint, aut retardare ad aras Numinis feſtinan-
„tem animum, vt ibi ſentiat ſe victimam interfici o-
„mnibus glorię nominibus,ac viuere ſingulariter Deo.
Sermo prudens Adoleſcentis peperit Præceptori admirationem primò, deinde & venerationem; & facilè coniectare potuit, fore, vt ædificium, cuius tùm fundamenta moliebatur,exurgeret ad faſtigium vſque cum gloria; abſque eo quod ab re imperfectâ deberet ludibrio eſſe, aut vulgi deridiculo. Sed ad poſtu-
„lationem eius, aut me, inquit, amor ſuſcepti ordinis
„fallit, aut mea ſorte magis contentus nuſquàm viuere
„potuiſſem. Vt optaueram, ita inueni, nullaque pro
„me vitæ ratio, nec melior, nec ſanctior, nec bonis
„exemplis ditior fuiſſet. Pòſt addidit iuueni monita, & conſilia,quibus rẽ probiùs, &maturiùs exequereretur.

Rober-

Robertus igitur, de diuinâ voluntate non iam anceps, eorum ſe Religioni deſtinauit, quorum ſuſpicere pietatem, & haurire mores cum doctrinâ pridem cœperat. Hoc eodem tempore rumor diſſipari cœptus, Riccardum Ceruinum, qui Patauij, ſtudiorum causâ, morabatur, Societatem IESV cogitare, ac flagitare etiam, vt in eam aggregaretur. Inducebatur verò & ipſe, quoniam cogitaret vitam hominis nebulæ ſimilem eſſe; debereque numerari inter vilia, honores; diuitias inter laqueos; denique reuocari à ſapientibus ad lutum, ad limum, quæ prima vulgus habet. Grata ea res, vt quę maximè Roberto vnquam fuit; qui cùm moribus notis communicaturum ſe vota, & conſilia, poſtquam is reuertiſſet Patauio, animaduertebat. Interim precibus, & ſponte ſuſceptis aſperitatibus, negotium ſuum Numini commendans ad Iacobum Laynium, qui ab exceſſu S. Conditoris vniuerſæ Societati præerat, literas miſit, vt ab ipſo, tanquam à ſupremo duce in eam Ieſu Chriſti militiam adſciſceretur. Nec reſponſum diù expectauit; Laynius quippe, vt qui vellet Robertum id quàm molliſſimâ viâ conſequi, quod flagitauerat conceſſit: ſed eâ conditione, ſi in deliberationem illam vterque Parens conſentiret. Interim vbi manauit hæc quòque de Roberto fama, perculit, ſuprà quam credi poteſt, cognatos omnes. Sed Parentem inprimis, qui venerat in perſuaſionem fore, vt ea vis morum, & indoles filij in ſpem geniti

eius fortunæ reparandæ, quam amiſerant, familiam procumbentem ſubleuaret. At ęgrimonia illa Patris conſtanti filio vocem non ademit, quâ impetrare ab eo abeundi veniam adniteretur. Rogauit itaque impensè, ſineret exequi ſe, quod Auctore Deo ſuſceperat, nevè voluntati diuinæ moram faceret. Pater contrà, tamquam cœleſti voce iuſſo, reſiſtere ſe nolle: ſed quia feſtinatio improuida eſt, & cæca, hoc velle tantùm, vt fieret periculum conſtantiæ: ſe deliberaſſe propterea non aſſentiri, niſi priùs anno exacto. Et hoc ipſe; quemadmodum Alexander Ceruinus pro Riccardo, quem Pataio reuocauit, à Præpoſito Generali obtinuerat. Is tamen eis indulgebat, vt annus datus domi familiaribus tentamentis, ad Tyrocinium primus foret.

Ægrè eam temporis finitionem tulerunt iuuenes, qui paribus ſtudijs in glorioſi contemptus ſocietatem incendebantur. Tamen quod tentationem eam eſſe intelligerent perſeuerantiæ ſuæ, & quidem vtilem perindè, atque ſi inter Societatis candidatos probarentur, ea res, magnâ ex parte, moleſtiam hanc animi deterſit. Erat verò alter alteri ſolatio; præſertim, quia eis integrum relinquebatur, vt in virtute ſe, ſicuti pridem, exercerent: cum gemini Parentes, vt erant ambo haud intacti religione animi, oportunitatem ad id quantulamcumque filijs darent. Imò, vt magis ſuarum rerum eſſent, omiſsâ vrbe, ceſſerant in Villam Ceruinorum,

rum, quæ *Viuo* nominatur: ibiquè, vt muſas mitiores, animi cauſâ, interim excolerent, Alexander Ceruinus Parens, & Familiæ caput, tanquam ſtudiorum etiam moderator, per imaginem quandam Academiæ, explanabat Virgilij Georgica; Riccardus filius græcè Ariſtotelis libros de Poëſi; Herennius huius frater, qui Protonotarius Apoſtolicus,&vtriuſque Signaturę Referendarius obijt, Demoſthenis Orationem de Corona; & Robertus noſter Orationem M. Tullij Ciceronis pro Milone. Omnes verò in horum ſtudiorum exercitationibus adiuuare inter ſe, & pro ſe quiſque illuſtrationes ſuas, lumenq́; ingenij, ac doctrinæ in cõmune conferre. At Robertus(vt in eo viuum Religioſæ vitæ ſemen, ad quam adornabat ſe, radices ſparſim, & profundè egerat,)parùm decens ratus eam clementem vitam ducere, & nihil aliud, quàm datis amœnitatibus frui;niſi alijs proforet:inſtitit,operi futuro prę-ludens feſtis, & religioſis diebus paganos eius viciniæ in templo inſtituere, & oratione apta, ſimpliciq́ue, poſtquàm Doctrinã Chriſti, & capita Fidei, quæ ſunt creditu neceſſaria, explicauerat, eoſdem adhortari ad pietatem,ad timorem Domini: tàm erat ardens etiam tùm in procuratione animarum.

In his occupationibus,& experimentis,tandem circumegit ſe annus, pro flagranti deſiderio eorum, vtique longiſſimus, eoq́ue in ſpatio edidit Robertus conſtantiæ ſpecimen varium; præſertim, dum ad de-

lectum, Religioſæ familiæ plures proponebantur, & ante alias eximius ordo Prædicatorum, ex quo viri ſapientiæ, ſanctimoniæque laude conſpicui ſæpè in Eccleſiaſticas dignitates euehuntur, præmia virtuti, & honeſtè ſuſceptis laboribus. Sed iam tùm Robertus tantus erat, vt poſſet eorum deſideria contemnere, elegeratque Societatem vel ideò: quia eâ religione, artibuſque viuit, vt obſeptum ei ſit ad honorem iter.

Iam, quia, vt dixi, cœperant finem annus, & ſuſpiria; dictus profectioni dies aderat, quo cum Riccardo Robertus Romam voti compos iret: cùm certandum ei fuit, vt ſe à lachrymis, atque à complexu carorum auelleret. Conuenerant affines; quique arctiori eum contingebant gradu, & tùm eorum in conſpectu, vbi maturum viſum eſt exequi, quod parauerat, genuā poſuit, Patremque, Genitricem, ac Auiam orauit, vt abeunti, manu in crucem adductâ, benè precarentur. Spectaculum hoc dici non poteſt, quantopere afflixerit ſingulorum animos. Aderant aliqui contentis, & tumentibus, plures manantibus oculis: neque aliter adſpici venerans illa pietas, & modeſtia decens poterat, cum lamentarentur omnes, relinqui familiam in tenebris, & per ſpeciem occaſus, ſubduci eum, quem habuerant vtiq; lumen oculorum ſuorum. Sed & Vincentium Patrem non ætas, non pudor cohibuit, quin tormēta pectoris, & ſuas ipſe pœnas fateretur. Perfunctus vltimis amplexibus, vti nequibat exuere animum

pa-

patris, in hęc verba prorupit. En familię noſtrę omnis procumbit ſpes: vnus abit ille, per quem exurgeret, & qui compenſare memoriam Auunculi ſolus poſſet. Sed, vt cæca hominum conſilia ſunt, pòſt, æterna deſtinatione Numinis, factum eſt, vt & Robertus in ſpecioſos titulos indueretur, à quibus abhorrebat, & familiæ magnorum decorum ornamenta, vel ijs præſidijs creſcerent, in quibus anteâ deſperatio; cùm nemo ignoret Bellarminum fuiſſe cooptatum à CLEMENTE VIII. Pontifice inter purpuratos Patres; propterea quod digna res purpurâ, digna ſupremo Eccleſiæ Senatu ea mens viſa eſt, quæ, iuxtà præſcriptum ſui ordinis, ſcribendis Controuerſiarum voluminibus aduerſus Hæreſes opinionem ſibi egregiam excitauerat. Atque ita abitu eius præſidium domui afflictæ non fuit ademptum, quandoquidem eam præſtantiâ ſuâ deinde reſtituit. Et voluit fortaſſe Deus neque in hac vita inhonoratam relinqui, aut ſine præmio, præclaram illam eius cupiditatem procul ab honoribus viuendi.

Sic Abrahamo par, ac geminus, dũ ſequitur Deum, vnà cum fratre, & dulci comite Riccardo, è Patria, atq; à Domeſticis digreditur, vt Noſtræ Societati nomen daret, vbi annixurum pro ſe quemq́ue ſciret, vt parentum etiam ſibi, patriæque expleret deſiderium.

Romam incolumis perueniens, inter Tyrones admiſſus eſt XII. Cal. Octobris, anno M. D. LX. qui dies peruigilium eſt S. Matthæi Apoſtoli. Excepti ambo,

veluti

veluti primitiæ Sacræ Collegij Politiani : in quâ Ciuitate, quoniam, trienniò poſt, atroci quodam caſu, & criminibus confictis, tantam in inuidiam adducta Societas fuit, vt excedere debuerit, donec innocentia ſuppreſſa efferret tandem ſe, vno è criminatoribus in lęthali morbo, ex quo & obijt, ſuum errorem agnoſcente : ſicut gemebundus eum, coràm idoneis teſtibus, confeſſus eſt : ea res anſam dedit Scriptori Hiſtoriarum noſtrę Societatis, laudandi arcana conſilia Dei, exceſſu quodam immenſæ bonitatis ſuæ, exprimentis interdùm, quæ optima, ex his, quæ deterrima : Nam inquit. *Hunc habuit exitum Collegium Montis Politiani, ſeptem propè annis inter difficultates maximas haud planè fruſtrà ſuſtentatum. Ex multis laboribus vias mihi inenarrabiles diuinæ prouidentiæ contemplanti, commodum extitiſſe illud præ ceteris non pœnitendum videtur, quòd per eam ſtationem Deus Robertum Bellarminum ad Societatis, totiuſq; Eccleſiæ vſum tantum, ac decus in lucem protulit.* Nec minori luce fortaſſis Societatem illuſtrare potuiſſet Riccardus Ceruinus, ingenij præſtantis, ac vitæ integerrimæ laude ignotus nemini, ex quo & à Roberto noſtro ſanctus iuuenis eſt appellatus, niſi, quadriennio poſt; in Collegio Lauretano fuiſſet in flore ipſo virium extinctus, maiore Societatis damno, quàm ſuo.

VITAE

VITÆ ROBERTI CARD. BELLARMINI E SOCIETATE IESV LIBER SECVNDVS.

Res ab eo geſtæ in Religioſo Tyrocinio, & Philoſophiæ ſtudia.

CAPVT I.

ADMISSO inter Tyrones maius gaudium fuit, quàm quod vniuerſum animus caperet; tantaque lætitiâ oborta, vt cælitum vitam adeptus ſibi videretur. Quarè, quaſi ſe deuolueret retrò ad nouam ſtirpem, eſſe optauit IGNATIO iam ſimilior, quam ſibi. Certus etiam, opus exegiſſe ſe ſupremo Regi apprimè gratum; vt ſuperfundenti ſe Deo totum dicaret pectus, ſpontè ſtatuit, per vota voluntariæ Obedientiæ, Caſtitatis, & Pau-

pertatis, quaſi funiculo triplici, qui difficilè rumpitur, arctiſſimè cum Chriſto ſe Cruci colligare, ne fluctuaret abreptus æſtu humanarum illecebrarum; idque primâ die ſuæ admiſſionis lætus, nec vnquam aliàs diuinis gaudijs cumulatior fecit. Moratus, decem non ampliùs dies, in eo receſſu, quod primum Tyrocinium appellatur; in quo, quia locus eſt nutrimentorum animæ, meditatu Cœleſtium rerum, alijſque exercitationibus ad vitam interiorem aptis, mirificè aluit ſe, & per ſacram exomologeſim à noxis omnibus ætatis anteactę animum repurgauit. Poſt accitus in conſuetudinem aliorum, veſtituque, & cætero habitu Religionis ornatus, cùm non ignoraret, veſtem mutari faciliùs multò, quam mentem, nihil habuit potiùs, aut priùs, quàm vt, ſicut exteriùs corpus, ita interiùs animum Religionis amiculo ſenſim indueret. Exindè, quod eſſet domi vilis miniſterij, exequi, vaſcula in culina purè pręparare, atq; eluere; lances tergere; adferre, aptareque cęſim ligna; inſternere in triclinio menſas, domũ euerrere. Æſtimauit enim plurimi nouitiùs prudens occaſionem hanc, vt perfectionis turrim à fundamento auſpicaretur humilitatis.

Dies quatuor, & decem vix ipſe inter Tyrones egerat, cum in Romanam noſtram Academiam ad ſtudia miſſus eſt, nec diutiùs inter candidatos fuit: ſiue ita tēporum ea ferret ætas: ſiue quia domeſtica experimenta, quæ annum integrum obierat penes Parentem, ad reli-

religoſæ vitæ præludia illi fuerant abundè. Cæterùm eſt ſatis in ſocietate cautum, nè Tyrones ex vmbratili diſciplinâ, ante tempus in aciem, & pugnam exeant: vt eorum non dum adulta virtus, & ad callidi hoſtis plerumque ſubdolas artes cœca, ſaltem ſit tuta interim ſtatione, & loco. Habetur tamen pro re compertâ, Robertum, ex quo in Academiâ Romanâ degere primùm cœpit, ſemel, atq; iterùm quotannis (quod iuniores omnes in Societate agunt) ſua vota repetere ſolitum fuiſſe; ne virtus, tametſi initijs valida, ſpatio langueſceret. Sed qui æſtimat, quantum in ſui abdicatione, quantum in vſu ſupplicandi, contemplandiq; diuinas res profeciſſet, quæ duo ſunt vertex imus, & ſummus, in quibus vita interior tota verſatur, temporis contracti exiguitatem dicet aſſiduitate operum fuiſſe compenſatam. Poſſem huius rei documenta plura, ſed vnum dumtaxat adfero, ex epiſtolâ eius, non ita multò poſt ex Monte Regali ſcriptâ ad P. Polancum, qui Societati vniuerſæ tùm erat à ſecretis. Libens verò de epiſtolâ hac memini, quia continet capita quædam clara prouidentiæ ſingularis Dei, vt capite proximè venienti dicam; & quia oſtendit, quales iniecisſet frenos inferioris animæ partibus, vt faciliùs eas regeret, Deoq; moderanti redderet obſequentes. Ea,
„ inquit, tantùm peragere cupio, ad quæ obedientiæ
„ ſanctior me, & melior voluntas, deſtinauit. Etiam ſi
„ iuberet, ætatem totam vt docerem Rhetoricam; aut

„in minore etiam gradu ipſam latinitatis infantiam.
„Hoc in animum induxi, quo die in Societate ſanctâ
„primum fui;hoc ſtabiliui,Româ cùm decederem;hoc
„hodieq́ue ſtabilitum volo. Quin & à ſanctâ obedien-
„tiâ ſi quippiam pro me petiero; ſiue vt mutem locum;
„ſiue quid impetrem, etiam ab hac die à Præpoſito Ge-
„nerali efflagito, (vt intellexit iam ex me quoque Do-
„ctor Madridius)auctorque ſum,hoc ne mihi eo indul-
„geat nomine, quòd morem mihi geſtum velit: ſed
„quia ſecus, citrà preces meas, iuxtà rectiſſimam obe-
„dientiæ normam, concedi debeat Etenim, animi in-
„uitus vtcumque, & etiam cum ſenſu, malim non er-
„rare; quàm errare compos animi, & cum voluptate.
„Porrò vtique omninò non erro, dùm pareo. Hęc in
epiſtolâ ipſe. Atque hi fuere progreſſus eius: pro ac-
quiſitione pacis illius, cuius Deum è cœlo ſponſorem
habent ij, qui nec animo magni, & corde mites toni-
trua pauent ſermonum eius.

Quoad ſtudia literarum, Magiſtro vſus Petro Par-
ra Hiſpano, viro imprimis docto, & pio,Philoſophiæ
triennale ſpatium abſoluit ſummâ cum laude; ſed ab
ingenij fælicitate potiùs, quam à ſtudij labore perni-
mio: nam id temporis valetudines eum variæ, & læ-
thales afflixerunt. Primo anno penè ad mortem veter-
no graui ſopitus, & tãdem excitatus ad vigilem vitam,
morbi reliquias diù tulit: tentatus eſt capitis grauedi-
ne per annum inſequentem totum: anno tertio diſtil-
lationi-

lationibus è capite vitiato in præcordia defluentibus, ob aſſiduam, & perpetuò ingraueſcentem tuſſim ad deſperationem redactus eſt, conſtanti Medicorum opinione, ipſum in phtiſim decidiſſe. Porrò ægritudines hæ ſolent interdum affligere etiam animos, corpora dum hebetant (quæ inter hæc duo eſt dolorum ſocietas) ideò per eas ægreſcit ſæpè mens, tentaturque modis miris: quippè cùm res propè nulla magis angat animi hominem cupidum laboris honeſti, dùm quis adoleſcens eſt, & dùm eſt ſanguis integer, quàm cùm intuetur vim omnem ſuam, & primum florem, valetudine lentâ, odioſâque contabefieri miſerè, & tanquàm ab vrente nebulâ, conſumi. Innaſcuntur intereà curæ deſpondentes animum: vſus rarior circà munia pietatis; infrequens abdicatio veteris hominis; denique eius generis multa: nempe foris captare ſolatium extrà veſtibulum animæ; & Religioſi viri retinere habitum, virtutem exuere. Sed Robertus, quia non, vt euaderet vir opinione magnus, aut ſummæ litteraturæ, ſed vt ſanctus fieret, dederat ſe in familiam, ac domum Dei, æſtimabat æquè plurimi aduerſam, atque ſecundam valetudinem; nec per eas nutantis naturæ viciſſitudines, patiebatur vllatenus labefactari conſtantiam ſuam. Imò factus exinde certior, breues dies hominis eſſe ſuper terram, inſtitit adproperare in ſemitâ, quam inierat, virtutumque cumulare pretia: nè ſe viaticum deficeret in viâ.

 Sed

Sed & hoc inprimis agere, vt volũtati Dẽi committeret ſe, eiuſque veluti Parentis in vlnas ſe ſubindè collocans, vſurpabat illud: *In manibus tuis tempora mea.* Fiducia ea fuit non pœnitenda; nam paulò poſt, vt ſubdam infrà, conualuit; & exacto ſpatio ſtudiorum, ex condiſcipulis nemo illi ingenio, aut doctrinâ par: adeò in vtroque genere palmam tulit. Et ſi enim ad ſtudia illa nequaquam tantùm virium, quantùm animi attulerat; tamen quidquid viribus deerat, ingenij præſtantia largè ſubminiſtrauit. Teſtes Magiſtri eius, & Primores Collegij, qui vti ſunt Iudices ingeniorum, eum delegere, vt publicè de vniuerſa Philoſophia diſputaret primus: & prætereà delectu habito, inter duodenos eius pares, qui, vti more tunc fiebat, ad gradumMagiſterij promouebantur, Roberto vni hoc, honoris ergò detulerunt, vt controuerſiam exponeret de vi, ac poteſtate animæ, refelleretque, quæ contrà meditatò afferrent ipſimet Academiæ Profeſſores. Id verò præſtitit egregiè; tametſi abſque Præſide vllo, & prorſus in ſapientiæ laude ſolus.

Huma-

Humaniora, & Rhetoricam docet Florentiæ, ac in Monte Regali: Theologiam audit Patauij.

CAPVT II.

ILLVD ſatis conſtat, Adoleſcentem, in quem natura dotes, virtus mores contulerant ſuos, debuiſſe, præſertim dum ita affectus erat, liberaliùs coli, benigniùſque, quàm cultus eſt. Sed, ſiue morbi genus ex parte ignoraretur, arctareturque domus plus iuſto numero ſociorum; ſiue perſuaſio foret, profuturam ei varietatem ipſam docendi, & quidem in Etruriâ, propter affine Cœlum, familiaremque aërem, decreuere Præpoſiti eius, vt Florentiam proficiſceretur ad ſtudia humaniora iuuentuti tradenda. Ipſe, apud quem celeriora propè omnia imperio erant, non inſtitit æſtimare apud ſe, quale ſibi naſci detrimentum poſſet, ſi mitteretur modicus virium ad labores magnos. Imò ratus, non obtemperantis eſſe, quid poſſit conſiderare; ſed imperantis; ſe ſtatim itineri dedit, & digna pronitas ea fuit, cui Deus gratificaretur. In itinere de ratiunculâ nummorum (quam ob cauſam ignoro) repentè ei cùm ſupereſſet iam nihil, ad Deum ſe confert curatorem ærarij ſui; & ecce vir nobilis, natione Hiſpanus, vltrò nôn petenti erogat, quantum opus erat, iter vt conficeret reliquum. Florentiam peruenit, quaſſatus de viâ, defectus viribus, facieque ſubpallidâ, vt qui

adſpi-

adſpicerent, ad valetudinarium, non ad labores deſtinarent. Medicus, qui ſtatim adfuit, exploratâ valetudine, primò eam, ſi quomodo poſſet, ſedare medicamentis: ſed curæ maior induſtria, quàm fœlicitas: nec ſalubribus remedijs, diù venis incubans lenta febris ſopiri potuit. Inde ſiniſtra de eo arbitria, quæ nec ipſum Robertum cœlari diù potuerunt. Inerat verò ei ſtimulatio ingens ad labores, in obſequium Dei, obeundos. Ideò conſcius benignitatis Numinis, quod à corpore etiam depoſito abſtergere extremam tabem omnem indubiè poteſt, quadam die Templum adit, fiduciâque magnâ proiectus ante aram conteſtatur, tunc ſe emori non magnoperè velle. Orare proindè valetudinem, quâ peruiuat ad gradus ætatis alios, vt poſſit ſe laboribus frangere, augereque acceſſione ſui famulatus gloriam Diuinę Maieſtati. Impetrabile fuit votum tantâ cum fide fuſum: ſiquidem hæc precatus, veluti ſenſiſſet auditas preces, redijt indè lætus, & re ipsâ melius habere breui cœpit. Redijt ori color verus, & toti corpori priſtina incolumitas, refectique ſunt, ſimul cum corpore, ſpiritus illi, ex quibus pariter ingenium ipſi, ſic pronum ad omnia fuit, vt tamen natum ad id vnum diceres, quodcunque ageret. Ergò iàm à morbo reſtitutus, veluti renouatus flos, & ſeipſo melior, ac prętantior, gratias reddidit Deo liberatori, ad obſequium eius exhibendo ſe, in laboribus ſuſcipiendis ſtrenuum, & nunquam ceſſantem, imitatoremque

remque negotioſum illius, qui de ſe inquit. *In laboribus à iuuentute mea.* Verè enim ab adoleſcentiâ ad metamvſque vltimi ſenij, ſemper laboribus ætatem pręceſſit,& annos rebus geſtis anteiuit. Sub initia docendi, neceſſarium ducens adoleſcentiam eorum, qui ſibi traditi in diſciplinam fuerant, in poteſtate habere; ne in licentiam excurrerent: & ſimul reputans ad id ſe minus idoneum, vel quia nec ætas ſuppeteret, & ſtaturæ honor deeſſet, vel quia meditaretur eſſe lenis, ſicut ſpontè, & ab ingenio erat, ſtatuit induſtria, & aſſiduitate ſibi comparare auctoritatem: qui modus optimus eſt ſuauiter iuxtà, grauiterque animos occupandi. Orationes duas in Æde maxima habuit, ambas plenas luminibus, plenas floridę concinnitatis; quas demirata ea Ciuitas eſt, tametſi adferret, perquam eruditas aures; aſſueta frui dulcedine eloquij in Academicis ſuis. Feſtis, & religioſis diebus verſus nonnunquam publicè propoſuit, in quibus copiam, numerum, leporemq; dictionis, præſtans inuentio adhuc magis commendabat. Cùm ſe opportunitas daret, controuerſias quoque de Mundi, terrarum, ac rerum cæterâ naturâ enodando, explicandoque, facilè ſibi omnium animos demeruit: adeò vt ab admiratione, quam excitauerat de ſe, initium faciens, & fæliciter regeret ſuos, & alliceret adhuc alios, vt ſe ſubindè adirent interrogaturi ſuper implicitas quęſtiones: incertum pertētandi causâ ſapientiam eius, ob iuuentutem alicui fortaſſe dubiam,

biam, an verè ſtudio diſcedi: qui tamen omnes de eo ſemper minimè vulgarem ingenij, & eruditionis opinionem referebant. Menſes aliqui his exercitationibus circumacti iam erant, cùm Academici eius vrbis, ſummâ æſtate pertęſi dies longiores, à Bellarmino flagitarunt, vt horarium ſpatium quotidiè, in ipſorum gratiam ſeponeret: & ipſe eis obſequens planè fuit, explicauitque doctrinam de Mundi Sphæra; quæſtiones de ſitu, ac mole corporum ſupremorum; de itu eorum, & reditu; de poteſtate ſtellarum; & nominatim de earundem diſtributione per imagines hominum atque ferarum. Florentiæ moratus, vſque ad annum exactum: vt Rhetoricam profiteretur ad Montem Regâlem, in ditione ſubalpinâ, miſſus eſt. In qua Ciuitate, quia non diſſimilis ei ratio docendi, temporum ſeriem paululùm interſecabo, vt interim res ſimillimæ coeant, & ſubdam præcipua, quæ hic ei euenerunt. Affixus fuerat publicè librorum explicandorum Elenchus, inter quos nominatim Demoſthenes Græcus Auctor, ne per deſidiam obſoleſceret vetuſtiſſimæ linguæ diſciplina, proponebatur. Robertus Graij ſermonis erat planè rudis; ſed peritiæ quod defuit; mens, atque induſtria ſuppleuit. In litteris latinis primò ſe apud omnes, per ſpecimen varium, nobilitauit: poſt ad ignota græcæ litteraturæ velificaturus, Auditores ſuos admonuit, linguam externam illam adęquè vtilem, atq; difficilem eſſe; & ab elementis inchoandum,

dum, vt certiùs teneretur. Sic ipſe cum eis elemẽtarius factus, graij ſermonis prima rudimenta, eiuſque verborum inflexiones, & nominum, ſtudij laborioſiſſimi patiens, complexus vniuerſos; breui eo euaſit, vt difficultates iam in linguâ illâ, vel inueniret nullas, vel expediret omnes: potuitque Iſocratis, atque Demoſthenis libros, & ſcriptoris alterius cuiuſcumque, deinceps Magiſter, interpretari. Sed non propterea, quòd doceret iſthæc apparatu nullo, ab alijs miniſterijs domi ceſſationem habuit. Imò, iuuenis prorsùs ad morem ſui Ordinis factus, dùm Rectoris nutus, & imperia pro Numine obſeruat; miraculo, vel caritatis, vel obedientiæ, ita ſe geſſit, ac ſi omnia forent in ipſum Collegij totius inclinata onera. Id, quod gerendis rebus ſupereſſet, quieti dabat: diei que opere confecto, vltimus decumbebat; cùm tamen illud princeps iniret; & ſub auroram, ſtatâ horâ, in cubicula ſingulorum lumen inferens, excubitoris munere fungeretur. Adhæc in Triclinio menſæ lectorem agebat; Sacerdotes comitabatur ad affectos, & ad negotia, quæ inſtarent; Ianitori etiam ſubſtituebatur, & ſuſcipiens labores pro ſolatijs, ad vilia omnia deſcendebat, famulus veriùs, quàm ſocius. Habebat idem adhortationes domi priuatas, foris conciones publicas: de quibus dicam paulò poſt, & narrabo interim lepidum factum, quod tùm euenit. Ad Religioſam domum Ordinis S. Dominici contulerat ſe Rector Collegij, vt Cœnobiarcam ſaluta-

lutaret officij cauſâ:& is ad cæteram comitatẽ, in quâ multus erat,hoc etiam addidit, vt vina promerentur, quæ hoſpes biberet.Rectore tamen abnuente; ipſe qui inuitauerat:at inquit, bibet vtiq; nec inuitus, fraterculus iſte, comes tuus; & erat is fortè Robertus. Die ſequenti Cœnobiarca idẽ, quia cuperet ſacraspiaculares indulgentias populo corã promulgari, vt conueniret Concionatorẽ ſummi Templi,quò res efficaciùs tranſigeretur,ad Collegium venit. Ibi Robertum è cellulâ Ianitoris obuium habet,intereà tutelam foribus gerentem.Salute datâ,redditâq; ,ſibi opus eſſeConcionatore ſtatim conuento,ait:Nec enim adduci poterat,tametſi prudens vir,vt iudicaret eũ,qui in munere tam obſcuro verſaretur,& quem fraterculũ pridiè nominauerat, Concionatorẽ eſſe,de quo erat inCiuitate clarus adeò rumor. Robertus ad iſta: deſcendere Concionator nequit; ſi quæ tamen iuſſeris,ea fidus referam.Tum alter, eſſe ait,quæ cũ eo agere abſq; interprete velit;proindè; vel ſe ad cellam eius adduceret,vel aduocaret hominẽ. Rurſus Ianitor,aduenire Concionatorem poſſe,negat; & cùm cõtrà ille perurgeret; neceſſe fuit tandem proderet ſe,inquiens,Concionator ego ſum, qui aduenire nequeo,quia coràm adſum. Ad hęc verò Cœnobiarca obſtupuit,ac ioci memor,quem in eum pridiè luſerat, excuſata re,quã potuit demiſſiſſimè, orauit indulgentias proponeret,datas propter Ordinis comitia:&apud Populum, pijs largitionibus Cœnobij alleuare inopiam

piam, tùm maximè pro copiâ hoſpitum adniteretur: idq́ue præſtitit eloquenter Robertus ipſo die Diuinorum Nataliũ. Igitur, vt ad ea, quę intermiſimus reuertar; quia nullo labore, aut corpus eius fatigari, aut animus vinci poterat, ad onus docendi etiã, quę non didicerat, hoc addiderat, vt ſacri Oratoris perſonam, de ſuperiori loco dicẽs, ſuſtineret, famâ vtiq; magnâ: tametſi adoleſcens adhuc, (hoc eſt natus annos nõ amplius viginti duos) eius miniſterij initia poſuiſſet. Imò Florentiæ dicturum è pulpito primùm apud frequentiſſimum auditorium conſpicata fœmina quædam pia, & demirata iuuenem imberbem in loco, in quo ſenes trepidarent, quia verita eſt, ne in opere deficeret, tempus concionis totũ nixa genibus hæſit, flagitans à Deo, ne ille animi turbaretur, imminueretur vè Societati opinio. Aberat tamen periculo Robertus, qui de ſe affirmauit ſenior, longè ſecuriùs fiduciâ memoriæ ſe id tẽporis publicè dixiſſe, quam fecerit ætate prouectior. Genus dicendi his initijs ornatũ quidem erat, & ad implendas populi aures latum, ac ſonans: ſed non eiuſmodi, quod mirarẽtur potiùs homines, quam intelligerent. Quæ cauſa fuit, vt in Æde maximâ Montis Regalis audiretur confertiſſimis concionibus, & vt non externi modo, qui interfuerant, reuerterent admirabundi: ſed Rector ipſe ad Præpoſitos ſuos in Vrbem ſcripſerit, *Nunquam ſic, vt iſte, locutus eſt homo.* Adulto poſtmodum tempore, vt ornatum illum omnem abijceret, occaſio ea fuit, quòd cùm, ad diem Natiuit. Domini concionem meditatam ha-

vt quem fœliciter de pijs rebus ſubita expedire viderant, optauerint eundem præuiſa, & meditata adferre: & ea res conſilium dedit, attinendi eos ad triduum vſque. Robertus recuſauit diu iuuenis ipſe, coràm viris non minùs à virtute, quàm ab ætate venerandis verba facere: ſed auctoritas illius, qui Ordini ſupremus præerat, & preces cæterorum peruicere modeſtiam eius. Dixit, & is orationis ardor, eaque fuit emicans toto ex ore pietas, vt facilè appareret, quicquid diceretur, id ex incenſo pectore proficiſci. Hinc, perinde, ac Tyrones ipſi veteranum audirent, obſtupeſcere ad eius voces: pleriſque etiam manare gaudio lacrymæ; adeò vt ipſum quoque confunderent dicentem. Neque indicijs tantùm his, ~~cum~~ quanto aſſenſu audiſſent verba eius, oſtenderunt: ſed veneratione etiam; vt ruerent aliqui manus illius exoſculaturi. Interim ipſe ſumere ab alijs documenta demiſſionis; pendere ſe minimi, & exiſtimare, ſi quid recti exprometet, id non ſuum, ſed acceptum ab ore loquentis Dei. Cùm hoc iter fauſtum adeò fuerit: quando ad Montem Regalem iuit, longè alijs tentamentis eſt ipſius probata virtus.

Referam ea, deſumpta ex autographo eius; nam in Epiſtolâ ad Polancum, de qua ſuperiùs, ſe in Ericis portu, ait; dùm ibi Genuam ſoluturus, exaſperato fluctibus mari, expectaret occaſionem auræ; denuò in rei nummariæ vltimam penuriam redactum eſſe; neque vllâ fraude, ſed tantùm, quia ad ſex non ampliùs dies,

dies viatico, non exceptis maris caſibus, inſtructus fuerat: ſed & denuò expertum ſe Dei prouidentiam. Siquidem cum hæreret ſolitariè in alieno ſolo ignotus omnibus, in Tabernam ingreſſus quidam Hiſpanus Doctor, vbi aduertit è Societate ipſum eſſe, ſalutauit benignè, inuitauit, factuſque ei comes, naue, & viatico etiam iuuit, poſtquàm, cadente iam vento, reliquum tẽpeſtatis exſæuierat. Sic procurante ei Numine viaticum & comitem viæ, ſoſpes appulit Genuam: ſed dum exindè terrâ in Montem Regalem proficiſceretur, paſſus eſt incõmoda duo. Vno in loco furti reus, à neſcio quo habitus eſt, qui conqueſtus de homine, quod ſibi crumenam ſurripuiſſet; cœpit ei explorare manus, excutere pallium, ac tunicas; denique tentare odioſè, atque importunè omnia. In altero vxor Cauponis cuiuſdam, ad quem diuerterat (incertum fraus ſermoni, & rei adeſſet; an ſimilitudine hominis caperetur) dùm ipſe, ſedatâ laſſitudine, pergere meditatur, muliebriter indignabunda, & clamitans affirmare cœpit, ipſum eſſe Maritum transfugam, qui nullâ fide connubij, thorum filiæ deſeruiſſet, idque ei exprobrando ſępiùs conata eſt inducere, vt ibi cum vxore, & ſocru maneret perpetuus. Sanè, quia euentum hoc geminum, alienum adeò à moribus ſuis, tanquàm diſcrimen animæ, corporiſque denarrauit ſæpiùs: credibile eſt machinam aliquam grauem admotam caſtiſſimi iuuenis honeſtati; quòd de Bernardo, Thomâ

Aquinate,alijſque legitur,quò eis redderetur, non doctrinæ magis, quàm virtutis imitatione ſimillimus. Tametſi verò Deus præſtò innocenti fuerit, deliberauit,ſi vnquam alicuius domicilij Societatis gubernaculo præficeretur, haud permiſſurum ſe,vt ſoli iter facerét noſtri Ordinis Religioſi,præſertim iuuenes:quęcumq́ue demùm expenſæ pro comite requirerentur.

Dum in Monte Regali, rerum ſuarum, & ſtudiorum incogitans,miniſterio docendi,concionandiq́ue ſe totum impenderet;Franciſcus Adornus Præpoſitus Prouincialis, qui fortè illàc tranſiuit, reputans, ingenium Roberti materiam ingentis publicè, priuatimq́; decoris allaturum,ſi non ei differretur quadriennij ſpatium,præfinitum Sacræ Theologiæ cognoſcendæ; & futurum ſimul, vt dein maiori cultu, & auctoritate Eccleſiaſtis officio perfungeretur, Patauium ipſum miſit anno M. D. LXVII. Hic Magiſtrum domi P. Carolum Pharaonem Siculum è Societate, in Primam Partem S. Thomæ: foris ad Academiam F. Ambroſium Ordinis S. Dominici audiuit de legibus diſſerentem. Vſus tamen his Doctoribus non omninò fœliciter; tùm quia Religioſi Societatis Academiam non diù frequentarunt; cùm verò, quia Profeſſores ijdem in his, quæ ambo docuerant, haud ita conſentirent: cùm diuinam prædeſtinationem repeteret alter ex præuiſis operibus,& P. Carolus,cum S. Auguſtino, eam ſponte à Deo exiſtimaret,&gratuitam eſſe:vti loquuntur

quuntur in Scholaſticâ Theologiâ.Patauij quoque, ad dies feſtos Robertus antemeridianis,pomeridianiſq́ue horis,eam,quam illò attulerat concionãdi pręſtantiam exercuit. Nec enim permiſere Præpoſiti eius, vt quod in ipſo eximium erat,id extingueretur vitâ obſcurâ, & priuatis domi ſtudijs. Venetijs item feria v.Sexageſimæ, intonantem licentiæ dierum antecineralium audiuere in confertiſſimo auditorio Senatores aliquot, qui etiã,concione dimiſſâ,ad manus eius contulerunt ſeſe oſculabundi;vſq; adeò dicentem venerati fuerant. Interea temporis Genuę indicta Prouincię tòtius Comitia,quæ quia tùm diſputationibus publicis,concionibuſq́ue celebrari ſolerent, Robertum acciri placuit, qui in ÆdeVrbis maximâ Theſes de re omni,de qua inter diſciplinarum auditoria poſſit ingeniorum eſſe concertatio, biduum integrum defendit. Promebantur quæſtiones potiſſimùm ex libris *Rhetoricorum,Organi, Phyſici auditus,& Metaphyſicorum Ariſtotelis*; atq; ex partibus Theologiæ D. Thomæ. De quibus diſſeruit quidem aſſidente Præſide: ſed audiebatur admiratione pari,euidentibus rationibus,appoſitis ſimilitudinibus illuſtrans omnia, & ratiocinationes cõtrarias,ſępè difficiles, occultiq́; nexus diſſoluens reſpõſis, quę à Præceptoribus nõ didicerat.Id verò cauſæ fuit,vt cùm nata diſſimilitudo opinionum inter ipſum,& P.Carolum,qui ei præſidebat; Præpoſitus Prouincialis Pręſidem cõmonefecerit,ſileret interim, permitteretq́; Roberto,reſponſione,quâ mallet,argumenti vim diluere.

Deniq́ue vbi finem inuenit diſputatio, è cathedrâ ſapientię migrans in locum virtutis,ad confertam illam omnium ordinum multitudinem, pro ſuggeſto verba fecit, adhortatuſq́; eſt,vt ad ſeſe,atq́; ad mores quiſque ſuos euaderet attentior: pro quâ re magnam partem retulit Homilię S.Baſilij ſuper antiquum dictum: *Attende tibi.*

Mittitur Louanium latinè concionaturus ad Belgas: Theologiam ibidem docet.

CAPVT III.

COLLEGIT tantùm opinionis, & famæ his exemplis ingenij varijs, vt apud omnes breui in admirationem euaſerit; & ei famam addebat etiam, quia quod in eo eximium naturalis vigoris erat, hoc adhuc magis modeſtia,& probi mores commendabant. Rumor viri proindè, cum in Vrbe creſceret,eum Præpoſiti Societatis Louanium deſtinarunt, vt ſtudia Theologiæ vſque ad finem audiret, ac ſimul latinè concionaretur. Mandatum eius rei Patauij Rector à Franciſco Borgiâ accepit,qui ex Hiſpano Dinaſta, & Gandienſi Duce in nóſtrum Ordinem tranſgreſſus, Societati vniuerſæ tertius ab IGNATIO præerat, & qui anno ſuperiore ab VRBANO VIII. Pont. Maximo Beati appellatione, aris, & ſacrificijs illatus eſt: futurus vtique poſteris documentum, etiam Principibus viris gloriæ tri-

tribui ſanctitatem. Rector ægrè patiebatur iacturam iuuenis, qui ità eminere viſus erat, & ex quo vtilitas magna oboriebatur prælectionibus pijs, quas habebat in Templo feſtis diebus, non minore plauſu, quam fructu ſuper Pſal. *Qui habitat.* Quarè certum habuit tentare omnia, ne ipſum dimitteret. Hyems erat, & iuueni naturæ vis imbecillior. Ergò Medicorum ſuper eâ re conſilia primo audit; poſt Præpoſito Generali, Medicis perſuaſionem eſſe ſcribit, certo periculo valetudinis cum Roberto agi, ſi alieniſſimo anni tempore daret ſe in viam, præſertim in Alpium iugis, vbi niuibus, & triſti gelu omnia inhorreſcerent. Addidit rationes alias, quas ſuggerebat proprij Collegij bonum, poſtremò Academiæ totius deprecatur orbitatem. Litteræ redditæ, tametſi vehementiores, haud potuere conſilium immutare, altioris prouidentię, quâ Deus Robertum in Septentrionem depoſitis Eccleſiæ partibus ſaluti futurum adducere diſpoſuerat; quò in ijs regionibus, in quibus Hæreſis virus ſuum effuderat, tanquam Medicus adeſſet, inſpecturus vtique vulnera, eiſque dein ſcriptis ſuis meditatas curas adhibiturus. Ipſe interim, conſcius vbi primum factus eſt eius deliberationis, non in querimonias ſolui, quòd tantùm aditurus iter: ſed ad incommoda, laboreſque adeò illi ſuperfuit animus, vt de Rectoris reſponſo condocefactus, ſtatim, quia cuperet curſum obedientiæ nullatenus prępediri, litteris ad Præpoſitum Generalem da-

 tis,

tis , rogauerit , vt ne quidem ſpectata hebetudine virium ſuarum decerneret,quod luberet,& quod diuinę gloriæ magis ſeruiret. Imò nec tùm ſe quicquam aliud morari , niſi quod dimiſſionis epiſtolam non accepiſſet. Cæterum , ſi obedientiæ voluntas ea foret , etiam dùm ſæuit brumæ tempus , & niualis rigor , ſe confeſtim, adeò vel per iuncta cęlo Alpium iuga tranſiturũ; & occaſiones obtemperandi præcipere mallet,quàm expectare. Grata in Vrbe ea oblatio ad aram obedientiæ; nèc fuit ex Patribus, qui non intelligeret , quàm à priuatis rationibus procul eſſet is , qui præſens commodum , & adulantem famam nè aſpiceret quidem; ſed ſequeretur properè Deum. Quarè epiſtola Rectoris expeditionem diſtulit,non diſcuſſit: nam, re communiter deliberata , tantùm hoc Patres cauerunt , vt Robertus , nè valetudinis diſcrimen adiret , Patauij expectaret, dùm ſe vis anni prægelidi frangeret , & quamdiù clauſę hyeme Alpes eſſent. Poſt igitùr, miteſcente hyeme, Româ monuere , vt Louanium proficiſceretur cum P. Iacobo Belgâ, qui Mediolani tum erat. Et quidem Veris temperies idonea itineri,vię aſperitatem,aut leniuerat,aut ſubmouerat omnem; non ei tamen ideò ſecuritas; nam erant infeſtę cędibus,&latrocinijs vię,propter tranſitum legionum,quę ex Germaniâ à Principe Manfredoniæ in Gallias traducebantur, in quas Robertus neceſſariò incurrere debuiſſet. Nihilominus difficultates,atq; diſcrimina cõtemnens ab

animi

animi fiduciâ in Deum, cuncta, quæ moram facerent expunxit, vt, dictâ profectioni die, paratus inueniretur. Antequam migraret tamen, reputans, quã multa poſſent accidere improſpera, inſtitit orationis ancorâ firmari: & ideò in genua prouolutus ante aram. En ego,
„ inquit, duce te, Deus, iter ingredior, & te vocantem ſe-
„ quor. Eſto: diſcrimine vario poſſim opprimi; ſed ani-
„ mum induxi periculo me nulli ſubtrahere, certus cun-
„ cta te diſponente agi. Imò ex penitis ſenſibus cordis
„ vitam hanc, & ſi quid eſt in me reliqui, tibi de-
„ uoueo. Tu de eâ tuo arbitratu diſponas; cùm nihil
„ meorum iam ſit meum; ſed, ſicut tuus viuens ſum, ita
„ velim tuus emori. Vita ipſa me non delectat, niſi vt
„ ſeruiat tibi animus meus, qui finis es, & terminus ſpei
„ meæ.

Et verò iuuenis pius locum, quem votis occupauerat, non priùs deſeruit, quàm receperit, ex Dei quaſi reſcripto, conſolatorias animæ, arramque futurorum. Siquidem fiduciâ plenus, iter arripuit: & Mediolani P. Iacobum Belgam, & comites alios quatuor honeſtiſſimos reperit, ex Hiberniâ vnum, & ex Britanniâ reliquos, interque eos Gulielmum Alanum Orbi notiſſimum virum, ob claritudinem purpurę, quâ fuit ornatus: ſed magis ob ſplendorem virtutis, cuius haud famã habuit ſine merito, molitus ardua pro ſalute Patrię, ac dignus, qui in eâ Religioni cadenti colũna ſubſtitueretur. In hoc comitatu Robertus multo maximã partem

partem itineris confecit,& ſecurus vbique, tegente latus eius Numine, Louanium, anno ſal. M. D. XIX. valetudine integrâ peruenit.

In hac Ciuitate Apoſtolico muneri fecit initium, feſto die S. Iacobi Apoſtoli, & res noua viſa eſt pro ſuggeſtu concionabundum aſpicere iuuenem, nondum Ordinibus ſacris inſtructum : quod celari non poterat, cum conſuetudo ibidem ferat, vt ſacri Concionatores è ſuperiore loco dicant cum Sacerdotali ſtolâ, quæ collo circumducta, & æqualiter pendula, per vtrumq; armum in pectus, & ad genua vſque demittitur. Hac verò ipſe inornari prohibebatur; quia Sacerdotum illa geſtamen eſt. Sed ſcripſere Patres Generali Præpoſito, quò ei ad ſacros Ordines aditus pateſceret, tùm vt conſuetudo ea decens cuſtodiretur; cùm verò, vt eſſet in dicente auctoritas maior. Euoluti menſes aliquot, priuſquàm res decerni poſſet; moramque fecit: quoniam eâ tempeſtate Sacerdotes omnes in Societate ad vota Religioſæ profeſſionis adigebantur, ex diplomate PII V. quod diploma poſtmodum flagitante Societate vniuersâ, GREGORIVS XIII. quia ipſius inſtituto, ac legibus minimè congrueret, abrogauit. Poteſtas accepta eſt nihilominus tempeſtiuè : cùm inſtaret triduale ieiunium Veris, inter ſolemnia Cineralium. Sed primo è ſacris Ordinibus, qui Sacerdotio præparant viam , initiari etiam ipſe eâ conditione debuit, vota vt nuncuparet profeſſionis

tria, tempore dein apto, quartum additurus. Erat tùm Louanij Epiſcopus nullus, ideò Leodium contulit ſe, vt in triduo illo ieiuniorum Tonſuram primam, minores Ordines quatuor; & eum, qui è ſacris Ordinibus eſt majeſtate vltimus, inauguratione primus, acciperet.

Poſt Gandauum proficiſcens, ibi per impoſitas manus Cornelij Ianſenij Scriptoris commentariorum, ſuper diuinos Hymnos, primò Diaconus ſabbato, *Sitientes*, quod appellant: deinde Sacerdos, pridiè triumphalis celebritatis Chriſtì Reſurgentis, inauguratus eſt. Indidem Louanium regreſſus, die Dominica quæ *in Albis* nominatur, accinctus habitu pomparum, ariſque operans, inter compoſitos modos, mouens etiam ipſe plectra oris, & cordis, rem diuinam decantauit. Et cùm ad ſacras has primitias offerendas Deo ſe miris modis adornaſſet; credi vix poteſt, gratiarum cœleſtium quàm ingens modus tùm in eius animum deſcenderit. Auctus Robertus itaque honore Sacerdotali, atque appellatione Patris, ſenſit ſtimulos noui gradus; & iam acriùs perpellebatur, vt Deo adhæreret adhuc arctiori nexu, & vt, ſortitus non vni ſibi vacantem animam, magis prodeſſet cunctis.

Auctoritate maiori continuans miniſteria diuinæ vocis, prò Æde S. Michaëlis à populo adeò frequenti audiebatur, vt permixta omnium ætatum, ordinumq; multitudo, dum egrediebatur, totis, quantum duabus

magnis plateis ſpatium eſt effunderetur. Aberat ea Ædes ſatis procul; nihilominùs ibat ipſe in aditu, & reditu pedes.

Incurrit aliquandò in virum grauem, qui miſcere ſermones in viâ cum ignoto cœpit: quia Concionatorem è ſuggeſtu æſtimauerat ſtaturæ grandiùſculæ, quàm appareret ex æquo loco; & diſſipatus erat in vrbe rumor, Concionatorem miſſum ex Italia, non doctrinâ modo, & eloquentiâ; ſed & corporis mole magnum eſſe. Is ergò de Concionatore ſerere multa: & quidem recenſere primò, quæ memorarent in laudē eius certatim omnes, & quæ perſuaſio de illo penès Academiam, quæ penès vulgus eſſet: commendare pietatem in eo & orationis vim, quippè animam dicendi. Tùm de conditione ſtudiorum eius: qui vir eſſet; quod genus; quæ patria, rogitare. Robertus reſponſis ad modeſtiam compoſitis homini vtcumque ſatisfecit: nam ignotus adæquè, atque inuitus intererat famę ſuæ. Sic dum ambo lentè iter ducerent, alter reputans, ægrè ſe habiturum in concione frequentiſſimâ locum; niſi quantùm extendere iter poſſet, progrederetur, comitem poſt ſe relinquere ſtatuit. Cui dùm valediceret: adhortatio erat, adderet gradum; maturato opus eſſe, vt in concione locum habere poſſet. Tùm ei Robertus leniter: Fauſte, inquit, abeas: deeſſe mihi haud ſanè poterit locus meus.

Pro ſuggeſto, tametſi impetu illo, quo Spiritus Sanctus ei dabat eloqui, ſereret ea, quæ vulgi exciperet intelligentia ſimul & admiratio: non propterea ex eo populi, aut numero, aut plauſu lætabatur: ſed quòd audiret voces ſuas animis magis, quam auribus admitti, & fructum afferre, quem expetunt, qui non ſeipſos prædicant, ſed Chriſtum Crucifixum. Triumphabat nimirùm, conciones ſuas à pleriſque non facundiæ fatuam commendationem, aut ſteriles plauſus; ſed referre ſuſpiria, gemitus, anteactæ vitæ deteſtationem.

Huius rei fecere fidem cõfeſſiones frequentes multorum. Plurimi enim ſic audiuere admouentem animis orationis lumina, vt per hæc agnouerint conſcientiæ ſuæ inueterata vulnera, & pro eis curandis Medicos animę conſuluerint. Contigit hoc præcipuè; cùm de vitæ noſtræ communi exitu diceret, in anniuerſario die cõmemorati obitus omnium Defunctorum. Similis ei voluptas, dum Hęretici in gratiam cùm Eccleſiâ Catholicâ redibant: vt factum eſt imprimis octaua die ab Euchariſtiæ celebritate: adeò, claris, & confertis Diuinorum librorum, atque ſanctorum Patrum teſtimonijs oſtendit, Chriſtum eſſe nobis verè præſentem, inter ſpecies illas panis, quibus priùs materiata ſubſtantia tegebatur.

Frater Andreas Wiſſe Eques Ieroſolimitanus, & Magnus Prior Britanniæ, teſtatur auditum à ſe

Louanij Bellarminum in Auditorum maiore frequentia, quàm pro Ædis, in quâ diceret, laxitate. Quin & ex publicâ famâ refert, Hæreticos à Batauorum finibus, & ex Britanniâ ad audiendum eum ſolitos confluere, ex quibus multi tandem conceptum virus reuomuerunt. Hæ conciones verò editæ in lucem fuerunt ab illis, qui eorum exempla diù apud ſe cuſtodierant. Legi quippè in epiſtolis varijs, in quibus de ipſis fit mentio, non actuarios modò pugillaribus, & palimpſeſtis verba dicentis ſubſequutos in Templo eſſe: ſed Bellarmino ipſi neceſſarium fuiſſe eas, ita vt erant exaratę, multis deletis, inductis, ac ſuperſcriptis, mittere ad Monachos Parcenſes Ordinis S. Norberti. Qui exſcriptas eas ab exemplari legebant in communi triclinio ſuper menſam ad epulum animæ: ne fraudarentur fructu adeò magno: quandoquidem horis concioni datis, in Odeo ipſi canticis ſacris diſtinerētur. Continuauit in Eccleſiaſtis munere ſexennium, cuſtoditus perbenè à Patribus Belgij, nè, quia propter eius famam expetebatur, poſtulabaturque Lutetiæ Pariſiorum in Gallijs, & in Italia Mediolani à Sancto Carolo Boromeo, carere deberent dulci poſſeſſione viri vſque eò eminentis, quà ſapientum in exedris, quà in ſede ſacra cœleſtium eloquiorum. Atque hic exitus concionum, ob quas ita Louanium miſſus erat, vt deberet ſimul Sacræ Theologiæ partem doceri, quàm & ipſe didicit celeritate mirabili: annū dumtaxat ei rei priuatim indulgens, publicè morum Magiſter.

Sed vti rarò ſumma ingenia diu latent, breui agnouere Patres, ingenio prę́ſtanti ſuperuacaneam eſſe operam docentis. Quarè inuitarunt potiùs, vt doceret ipſe alios Doctrinam ſacram, etiamſi quæſtiones non ita multas, hoc eſt ex Primâ tantùm, Tertiâq́ue Parte S. Thomæ audiuiſſet. Poſtulatio hæc audax, quæ alium, ingenio quamuis præcellenti terruiſſet, Bellarminum haud expauefecit; ſiue quia didicerat exemplis varijs, quid labor, quid aſſiduitas poſſit; ſiue quia turpe, & alienum duceret, non obſequi dicto citiùs imperanti; ſiue demum quia ad id ſe perpelli, quodam interiori motu animi, cuius haud dubiè Deus auctor erat, etiàm tùm experiretur. Doctrinam igitur de Deo orſus eſt profiteri anno M. D. LXX. menſe Octobri propè à Kalendis: primuſq́ue è Societate fuit, qui initijs proſperrimis in ea Ciuitate ſapientiam ſummam docuerit. Vt meritò Academia illa, ſe Bellarmini doctrinæ, ac nomini, & honorem contuliſſe, & accepiſſe viciſſim, glorietur. Inſtabat itaque nouus labor, nihil ille remiſerat prior, & ſic ipſe ſimul conciones habuit, ſimul & Theologiam docuit, vt ex ſeptennio, quò vixit Louanij, annum primum ſolis concionibus; ſolis prælectionibus Theologicis annum vltimū dederit; complexus quinque intermedijs munus vtrumque tàm dicendi, quàm docendi. Tractationes ex P. Pᵉ. illuſtrauit bienniò: vno anno eas quæ in Pᵃ. IIᵃ.: & quæ in alterâ IIᵃ. rurſus biennio: anno vltimo in-

inchoauit, nō abſoluit Quæſtiones primas P.[is] III. In quo anno, quia tot laboribus fractæ attenuari eius vires cœperant, vt vita eius ſenſim deſtrui videretur; tametſi animum inuictum curæ tot non obruerent, leuatus eſt munere concionandi. Rumor, quem excitauerat in tradendâ Theologiâ auditus eſt adeò latè, vt ferè fidem excedat. Octauius Bandinus Cardinalis refert, cùm iturus adoleſcens in Gallias, ſtudiorum causâ eſſet, ſe à Cardinali Commendonio monitum, Louanium iret potiùs, vt Bellarminum Theologiam illic profitentem opinione ſecundiſſimâ audiret. Et eâ famâ ſunt euocati plurimi è diuerſis partibus, tùm Catholici, tùm Hæretici. Ex hac verò ingenij laude, & quia vir erat modeſtiâ etiam, quàm doctrinâ inſignior, in Academiâ occupauit honores primos: cum quâ nec vlla fouit opinionum diſſidia, habitus ſemper ab omnibus Magiſter.

Hoc tempore ratus, haùd prodeſſe parùm ad Scripturæ ſacræ cognitionem, ſtudere Hæbreis litteris; in eam curam ſe coniecit, inſtitutus per initia ab Ioanne Arlemio Societatis Religioſo, qui & peritiſſimus eius linguæ, & Bellarmino erat probitate ſimillimus. Pòſt regens ipſe ſe in ea ſtudia, abſque alîus adiumentis, breui adeò profecit, vt potuerit linguæ eiuſdem tradere præcepta multò ſanè faciliora, quàm ad eum diem vlli tradidiſſent: quæ typis edita, ſunt trita iàm manibus addiſcentium. Auctus eâ peritiâ, atque è nu-

è numero illorum, quos Antiſtites habet Diuina Sapientia; nihil habuit tàm proprium, quàm vt inuitaret alios, quò eadem & ipſi ſectarentur.

Nonnullis verò exiſtimantibus, operam eſſe laboris perpetui, diſcere pronunciandas voces aſperas, anhelas; confragoſas, & quæ ſtrepitu imi gutturis formarentur; paratum ſe inſtruere quemlibet pronunciauit, intrà dies non ampliùs octo, eâque notitiâ, vt poſſet per ſe, tantùm adhibito codice vocabulorum, eius linguæ Scriptores deinceps intelligere: adeò non erat ad cognoſcendum difficilis. Neque abfuit promiſſis fides: vt etiam hinc deprehendi queat; non vtique à vero diſtare, quod de Bleſilla ſcribit Sanctus Hieronymus, Hæbreorum ſermonem, non menſibus, ſed diebus paucis eam didiciſſe. Ergò, vbi timidiores quoſque animauerat, cœpit, per imaginem Academiæ, in linguâ Græcâ, & Hæbraicâ plurimos exercere, vt haberent ſui ipſius Auditores, Diuinam Sapientiam ex fontibus ipſis vndè diſcerent.

Neceſſitas docendi, quæ ipſum nemo docuerat, & vis ingenij acerrima; memoria inſuper tenax, ac ferè perpetua; continuatio demùm diutina ſtudiorum, cauſæ fuere profectus huius admirandi. Et verò fit quoquè credibile, profectum eundem, ac tantum doctrinæ lumen donum fuiſſe, deſcendens à Patre luminum, iuxtà dictum illud Scripturarum.

Qui

Qui indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter. Sanè cum humanæ mentis ea ſit imbecillitas, vt plura eodem tempore vix, aut ægrè ſufficiat: haud ſatis mirari poſſumus, quo pacto intentus aſſiduè animus in tot munia docendi, concionandique, & confitentes audiendi, hæc obire ſingula potuerit perindè, atq; ſi, nunquam libatis viribus, ad eadem accederet: legere inſuper Patres omnes, ac partem maiorem Auctorum, qui de ſacrâ doctrinâ ſcripſerunt: euoluere volumina Conciliorum; vel qui ſummatim ea referũt? molem etiam Pontificij Iuris, & quæ in Eccleſiaſticis hiſtorijs traduntur; idque ſeptennio, quò apud Belgas fuit; quorum tamen auctorum numerum ſi quis cum totius vitæ annis conferat, ætatem vltrà putet. Neque modò accuratè legit; ſed, & profundè penetrauit, deditque de omnibus iudicium certum; quod apparet ex libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, in quo cēſentur Auctores circiter CCCC. Tametſi verò aliundè colligi poteſt, librum eundem, quantùm operis eſt, totum ab eo ſeptennio natum eſſe: veritas huius rei adhuc peti ab his poteſt, quæ Bellarminus in præludio Catalogi narrat his verbis.

Ante annos circiter quadraginta, cùm me ad ſacram Theologiam in ſcholis explicādam compararem, in lectionem veterum ſcriptorum non indiligenter incubui: tùm vt eorum doctrinam haurirem: tùm vt legitima, & vera eorum opera à falſis, & ſuppoſititijs ſepararem. Itaque ſcripſi libel-

libellum de Scriptoribus Eccleſiaſticis, additâ cenſurâ, quâ notabam, quæ illorum opera eſſent certa; quæ dubia; quæ manifeſtè ſuppoſititia. Hic meus liber; me partim neſciente; partim etiam nolente, & prohibente ad manus multorum deuenit. Quarè, ne fortè poſt obitum meum in lucem edatur imperfectus, & mutilus; vt ſolent eiuſmodi libri frequenter emitti; eum in hac meá vltimá ætate recognoui, expoliui, & auxi, atque in lucem dare conſtitui, vt vel communi vtilitati deſeruiat; vel ſaltem inemendatus, & imperfectus neminem offendat. Hinc accommodari meritò iuueni Bellarmino elogium illud poteſt, in quo de S. Hieronymo iàm ſene S. Auguſtinus inquit. *Hieronymus Presbyter græco, & latino, inſuper & hæbreo eruditus ſermone: hic omnes, vel penè omnes, qui ante illum ex vtrâque parte Orbis de doctrinâ Eccleſiaſticâ ſcripſerunt, legit.* Vt gauiſus propterea ſim hoc idem ſentire de eo Deſiderium Cardinalem Scagliam; ſiquidem, & ipſe, *Bellarminus* inquit, *de re quauis datâ promere tam expeditè ſolet, quæ Auctores alij de eâ ſcripſerunt, vt laude conuenientiſſimâ dici poſſit, omnes penè ſcriptores legiſſe; ſicut de S. Hieronymo Diuus Auguſtinus, & de Diuo Thomâ Aquinate alij narrarunt.* Ità tùm, ex varijs quaſi elementis, congregauit ſibi materiam, vndè extrui ad admirationem opus Controuerſiarum poſſet, hoc eſt Propugnaculum, & Turris Dauid, ex quâ mille clypei pendent, & omnis armatura fortium, vt Hieruſalem noſtra aduerſus oppugnationes hoſtium defenſa

ſit. Quemadmodùm interpretatus eſt Cæſar Cardinalis Baronius, in Annalibus Eccleſiaſticis, ad annum Salutis LXXXIII.

Virtutis opinio, quâ in Belgio vixit; ac eius in Italiam reditus.

CAPVT IV.

INSISTEBAT Robertus aliorum beneficio, ſuique, & rerum ſuarum oblitus; cùm Præpoſiti Societatis, quorum intereſt ſubditorum æſtimare virtutes, monuere, vt Religioſam Profeſſionem quatuor votorum emitteret: id quod effecit, octauâ die, à celebritate SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, anno M. DLXXII. Ergò, quiâ Societas homines non niſi virtute eximios in ordinem Profeſſorum deligere ſolet: ſicut Bellarminum dixi Louanij venerationi habitum ob ingenij, & eruditionis famam: ità iàm aliqua ſubdam de eius alterâ laude, quàm à virtute promeruit. Si enim ſpectes, quãtùm in eâ profecerit; videbitur ſpatium cogitandi de ſtudio eruditionis non habuiſſe: cùm tamen, ſi conſideres præcellentem in ſapientiæ rebus, nihil aliud videatur, aut egiſſe, aut agere potuiſſe. Ab hac parte item ipſe videbatur is, in cuius, velut vnici exempli, mores ſe cæteri formarent: adeò nunquàm veſtigium, extrà viam virtutis, relinquere comperiebatur. Primarium

rium ſtudium, dùm alijs traderet Doctrinam ſacram, erat cordis cuſtodia; nè fortè animo innaſceretur tinea ſapientiæ, opinio ſui; quæ pietatem detereret paulatim. Id eſt aſſequutus tã pulchrè, vt obſtupeſcerent cuncti, concordiam raram prudentiæ ſummæ, & ferè pueriles innocentiæ. Ità ſe dicto audientem præbebat, ac ſi prudentiam penitùs exuiſſet. Virtus interim imperata exequentis, veluti pabulo nutrita creſcebat. Conſilium operis cuiuſque faciendi à Deo petebatur, qui & inſpector illius erat: eique vni ſi placuiſſet, ducebat, forè prorſus, vt tùm omnibus placeret. Ad eum finem concinnauerat ſibi, modum quendam breuem, iuxtà quem exerceretur; qui, inuentus inter eius pugillares, hæc habet.

Reputes, inquit, frequenter hæc tria. Primùm, à Deo quid velis; Secundùm, à te Deus quid velit; Tertiùm, quæ res impediant, nè hęc demũ exequi ſtudeas.

Deindè ſcopum addit, in quem debeant vires animæ collineare. Exerceberis, inquit, hoc ordine rerum I. meditaberis, & conijcies te in nihilum tui; quia non es veriùs, quàm es. II. conſtitues perfectè te exhæredem tui. III. Numini offeres te. IV. dedes te eidem Numini donum. V. dedicabis te, conſecrabiſque victimam, & ſacrificium. Poſtremò deſcendit ad leges quotidiani moris vitæ ſuæ.

Cùm experrectus lucem primam videris, ſubeat animum cogitatio, te in vitâ hâc peregrinari. Ideò

 nihil

nihil curandum, quàm vt itineribus tuis directè ad Deum abeas: talia verò meditans orabis, exoneret te Deus tuimet ſarcinâ graui; vt vacuo, liberoque ad eius voluntatem animo properes.

In meditatione, & in re diuinâ hoc age, vt cum Deo vnum ſis, & quam minimi pendas, ſi fortè in ſenſu animæ voluptas nulla.

Non ſit prolixior ad eam apparatus, ſed ſit contentione plurimus: æſtimes verò, non ipſum te illum eſſe, qui celebrat, ſed Deum, quem induis, & cuius, tametſi non pro menſurâ, perſonam imples.

Cùm ad tribunal mentis conſcientiam excuties, multus eris in caritate ergà Deum, & in noxarum diſquiſitione breuis, quam nil opus eſſe nimiam; ac poſt mergêris in rubro mari ſanguinis Chriſti.

Dùm te induis, aut nutris, dùm res procreatas alias vſurpas, præſentia vrgeat te Numinis, cui ſpecula vndè videt, ſunt ea, quæ ſunt: ſemper enim intrà nos adeſt; extrà nos nunquàm abeſt. Horis, quæ ijs veniam laborum ferent, meditare hilaris, atque affabilis eſſe, & cura, vt vis, intentioque animæ remittat ad obſequium Dei: eiuſdemque illuſtrationes cæles perindè, atque ſi ab illis obſcurus eſſes. Noctu, quandò cubitum ibis, cogites modum, quo ſuper Crucem Chriſtus Dominus membra reclinauit propter nos, & cures, vt te ſomnus occupet ſtratum ſuper eius pectoris ſanctiſſimum vulnus.

Ne-

Negotia demùm ne perperàm agas, ea incipies cùm fiduciâ magnâ, & mente in cęlum ſublatâ probabis priùs ad lumen Dei.

Atq; hæc pars aliqua deſcriptionis, quàm ſibi propoſuerat pro ædificio animę extruendo, erigendoq́ue: pro quo ei lenem aſcenſum res omnes aſpectabiles ad ipſarum Auctorem dabant, & is torrente voluptatis ipſum irrigabat, & impetu dulci fluminis lętificátis. Cõſolationes has, vt erat ab ingenio pius, velare nitebatur: ſed obſcurabat illas, non occultabat: quippe cùm eas vnuſquiſq; colligeret ex luce illa exempli, & concentu actionum virtuti conſonarum, quę iàm pridèm omnium animos ad ſe cõuerterant. Sed & Deus etiam opinionem eandem de ipſo interim confirmauit.

Erat in Louaniẽnſi Collegio, dũ ibi Robertus viueret, è Societate vnus, cui ab annis multis in crure vlcus, ac tabes. Medici, & Chirurgi tentauerant artis adiumenta omnia, vulnus non curauerãt. Æger proinde anxius animi, videns humanam curam morbi pertinaciâ ſuperari, reputare intrà ſe, num vir ſuppeteret aliquis, factus ad cor Dei, cuius impetratione ſibi ad ſalutem aditus panderetur: & dũ hoc ſecum agitat meditabundus, Bellarminus deprecator apud Deum impetrabilis viſus eſt, iniectaq; ſpes, fore, vt cõualeſceret ſtatim, ſi poſt ſacram exomologeſim, etiã ſinaxi ab eo reficeretur. Non fuit fides irrita: Rector libens permittit, vt ad Roberti aures conſcientiæ ſecreta deponat, atq;

vt eius manu ſanctiſſimam Eucharistiam ſumat: & ecce ſimul in crure ſanitas; attonito Chirurgo, dum poſt, biduo, triduovè tegi vulnus adſpicit viuâ, & natiuâ cute, nullo memori indicio relicto morbi tàm diuturni.

Dum hoc ipſo tempore à Sapientiâ diuinâ Dux tàm egregius abſoluebatur, vt ſub eius obtentu nominis vindex ille Eccleſię, ac Fidei Romanæ animus aperiretur tempore ſuo, varias in eis partibus Dæmon excitauit turbas. Damnauerat PIVS V. Pontifex aliquot pronunciata Michaelis Baij, viri cetera eruditi, atque primæ litteraturæ; quæ tametſi cenſura Apoſtolica in perpetuum aboleuerat, adhuc à nonnullis contemptim omnia eludentibus probabantur, aſſerebanturque. Veneno, quod accipiebatur incautè, & perniciosè inficiebat, remedium excogitauit Bellarminus, quàm potuit, præſentiſſimum. Nè ſerperet latiùs contagio eius mali, ſic apud ſe ſtatuit. Si contrà Baium apertè congrederetur, forè, vt qui ſectæ eius adhereſcerent, ſe hoſtis loco haberent, auerterentque à medicamento animum: ex quo non ſubſequeretur ſanitas. Igitur modus optimus, valetudinem inducendi in eos, qui nèc errores ſuos, nec remedia ferre poſſent, viſus eſt, ſi hominis commenta argumentis, rationibuſque conuelleret, ità circumſpiciens dicta ſua, vt maximè ab omni mentione nominis eius abſtineret: quia hôc præcipuè poſſe eorum exaſperari animos, ſentiebat:

ſcri-

ſcriberet verò perindè, ac ſi prodijſſent ea, ſiue olim, ſiue recèns ab Hæreticis. Ita ſalubri conſilio ſpeciem aduerſarij cœlans, ſimul hoſtibus ſecuritatem, erroribus interitum, veritati triumphum dedit.

Sed cùm frangere viribus ingenij eam vim potuerit; non ita ſedarę potuit impetum belli, atque armorum. Euenere anno ipſo, quo ſe religiosâ Profeſſione Deo mancipauerat, defectiones Vrbium aliquot Belgicarum à Philippo Rege eius nominis II. & fama erat Principem Auriacum ſuam inſtructiſſimam aciem, in eas partes effuſurum, vt Louanium vi occuparet. Quæ Ciuitas (quia nihil ſatis præparati erat ad vim, aut obſidionem tolerandam) parùm tuta videbatur. Diſiectis itaque metu animis, timorem augebat, quod Hæretici Caluiniani, quorum erat ingens colluuies in exercitu Principis, cum ſæuitiâ pro virtute vtantur, adhuc contrà Eccleſiaſticos viros furere immaniùs viderentur. Hinc Religioſi Ordines deliberarunt Louanium deſerere, dùm iàm ibi, vbique armatis diſpoſitis, fierent omnia caſtris, quàm vrbi ſimiliora. Conſilium laudabatur etiam, quòd hi ad militiæ munia inepti, nec vrbem tueri, & numero nocere rei frumentariæ potuiſſent. Dùm ea diſponuntur, fama nunciat hoſtem adeſſe propiùs, quàm timeretur, & ferè in conſpectu territæ Ciuitatis. Proindè Collegij Rector, æſtimans optimum factu, ſi noſtri quoque tempori cederent, ſeque impendenti periculo eximerent,

rent, mandat veſtem omnes mutent, & capillum reſecent; quò facta crinibus ęqualitas ſpatium in medio non relinqueret depreſſioris comæ, quæ, vt circino circumducto, ſtrictim attonſa, verticem coronat, & diſtinguit Sacerdotij regale genus. Pòſt nummorum eis aliquid diſtribuens, binos, ac binos dimiſit, vt ſi quomodo poſſent, in loca tuta commigrarent.

Hic Bellarmino frequens occaſio, vetera iterandi propoſita, confugiendique ſub alas Diuinæ protectionis. Duacum pedes cum ſocio, vitabundus iram hoſtium profectus eſt, viribus deſtitutus, & animi anxius: cùm incurreret in oculos vbique mors. Verùm nequibat inter hæc extrema perire, qui poſuerat Deum adiutorem ſuum, quantumuis vrgeretur rebus vltimò deploratis. Dum pergũt ambo, Robertus itineris continuati labore delaſſatus, & vix ſufferens anhelitum, colore mutato, propè linqui animo cœpit: ex quo vnà cùm comite hęſit aliquantulùm ſtratus ad marginem viæ regiæ, quæ res haud periculo aberat. Ibi cùm fortè oculos tolleret, ſitum ſe animaduertit ſub Reorum patibulo, quòd paſſim publicis vijs ad facinoroſum terrorem, aut pœnam ſtatuitur. Tùm verò viſa ſunt parata omnia, & ſi hoſtes ingruerent, ſuppetere inſtrumenta Martyrij. Quarè bono, inquit, animo ſimus; nam, vt quidem interpretor, ſuſpendium hoc ceruicibus noſtris vacat. Interim curſu incitato, & fugæ magis, quàm itineris modo Rheda veniebat: ſubſidium

de

de Cælo, vt Robertus neceſſitate illâ ſe euolueret. Qui vehebantur, vitare etiam ipſi Principem Auriacum, communem hoſtem: quippè aduerſæ factionis, quanquamHæretici eſſent. Ergò cùm ad locú deuenere, vbi Robertus feſſus viâ procubuiſſet, conſiſtunt, deq; eius defectione rogant. Rhedarius erat catholicus, & probus, hereticiſque infenſus: & quià quotidiè conſueuerat pridèm rei Diuinæ intereſſe ſemel; iam ad deteſtationem hæreſum decreuerat bis eidem interuenire; Sacerdotibus verò prodeſſe pro ſuâ inopiâ, eo quòd in eos omnis crudelitatis exemplum ederent hoſtes. Vt cognouit itaque, eum, quem ita motus, & vires deſtituerant, Sacerdotem eſſe; tametſi vulgi veſte amiciretur, obueniſſe occaſioné ratus, quam optauerat: haud paſſus eſt in campis obnoxiam hoſtibus ducere animam: ſed inRhedâ locum, vbi aſſideret, vltrò dedit, & per amoris officia omnia, ad tuta deuexit: & ſic ipſe euadens, Duacum venit. *In quâ* Ciuitate, etſi peſtilentiam offendit, commune malum; haud permiſit Deus, eum inquinari contagio, manſitque; donec impetus ille hoſtium, obortus repentè, veluti turbo caderet; poſteàque ad labores priſtinos remigrauit.

Id, à Cardinali Bellarmino cùm inter priuata colloquia Cardinalis Creſcentius audiuiſſet, tanti æſtimauit, vt, ad vitæ eius venerationem addito iure iurando plura teſtificans, in fine habeat Fuit quidem miraculo prouidentiæ à morte ſeruatus, ſed non frauda-

„tus gloriâ Martyrij, cuius occaſionem animo tàm ala-
„cri arripere non dubitarat.

Tandem, etſi Louanij laboribus aſſiduis illud promeruerat, vt certatim à Noſtris domi, foris ab externis omni ſignificatione honoris, ac beneuolentiæ cohoneſtaretur; tamen, quia ita erat in deteriùs eius prolapſa ſanitas, vt Medici renunciarent, abſquè certo diſcrimine haud ibi poſſe ipſum diutiùs morari, religio fuit ijs, qui Collegio prçerant, iactura hominis, ex quo ſperaretur in res communes vtilitas tanta. Ad Generalem Præpoſitum ergò dedere litteras, vt ipſe ęgreſcentem reuocaret in Prouincias noti, & familiaris Cœli. Cùm in Belgio itaquè fuiſſet ſeptem annos, prorſus vt initio prędixerat, ex domicilio, in quo tantum amoris, opinioniſque collegerat, reparandi causâ hebetes vires, à Maioribus ſuis Romam auocatus eſt. Sed famâ manſit tamen, manebitque perpetuò: & adhuc Louanij, in loco Sodalitatis omnium Sanctorum, cathedra eius, in tanti viri memoriam cuſtoditur.

Erat illi neceſſarium iter per Regiones, in quibus, quià graſſabatur Lutherana, & Caluiniana peſtis, videri debuiſſent religionum habitus, & Sacerdotale nomen odioſæ res. Ideò ſuaſere Patres, vteretur communi habitu forenſi, & cùm viatorio ornatu, quò Laici ſolent, ſe itineri daret: nempè ſuccinctus ferro, & ſuſpenſis circà nodũ ephippij fiſtulis è chalybe, quæ per anguſtam viam ab ictâ ſilice ignem accipiũt, & plumbeas

beas glandes momentò ad deſtinata traijciunt.Sic diſſimilem virtuti ſuæ indutus habitum, vrbem vix erat egreſſus, cùm comites habuit Hęreticos neſcio quos, qui & ipſi, vt Italiam viſerent, idem iter auſpicabatur.

Hos, vt ingenium ei conciliandæ gratiæ, & promerendis animis mirè efficax fuit, ſermonibus varijs, facilè in amorem ſui, admirationemque perduxit. Maluit verò ab eis appellatione Romulus nuncupari, nec falsò: ex tribus enim, quibus fuerat à baptiſmate ſalutatus nominibus, vnum id erat. Illi dulcedine illecti conſuetudinis eius, Romulum ſuum viæ Arbitrum, ac Regem ſtatuerunt: ſed ipſe hoc agebat induſtriâ magnâ; nè ſe Sacerdotem proderet: & parte ex aliâ vrgebat diuini officij penſum. Hora cùm appeteret, ſtimulos equo ſubdebat, vt, quantum poterat, effuſiſſimis habenis anteiret, dictitans interim iocò, ſe itineris Regem præcurrere, vt ſecuri de viâ comites redderentur. Ità dum lentiùs adequitarent alij, librum è conditoriâ thecâ extrahebat, perſoluebatque tributa horaria Deo ſuo; ac poſt reductis habenis, comites vectatione leni opperiebatur. Exceſſerat his cuſtoditus modis Alpium iuga, valetudine nihilo melior: ore ac membris adhuc in eum pallorem albentibus, vt facilè appareret, naturæ detractum eſſe omne, quod roboris, quod floris erat. Secùs, cùm incurrebant Italiæ colles, campique, & aſſueta oculis regio, & Cælum, ſub quo natus, educatuſq; eſſet: tùm enim exhilarari ſalu-

 briùs

briùs, atque in dies valere proſperiùs. Genuæ comites in meritoriâ domo reliquerat, excuſatione vſus, quod deberet ad amicum diuertere: & ſic ad Collegium venit, vbi à Franciſco Adorno, Præpoſito Prouinciali Societatis IESV, hoſpitali caritate exceptus, ſeponere tutò veſtium omnem ſimulationem potuit.

Sequens cùm reluxit dies, dùm aris ipſe operaretur, Hæretici comites eius, per vrbem, vti fit, ſpatiabantur, & ingreſſi fortè templum, vbi eum reſpexêre perlitantem aris habitu ſacro, dixêre admirabundi, *ergò heri noſter Romulus profectò factus eſt Ieſuita.* Reliquo in itinere monitus eſt, vt Mediolanum declinaret. ~~Enim verò~~ Etenim, quia vt dixi, eius præſtantiæ fama non Belgij ſe finibus tenuerat, ſed Gallias quoque, Italiamq́, vniuerſam peruaſerat; metuerant Patres, ne Carolus Boromeus Cardinalis, & Ciuitatis Antiſtes penes ſe concionandi causâ ipſum attineret; ſicut flagitauerat ſæpè; quæ res indicium fuit opinionis magnæ, quâ, ab vſque ætate illâ, ſanctiſſimus, & vigilantiſſimus Præſul Bellarminum honeſtarat. Politianum ergo ad patrium ſolum venit; non tàm, vt componeret res domeſticas neſcio quas, & vt ſolaretur ſuos id obnixiùs petentes; quàm vt corporis pridem affecti ſanitatem reuertentem in Patriâ confirmaret. Quod vnicum Medici credunt, aduerſus inueteratas ægritudines, remedium eſſe. Intrauit in Vrbem expectatiſſimus; eoque gratior

tior eius conſpectus fuit; quod cùm raras ab eo litteras domeſtici,ex quo exceſſerat finibus Italiæ,ſuſcepiſſent, ſæpè eum comploraſſent, tamquàm ab odio Chriſtianæ Religionis enectum inſaniâ hęreticorum: vt eſt proiectus amor ad credendum æquè bona, quæ ſperat,& mala quæ metuit. Confluere tùm affines,& amici omnes; reditum gratulari, & miſcere ſermonibus omnem beneuolentiæ modum. At ipſe nihil flecti blanditijs interim: ſed tractare negotium animæ, & per omnia veram exhibere ſuis, & ciuibus caritatem. Ab hâc tantùm caritate inuitatus, poſteà in Politianum redijt: vt cùm ægrâ decumberet Hieronyma Bellarmina eius Amita, & Thomas Bellarminus Frater.

Quo tempore,primę quia vis ingraueſceret morbi, adeò vt actum de eâ Medici pronunciarent, indicauit ipſemet imminentem obitum, & in eo vitæ poſtremò actu, qui ſi decorus eſt, quidquid animus fecerit anteà,delet,& honeſtat, adhortatus eſt, vt in Cœlum itura,muniret ſe ſacris Eccleſiæ adiumentis. Dein perpetuò, dùm expiraret, aſſedit, ac pro animâ etiam, vt placidè quieſceret, piacularibus ſacris Deo pluries litauit.

Narratur quoque, vt Fratri prodeſſet, qui breui conualuit,noctem totam fuſus in preces perſeueraſſe, impetraturus, vt vis morbi remitteret; ſi hoc in Dei honoré cederet,atq; adeò in ipſius met fratris bonum.

 Et

Et, tametſi conſtet, ęgreſcenti curam omnem adhibitam, relinquitur locus piæ perſuaſioni, violentum morbum efficaciâ etiam ſupplicantis cœptum imminui. Nam à nocte illâ, cùm primùm diluculauit, abſciſſa febris vehementior; & tantùm æſtus noxij veſtigium aliquod reliquit. Sed, vt ad priora redeam, eo interuallo, quo, rediturus Romam, in Patriâ fuit, Sorores duas, quæ domi ætate nubiles, rogauit ſeriò, expromerent liberè, vtra inſideret menti procliuitas maior, ad virginitatem, an ad nuptias? & hoc, vt cognati de ipſis grata decernerent. Inter has verò fuit Camilla Bellarmina, cuius hæc ex ore, & fide accepimus. Adhortationes inſuper pias ad ſacras Virgines habuit, eiſque confitentibus aures dedit, præcipuè verò Virginibus S. Bernardi. Deniquè, cùm nemo ad ipſum accederet, qui non rediret innocentior, expeditus Patriæ curis; colore, & viribus melior, cetera optimus, Romam peruenit; vt non poſſet Ciuitas abſcondi ſeptem ſuprà Montes poſita; atque vt lucerna ardẽs, ac lucens, ſuper candelabrum ſita, confulgeret omnibus, qui in domo ſunt.

Con-

Controuerſias Fidei Romæ, vniuerſali cùm plauſu, explicat.

CAPVT V.

INter Apoſtolicas ſollicitudines, in quibus ab vſque ineunte Pontificatu ~~Principatu~~ GREGORIVS XIII. glorioſi nominis Pontifex, animum Patris gerere in Principatu viſus eſt, haud poſtrema fuit id moliri, vt quas Nationes hæreſi corruptas viderat, eas reſtituere caritate, & magnificentiâ ſuâ conaretur. Plura ad eum finem in Vrbe Collegia, & Seminaria erexit, vt in eis gentium diuerſarum ingenia ritibus religionum inſtituerentur: quò nimirùm ità Prouincijs eo contagio deprauatis occurri aliquandò poſſet. In ijs exequendis conatibus immortali cum gloriâ, & fidei incremento conſtans, anno M. D. LXXIII. opus auſpicatus eſt Romæ à ſtabili, & locupletiſſimâ fundatione Collegij inclitæ Nationis Germanorum: in quod acciri voluit poſtmodùm, numero benè magno, nobiles, atque delectos iuuenes, ingenij, naturæque laude præſtabiles, ac de quibus inpoſterùm opinio ſumma; quò ipſi, prò capite, atq; arce Eccleſiæ vrbe Româ, arma lucis induerent, contraque peruicaciſſimos omnium, & religionis quotidianos, vt ità dixerim, hoſtes ſic certarent, vt vincerent, quandò in Patriam milites fidei regrederentur. Vt mentem hanc animæ magnæ Præpoſiti

Socie-

Societatis, quibus tantæ educationis cura demandata erat, quoad poſſent, proueherent in maius, decreuere in Romanâ noſtrâ Academiâ (quam ab eodem Pontifice Maximo, anno M. D. LXXXI. magnificentiſſimè fundatam, Gregorianam appellarunt) nouam prælectionem inchoari de Controuerſijs Fidei, vt miles nouitius, ac tyro, qui ad victorias Orbis formabatur, ibi omni armaturâ fortium inſtrueretur. Haud paruę iudicium rei Patres tenebat, qui vir optimus, & aptiſſimus ad opus foret tantũ, quantum vnius hominis ingenio vix peragi poſſe iudicaretur. Requirebat enim, non peritiæ vnius Magiſtrum; ſed cui linguarum potiſſimarum ſermo in promptu; hiſtoriæ vetuſtatis ad manum; temporis exacti ratio in numerato eſſent; qui demùm poſſet multâ luce, ſed tractu breui, explicabiliq; methodo, immenſum aliarum ſuper alias aceruatarum rerum cumulum diſponere, vera gradu ſtabili firmare, falſa impulſu lubrico demoliri. Ad id muneris, quod multò ſanè maximum, tametſi honorificentiſſimum erat, vnus Bellarminus idoneus viſus eſt, ac Magiſter tantæ inſtitutioni par; tùm doctrinæ opinione, quâ apud omnes clarus erat; tùm comprehenſione variâ multiplicis diſciplinæ: cùm mirâ cõſenſione dicerent cuncti, ſufficere vnum, ſi is Bellarminus foret, vt hoſtes fidei euerteret vniuerſos. Quemadmodum *vna mulier Hæbrea*, quàm Deus pulchritudine armauit, *fecit confuſionem in caſtris Holofernis, & in domo Regis Aſſiriorum.*

Huius, famæ itaque conſenſu elatus ad iuſtam fiduciam ſui, ſuccedenſque impoſito oneri, ſuſtentaturus Religionem & Cælum, labore inexplebili ſtatim aggerere coniunctim ea, quæ apud Auctores ſparſim legerat, quò in vnum corpus coaleſcerent omnia: ſed & Deum votis ſubindè implorare, vt doceret manus ſuas tractare gladium ſpiritus, quòd eſt Verbum Dei. Sic anno M. D. LXXVI. ad finem Octobris, initium docendi fecit, ac ſuperauit longè famam, cùm non intelligerét homines, quò pacto vnus animus rerum congeriem adeò fuſam, indigeſtamq; committere, atque diſtinguere illud permixtum cahos collidentium ſe inuicem ſententiarum potuiſſet; ità vt in lucem clareſcerent, quæ priùs quorundam ingenijs noctem offundere videbantur.

In diſputationibus, dùm ingeniũ pugnaret acriùs, reliqua pars animi moderatè omnia, & ſe victoriæ capacem, quàm auidam oſtendere. Suas ratiocinationes promens, per ſpatia illa mentis, quibus diſcurrere dicimur, incitatus, ac vehemens ità ferebatur, vt quiuis aduerteret hoc vnum adniti, vt veritatem aſſequeretur. Etſi verò pro tractatione Controuerſiarum hoc habuit primùm, & potiſſimùm, vt Diuinorum librorum oracula, Volumina Conciliorum, Sanctorum Patrum pronunciata adiret, conſuleretque: cùm occaſio tamen obueniret; ſatis oſtendit, quid poſſet in ſcholaſticis quoq; diſceptationibus. Cùm aliquandò de Trinitate

publicè aduerſùs P. Rutilium Ciamberlinum, virum vtiquè ingenio pręſtāti, diſſereret, P. Gabriel Vaſquez, qui certamini Præſes erát, demiratus argumenti acumen, & pondus, ac quantâ illud vi, atque arte contorqueretur, dixiſſe fertur, Ergò in ſubtilioribus his quæſtionibus ingenio eſt tàm acri, ſicut in re ceterâ, Bellarminus? Quę vox à viro egreſſa in eo genere opinionis tantæ, permagno vtiquè æſtimari debet. Contrà cùm obiecta refelleret, vires ei veritas, & ratio, non vaniloquentia, aut iactantia miniſtrabant. Narratur, cùm iunior tueretur Philoſophiæ propoſitas theſes, haud fateri erubuiſſe, deuictum ſe oppugnantis argumentatione; vſque adeò peruerſam recti verecundiam iàm tùm exuerat. Quin & magiſtro innuenti, vt eam partem raciocinationis negaret, in quâ pugnæ vis tota verteretur; dixit præcisè, tunc ſe prorsùs animo deſeri, cum neganda ſit cognita ſemel veritas, cuius ex eo loco propugnatorem ageret. Atque ità conſueuit deinceps ad poſtremam ætatem vſque, etiam quandò Bellarminus, ideſt Magiſter Orbis, venerationi omnibus erat.

Ex eo ſtudio veritatis naſcebatur, vt quicquid ingenio pareret, non ei lucem publicam daret, niſi longa conſultatione ipſe rem excuteret primus, dein iudicio ſubderet aliorum. Ex quo ſuſpexere in eo cuncti doctrinæ celſitudinem cum demiſſione hâc, quâ nimirùm, raro exemplo, cenſuræ acquieſceret penitùs

tam-

tametſi, vt occaſiones variant, ingenia diſſimilia ſæpenumerò ipſe conſuleret. In recognitione hac operum ſuorum vſus eſt omnium frequentiſſimè Mutio Vitelleſco amicorum optimo, qui nùnc Societati Vniuerſæ præeſt: ſæpè etiam Benedicto Iuſtiniano, & Andrea Eudęmon Ioanne, ab eo tempore, quo Mutius factus eſt totius Ordinis Præſes, idque veneratione ſupremi muneris, & occupationum maximarum, non auſus eum ab re communi deuocare priuatim ad ſua. Hi fideles monitores, & amici, vel ſyllabam vnam cenſebant liberrimè; tùm quia cuperent opera eius eſſe adeò compti ornatûs, qui neque næuum toleret; tùm quia ſcirent eius ingenium ad amicorum perſuaſiones factum, nèc ſolere monitoribus aſperum eſſe, vel repugnans; imò potiùs de re mutandâ ſtatim deliberare, dictorumque priorum obliuionem pati. Interdùm illud ſolummodò vſurpabat. Sentiebam ego aliter: ſed iudicium veſtrum optimum. Quinimò, ſicubi cenſura anceps foret, & ipſius meditationi relinqueretur, retineri, an induci res aliqua debuiſſet, ſeuerùs ſemper aduerſum ſe pronuntiabat. Clariùs, quanti æſtimaret, vitia ſcriptionis ſuæ (vt in proprijs quiſque rebus damnandis hebetior eſt, quàm in alienis) aliorum ingenijs explorari, quò dein expungi poſſint; oſtendit, cùm Benedicto Iuſtiniano explanationes in Pſalmos dedit, vt ab eo recognoſcerentur. Placuerant illæ quidem legenti, ſed ne amicum intrà pectus dumtaxat haberet,

vereri ſe, ait, ne à fine deficerent, quem eis optabat: proptereà quòd conciſæ nimiùm, & ſucci aliquantulùm aridi viderentur. Bellarminus cenſuram accepit, decreuitque typis opus ſubtrahere: cumque aliorum arbitria contrà operi laudem illam ominarētur, quam ei conſenſus Mundi poſtmodùm vltrò dedit, nihilominus fatigandus amicorum precibus diù fuit, antequam illius editioni aſſentiretur. Sed res, quam addo, longè aliter ceſſit. Capuæ ad populum Epiſtolas S. Pauli, ordine, quo in re diuinâ prælegi ſolent, ex ſuperiori loco expoſuerat, & cùm de ijs edendis cogitaret, Mutius Vitelleſcus rogatus Cenſor, poſt adhibitā volumini mentem, haud omninò probauit conſilium operis edendi. Ex eâ die opus lucem ampliùs nō vidit, cępitq; ſilentio perpetuo vrgeri; nèc adduci Bellarminus potuit, vt vel ipſe ad opus rediret animo, vel aliorū tentaret iudicia, quod Mutius impensè cupiebat. Sed ſicut amicior ei nullus: itā cùm illi res ſuas permiſerat, proprium iudicium de eis penitùs exuerat.

Tradunt plurimi expertos ſe id, neque perrarò, cùm Robertus ſuper opiniones Theologicas, vel ſuper incerta conſcientiæ conſuleretur, ire ſolitum in ſententias aliorum, haud ſecus, quam diſcipuli ſoleant, Magiſtri cùm adſunt, & definiēdo ipſi pronunciant. Hinc Andreas Eudęmon Ioannes, ex viri admiratione, ſingrapham ipſius attinebat penès ſe venerabūdus, in quâ cùm ei opera neſcio quę recognoſcenda tranſmitteret, his

his verbis vſus eſt. *R. P. Andreæ Eudæmon Ioanni, vt dignetur videre iſta ſcripta, & iudicare, vtrum ſint digna luce an tenebris.* Neque verò ſimulatè, aut per ſpeciem officij; ſed ſcribebat hæc ex animo: nam cenſurâ peractâ rogauit hominem ſeriò, vt promeret latentem animum, & tanquam fratri loqueretur. Quippè ſe non id petere, an opus famæ plus eſſet habiturum, ſed an ſperare fructum indè poſſent boni mores. Cùm ille, de fructu rem eſſe certam, de plauſu nutare in ambiguo, diceret; tùm ſubdidit ipſe, vt prodeſſe poſſim ſcribo, cætera, ſi punctum hoc tulero, iacturæ non vertam. Idem narrat, cùm aliquando Cardinalis atque ipſe de re propoſitâ fortè diſſentirēt, dubitareturque, vtram in parte pronunciaſſet S. Thomas, Cardinalem poſtmodùm, quia Auctorem illum euoluens reperit haud ſibi eum ſuffragari, ſtatim id amico per Epiſtolam indicauiſſe. Sed tùm maximè, aut nunquam aliàs, apparuit hæc eius virtus, quandò Volumina Controuerſiarum diſpoſita, vt in lucem edi poſſent, non modò æquanimiter, ſicut ipſemet deindè Benedicto Iuſtiniano teſtatus eſt, ſed cùm hilaritate etiàm paſſus eſt à Patribus Societatis in Germaniâ, circà aliquot paucu-las opiniones immutari, in ſpem fructûs inter Hæreticos vberioris. Quæ res cùm apud vulgaria ingenia etiàm, rarò, atque ægrè impetrari ſoleat, æſtimari poteſt, propè vltrà modeſtiæ fines eſſe in viro, qui in hoc genere ſtudiorum exceſſit æui ſui ſcriptores omnes.

Sin verò dogmata ipſa fidei, opinionesvè ab Auctoribus optimis, neque numero paucis depromptæ, vel etiam momenta rationum prima, quæ aſſenſu ſtabili, aut fundant verum, aut mores inſtruunt, eius in operibus cenſurâ notabantur; dici non poteſt, quàm ſtantem ſe, immutabilemque præberet. Clarè id adgnitum eſt in his, quæ euenere circà editas opiniones *De prædeſtinatione*, *De auxilijs diuinæ gratiæ*; deque obligatione, in pauperes diſtribuendi, quæ à cenſu annuo ſuperant. Sic gnarus in quibus oporteret, aut vincere, aut vinci, ſatis oſtendit ſtudio veritatis duci ſe, vt ingenium difficile, ac facile pulchrè ſineret ex ſolâ virtute variari.

Hinc æſtimabatur tanti, vt nemo eſſet animi tàm hebes, qui non miraretur texturam doctrinæ tàm operoſam, in modeſtiâ, ac demiſſione viri, qui æquè ſpontè erat omnium poſtremus, atquè neceſſariò omnium erat primus: difficili coniecturâ, vtra præſtaret in eo, ſapientia, an humilitas. Hinc Principes multi, & Cardinales eum adire, atque inuiſere frequenter; certi neminem ab eius alloquijs non reuerti meliorem. Georgius Radziuilius Cardinalis, dùm adoleſcens in Vrbe moraretur, quotidiè Bellarmini prælectionibus purpuratus intererat; aſſiduus vbi rem diuinam faceret; nèc rarus apud ipſum domi. Quod ipſum quidèm habet Bellarminus in epiſtolâ conſolatoriâ ad Ducem Radziuilium Fratrem ſcriptâ poſt eius

eius obitum. Sed maior adhuc opinio, ex quâ Cardinalis S. Seuerinæ Patronus totius Orientis, & caput Sacræ Inquiſitionis iterabat ſæpiùs, Societatem IESV habere neminem Bellarmino parem. Indè in conſilia ab eo adhiberi circà ea, quæ ſpectarẽt ad errores Orientalium Eccleſiarũ, & ad Tribunal Sanctum Inquiſitionis. Cardinalis à Monte Alto, qui poſteà XISTVS V. Pontifex, dùm operûm S. Ambroſij nouam editionem moliebatur, conſulto Bellarmino in multis vſus eſt. Poſſent eadem dici de Cardinalibus alijs magnis, Carafa, Geſualdo, Veronenſi. Cardinalis Valerius etiam ipſe refert, commeare ſolitos ad eum frequentiſſimos; tùm ex his, quorum in purpurâ eminebat, aut virtus, aut genus; tùm ex viris alijs primarijs, vt ſuper rebus grauiſſimis ipſum audirent: cùm referrent indè ſemper certitudinem, & æquanimitatem. Deniq́ue fiebat de re grandioris momenti, eo tempore conſultatio nulla; ad quám non accederet rogatus; recederet verò Auctor ſemper optimi, & is, in quo præcipuos ſe prudentię numeros inuenire, cuncti faterẽtur. Sedente GREGORIO XIII. Neapoli Romam acciri fæmina debuit cui per eos dies nonnullum erat à ſanctitate nomen: ſed quia in Vrbe illâ innouare neſcio quæ pertentauerat, apud Sanctam Sedem iudicium ſubitura vocabatur. Viuebat tùm S. Philippus Nerius, vnàq́ue Franciſcus Maria Tauruſius, qui poſteà purpuratus obijt. His, & P. Bellarmino demandata quæſtio illa interio-

terioris cauſæ, erantque omnes Iudices magni, vt, quibus nec excellens virtus, nec cognitio prudens deeſſet. Et cùm in vnam illi ſententiam conueniſſent, iuſſit Pontifex, vt fœmina Neapolim rediret; ſed abſtineret vſu vaticinij. Externis his teſtimonijs domeſticum poſtputare, nec poſſim, nec debeam, quod dubio procul magnum videri debet. Cenſura quærebatur Commentarijs Alphonſi Salmeronis viri doctiſſimi, & qui ex nouem primis Ignatij ſocijs vnus. Is, vt opus compoſuerat inter anguſtias primas Societatis, dùm à ſtudiorum ſede in ſubſidia ſæpè animarum diuelli cogebatur, Cenſorem expetebat, cuius iudicio inniti poſſe moles operis tanti crederetur. Inuentus nullus Bellarmino aptior: tùm parendi facultate, tùm verò doctrinæ comprehenſione variâ, propter quæ etiam à Salmerone nominatim expetebatur. Miſſus itaque Neapolim anno M. D. LXXIX. menſe Maio, intrà menſes non ampliùs quinque, Volumina illa ingentia euoluit perquam accuratè, æſtimauitque maturè omnia: prorſus vt feſtinare ad relictum opus videretur. Et quia, exactâ quauis die, adferebat Salmeroni, quæ putaret corrigenda, Auctor ſemper integram cẽſuram ad eum reiecit, certus, quæ notæ alicui ab eo ſubijcerentur, perfecti eſſe iuſtiſſimique ſenſus. Quarè periti litterarum Sacrarũ, Bellarmino operis tàm eruditi perfectionem, & cultum acceptum referre debent, qui perfunctus eo munere, Romam reuertit, ſeque inchoatæ prælectioni Controuerſiarum reddidit.

Iuſſus à maioribus ſuis, & à Prouincijs Septentrionis rogatus Controuerſias imprimit.

CAPVT VI.

QVÆ Romæ circà quæſtiones Fidei ab Auditoribus eius ſcriptò excipiebantur, proſeminari ea, in Septentrione præſertim cœpta ſunt, adeò vt breui alicuius litteraturæ, aut honeſtæ conditionis vir nullus ſupereſſet, qui ſumptu ſuo, etſi non leui, exſcribi pro ſe non optaret, quæ Auditores earum Controuerſiarum, vel ipſi retulerant domum, vel dederant amicis redeuntibus, vt illæ vrbes, quę quaſi agitantibus ventis diffuderant hæreſum incendia toto Septentrione, deflagrarent tandem, deardérentque, & antidotum per eas, ſicut virus olim, in Prouincias manaret. Communis omnium fuit admurmuratio, qui Controuerſias primi legerunt, illas non humanæ, ſed Cæleſtis ſapientiæ fœtum eſſe; ab eâ ſonum, ab eâ vim, & ſenſum accepiſſe, cui obſtrepere, aut obloqui non poſſint Aduerſarij eius. Teſtes Prouinciæ; auditionis huius, & famæ hodiéque memores. Quin imò à metu, & ſuſpicione mendacij, ipſi me hoſtes liberant, qui hoc deprædicarunt. Inter hos Witackerus Britannus, Pręfatione ad librum de verbo Dei contrà Bellarminum *Inter Ieſuitas*, inquit, *maximum, & celebre nomen Robertus Bellarminus, homo Italus, aliquot iàm annos obtinuit,*

qui primùm in Belgio Scholaſticam Theologiam,poſt,Romam profectus, Controuerſias Theologicas ſummâ omnium admiratione, acclamationeq́ue tractauit, Cuius dictata ſic erant ſtudiosè ab Auditoribus excepta,tranſcripta,variè-q́ue tranſmiſſa, vt quaſi κειμήλια *quædam, vel* ἀποτρόπαια *haberentur. Poſt verò, vt huius laboris fructus ad plurimos perueniret, in Epitomen etiam ab homine Anglo redacta ſunt. Poſtremò harum Controuerſiarum Tomus primus typis Sartorianis Ingolſtadij prodijt, reliqui expectantur ſuo tempore. Et nùnc Bellarminus,tanquam Athleta inuictiſſimus à ſuis celebratur, quo cùm nemo noſtrûm congredi auſit, cui reſpondere nullus poſſit, quem vincere ſiquis ſe poſſe ſperet, ab his inſanus habeatur.* Rem addam,quæ oſtendit quantopere Controuerſię eius Hęreticos expaueſecerint. Statim atque legi cœptæ ſunt; ab eo ipſo veſtigio temporis idem Witackerus nouam prælectionem inſtituit in Academia Cantabrigienſi, tantùm vt Bellarmini ſcripta refelleret:nam inquit. *Lætor verò,huius illas omnium ſermone celebratas Controuerſias eſſe nùnc ab ipſo in lucem editas, vt quales ſint,quid valeant,quantùm neruorum,& ponderis habeant, omnes facilè iudicemus, nèc alium eſſe Bellarminum credamus,quam hæ teſtentur. Et quanquam Aduerſariorum opiniones ex alijs ſcriptoribus,qui multi admodùm prodierunt,colligi poſſunt: tamen,quia non idem omnes ſtatuunt; de multis cauſis, & quid potiſſimùm probetur,incertum eſt: vt parùm hactenus conſtaret, quænam eſſet Eccleſiæ Romanæ*

manæ ſententia: nunc edito Bellarmino, meliùs, & certiùs cognoſcemus, quid illi in quaq; causâ teneant, quibus potiſsimùm argumentis nitantur, & quæ ſit ipſa quodammodo Papiſmi medulla, quæ non magis in Papâ ipſo, quàm in Ieſuitis ineſſe creditur. Cùm igitur ſcirem, quàm foret hominibus noſtris optatum, vt Ieſuitis iſtis reſponderetur, & Bellarmini dictata nactus eſſem manuſcripta, putaui me facturum operæ pretium, ſi Controuerſias eaſdem in ſcholis noſtris, pro muneris mei ratione, tractarem, & noua Ieſuitarum ſophiſmata diluerem. Hæc ille. Etiam Franciſcus Iunius Gallus Caluinianus, teſtatur hanc præclaram opinionem excitatam de eo apud Septentrionem vniuerſum, dùm inquit. *Cùm in Germaniâ ſuperiore eſſem, ante annos duodecim, & eo ampliùs, audiebam multa de Roberti Bellarmini Societatis, vt aiunt,* IESV, *opere magnificentiſsimè prædicari. Nam, & plurima ab illo diligenter, copioſèq; tractari de Fidei argumento in diſputationum libris dicebantur, & multorum ea ſententia eſſe, quòd nemo vnquam noſtrorum hominum integrum illud opus aggreſſurus eſſet refellendum, pedemq; cum tanto artifice, iuſtâ velut pugnâ, collaturus.* Eodem loco rem, ait, admirandam eſſe, occaſione huius noui operis incenſos fuiſſe adeò multos deſiderio iàm hauriendi verùm inter fontes ipſos, circà Fidei, de quibus ambigunt, argumenta. Innumeros prętereà in Germaniâ, in Gallijs, in Belgio repertos eſſe, qui poſtquàm volumina ea legiſſent ſemel, iterauerant ea, ſæpiùſque relegerant, aui-

ditate ſemper inexplebili. Hæc verò illa erant, quæ infelicem vrerent. Quippè in eis errorum ementitæ facies, quas Hæretici affingunt vero, non abſque infamiâ ſectarum, veluti detractâ laruâ, retegebantur; & ex eorum numero non ità pauci in gratiam cùm Catholicâ Eccleſiâ redibant.

Spes ergò ingens, fore, vt euaderet in inſignem aliquam vtilitatē Opus in typis, quod in ſcriptis ità profuiſſet. Et ideò ſtimulari plurimi ex his, qui Religionem, & Fidem ſaluam eſſe cupiebant, vt ad Præpoſitum Generalem adirent, rogaturi, Controuerſias Bellarmini in prœlum dari, ſeù iuberet, ſeù permitteret. Præpoſito grata ea poſtulatio admodùm fuit, vt erat pronus promouendis ijs, ex quibus Religioni, vel ornamētum, vel ſecuritas oriri poteſt. Idcircò rem anteà ſecum agitās, Bellarminum pòſt accerſit, monetq; vt, quàm poteſt tēpeſtiuè, prælectiones ſuas ordinet, quò ſtatim edi poſſint; cū ità pro Eccleſię bono expeterent multi: vt, quę priuato in loco exercitę dudùm fuerant, tandèm in Theatrum, ac mundi lucem exirent. Credi nō poteſt, quàm præter expectationē acciderit ad Bellarmini aures imperantis ea vox, & quam perculſa grauiter hoc tàm honorifico iudicio ſingularis eius modeſtia fuerit; ſiue quia minimi duceret ſua; ſiue quia nūquam ei ſignificauerāt, vt Controuerſias ſcriberet perindè, atq; ſi aliquando forent imprimendæ: & cùm ei religio eſſet, de re cogitare, quā imperaſſet nullus, ideò, quem-

quemadmodùm poſteà narrauit, circà editionem incogitans ad eum diem perſtiterat.

Imperium accepit; & ſine ſocijs, auxilijſque, ſtatim diſponere in ordinem quæſtiones illas, quas ipſemet exarauerat omnes. Seruauit verò morem hunc perpetuò, vt nè Cardinalis quidem habuerit, aut à ſtudijs, aut à manu quenquam, cui deſcribenda traderet, quæ cõpoſuerat: ſed quicquid pareret ingeniũ, hoc ipſiuſmet manus, tanquam obſtetrices, colligebant. Oſtendunt id propè innumera eius opuſcula, conciones, adhortationes, tractationeſq́; & Epiſtolæ, quarum partem magnam Viri honeſti penès ſe, venerationis loco, habent; pars aliâ in Bibliothecâ Coll. Rom. cuſtoditur, vbi & Volumina ipſa Controuerſiarum (modò primum deſideres, quod neſcio quis afflixit imprudens, lacerauitq́ue) ſcriptaq́; eius alia plura adſpici poſſunt ab ijs, qui de re certiùs cognoſcere ſtudeant. Videtur porrò admirandum quid, ac factu probabile ſolummodò, quià factum eſt, hominem diſtractum tot occupationibus magnis, intentumq́; perpetuò lectitandis tot operibus Auctorum diuerſiſſimorum, ſubire potuiſſe (quod de S. Ambroſio legitur, Epiſt. 45. lib. 7.) laborem hunc ferè omnium horarum, vt volumina conſcriberet ipſemet ſua. Cõſultò hęc fuſiùs narraui, vt intelligeretur, quàm ſit à falſis hauſta criminatio illa, quâ Hæretici vel eo nomine Bellarmini famam proſcindunt, quòd ſpargere deierando non erubuerint, libros Controuer-

 ſiarum

ſiarum partum eſſe nō vnius, ſed plurium operi arduo ingemiſcentium ingeniorum, tametſi Bellarminus, quòd aiunt, ductus ambitione, inuidiam aliorum in ſe incautus acceperit. Sic dùm talibus blaterant, inuidiæ nomine vocant lucem illam, quæ oculos ipſorum potiùs ab inuidiâ ægreſcentes miſerè perſtringit.

Verè tamèn vnus Bellarminus (quod illi dixiſſent meliùs) multorum Scriptorum in ſe animos, & vires gerens, idem inuentor, incœptor, perfector operum maximorum, breui ad Generalem Præpoſitum attulit Volumem primum, quatenùs vti mallet, de eo diſponeret, cùm diceret ſibi abundè factum, quod iubenti paruiſſet. Recognitum opus à Viris primę litteraturæ, adprobatur, & typis conceditur anno M. D. LXXXI. Volumen alterum prodijt biennio poſt. Tertium hęſit ad laxiorem diem, propter ſuſceptum iter in Gallias, de quo ſuo loco: & anno M. D. LXXXXII. fuit tandèm, ab omni parte abſolutum opus, quod ſiuè ordo rerum, ſiuè ſententiarum pondera, & teſtimonia Patrum, ſiuè hiſtoriarum, linguarumvè peritia, doctrinæ firmitas, & profunditas, in dicendo verò iunctæ, elegans ſimplicitas, & maieſtas conſiderentur, eſt inter eius generis exempla maximum. Tenet hoc publica fama, & illud ſatis affirmat, quod in ſolo Septentrione vigeſimam habuerit editionem: vt quia meruit ità fæliciter multiplicare lucem, non ſit, vndè impoſterùm, vel obſcuritas ei, vel obliuio metuatur.

Lon-

Longior ſim recenſendo titulos omnes, quibus Bellarminum Viri doctrinâ, ingenio, auctoritate ſummi cohoneſtarunt. Perſtringam ex eis pauca, tantùm vt fiat coniectura de plurimis, quæ ſileo. INNOCENTIVS IX. (vt Auguſtino Cardinali Valerio Veronę Epiſcopo, & Bellarmini perſtudioſo retulerat) ob egregiè nauatam operam in Controuerſijs pro Eccleſiæ defenſione, ei purpuram deſtinauerat; dediſſetque, niſi è viuis tàm immaturè deceſſiſſet. Cardinalis Perronius quoties Bellarminum iàm inter purpuratos adlectum adibat, dictitabat aſſeclis ſuis, *Ad Magiſtrum eamus*. Qui etiam Epiſtola, quam capite altero mox referam, inter multa hoc item habet. Opus Controuerſiarum æſtimari à ſe pluris, quàm aliud quodcumq; in Eccleſiâ editum ab annis mille. Cardinalis à Dietrichſtain de operibus eius ſic exiſtimat. Poſſe dici, *Bellarmini libros inoffenſo decurras pede*, quòd de S. Hilarij S. Hieronymus olim. Cardinalis de Sourdîs, cùm ſubſcriberet iuratum Diploma GREGORII XV. de ſacris Pontificum ordinandis Comitijs, Cardinalem Bellarminum, Aſtrum non ità multò antè flexum in vitæ veſperã, concuſſoremq; Hæreticorum, & Theologorum apicem nominauit. *Si ſidus illud*, inquit, *quòd nuper occubuit, in humanis degeret; Bellarminus ille, malleus Hæreticorum, & vertex Theologorum huius ſæculi, quid diceret? in quas laudes erumperet?* Cardinalis Vbaldinus, eum ſalutandum cenſuit Athanaſium, & Auguſtinum ſęculi ſui, à Diui-

nâ

nâ Prouidentiâ commodatum Orbi, vt monſtra hæreſum affligeret, atque ad terram daret; & huic ſententiæ ſubſcripſere è Purpuratis plurimi. Felix Cardinalis Centinus. *Illum ſanè*, inquit, *non immeritò dixerim appellandum Hæreticorum malleum, Sanctæ Eccleſiæ propugnaculum, Chriſtianæ Fidei columen, Catholicæ veritatis aſſertorē, & vindicem. Hæc illa merentur opera, grandiore fœtura ingenij progenita, ac flumine litterarum è præcipuis Sacri eloquij, Sanctorumq́ Patrum fontibus corriuato inundata.* Cardinalis Valerius adferens auctoritatem grauiſſimam Auguſtini Valerij, item Cardinalis, & Epiſcopi Veronenſis, Patrui ſui, adducit epiſtolam eius ſcriptam ad Bellarminum, dùm in Societate adhuc priuatus viueret, in quâ, *Sine te*, inquit, *haud ego poſſum Romæ contentus viuere, quē exemplis tàm multis diligo, & cuius ſermones adeò me, tàmetſi ſenē erudiunt. Ex Purpuratis Patribus tui ſunt memores multi: ijdē te cuperent adeſſe; ità pulchrum eſt lumen, quò nos colluſtrare ſolet tua mens, doctrina tua.* Iulius Sanſedonius Epiſcopus Craſſetanēſis, in Vitâ, quàm ſcribit Beati Ambroſij Sanſedonij, Cardinalem Bellarminum appellat Principem Scriptorum ęui noſtri. Libros verò eius Religionis militantis armamentaria. Gulielmus Taylerus epiſtolâ, quam ex magnâ Britanniâ miſit, verba S. Hieronymi vſurpans in Epitaphio ad Nepotianum, nuncupat Cardinalis Bellarmini pectus, Bibliothecam Chriſti. P. Petrus Cottonus è Societate Iesv, epiſtolâ quàm Lutetię

Pari-

Pariſiorum eidem inſcripſit, cùm dixiſſet, haud æſtimari pugnæ diuerſum genus, tueri Bellarmini opera, & Religionis, ac Fidei defendere communem cauſam, hæc ſubdit. *Quandò ſcripta Illuſtriſſimæ Dominationis veſtræ defendimus, cauſam Dei, & Eccleſiæ tuemur: vt iàm in Galliâ, & Angliâ idem ſit Bellarminiſta, quòd Papiſta: quemadmodum antiquitùs pro eodem ponebatur Athanaſij confeſſio, & Fidei Catholicæ profeſſio.*

Sed videbuntur plus habere ponderis teſtimonia inimicorum, à quibus, etſi eâ famâ operum eius nuſquàm benignè audita eſt, extorſit veritas tamen, quod negare abſque iniuriâ graui nequiuerunt. Theodorus Beza Hæreſum Gebennæ Inuentor, & Magiſter, cùm in Tomo primo Controuerſiarum legiſſet, quæ de auctoritate Summi Pontificis in eo continentur, exclamauit miſer, vnus hîc liber nos humi omnes proturbat. Perſimili formidine in Britanniâ Academiæ, & Regis Aula, iàm tùm initiò, operis admirandi creſcentem molem, ſibi, ac poſteris ſuis metuentes, haud habuere negotium maius, quàm vt Bellarmini ſcripta conuellerent; & tunc non Cantabrigiæ modò, quòd anteà dixi, ſed in Academiâ Oxonienſi etiã eius Controuerſiæ ex inſtituto ceptæ oppugnari. Eorum quoq; rabulæ, cùm pro concione blaterant, non plauſum, non murmur referunt, niſi contrà Bellarminum garriant; & deridiculo ſunt, atque contemptui, qui ipſius nomini obtrectare negligunt. Imò ſi quempiam vident

dent

dent aduenire ex ſolo loco meditabundum, aut ſeuerâ fronte curas cogitare, dictum commune iàm eſt. Hîc homo apud ſe, aduerſus Bellarmini ſcripta, machinas indubiè diſponit. Denique hoſtes Fidei omnes opere illo debilitati, poſteà nihil quicquam valuerunt, & tantùm, dùm minimè conquieſcunt; more anguium capite obtrito; ſpiris, & caudâ inutiliter minantur.

Idcircò Hæreticorum alij ſapientiùs operi Controuerſiarum laudem dederunt. Bataui, ſicut accepimus, in ſuâ ipſorum bibliothecâ Bellarminum collocarunt inter primos. Ab aliquibus candidus Scriptor, vocatur, & claris Eccleſię, ac Pontificij principatûs defenſoribus, qualibet arte par. Sunt, qui veluti Gigantem eum ſibi proponant, eiuſq; cōparatione adſtantis formâ proceriori, cęteros vmbras hominum ęſtiment & ludibria naturæ. Non deſunt, qui opus Controuerſiarum, vnum quidem titulo, & nomine, ſed victoriâ multiplex, velut inſtructam aciem putent, quæ hoſtium vires omnium, vnâ quaſi ruinâ inuoluat. Adprobant alij laudem, quâ idem opus Cæſar Cardinalis Baronius, in Annalibus ſuis, Turris Dauidicæ ſimulacrum habere, cui ſuppetat armorum omne genus, exiſtimauit. Poſtremò conſenſus cōmunis ipſorum eſt, Controuerſias eius perfectum opus videri, quod magnorum exercituum vires gerens, quaſi miſſo in compendium bello, in ſe tantùm virtutis contineat, quantùm nequiret colligere totum, quod apud ipſos

eſt

eſt perfidiæ Conciliabulum. Tanta verò admiratio incuſſa omnibus, vt ſatis viderent, aut vno illo ſe vinci poſſe, aut nullo alio. Inter eos, qui doctrinam eius encomijs honorificis proſequi viſi ſunt, Thomas Mortonus Hæreticus, & in Britanniâ Pſeudoepiſcopus;
,,Demus, inquit, Bellarmino acumen ingenij, tribua-
,,mus ei peritiam linguarum, agnoſcamus in eo elegan-
,,tem, & raram litteraturam, & ſi velit quis ei adſcribere
,,notitiam amplam ſcholaſticæ Theologiæ, haud ſanè
,,inficias ibimus. Witackerus etiam, ſicut reſcripſerat ad
,,Cecilium Britanniæ Quæſtorem, ita & imprimi ty-
,,pis voluit iudicium, quod tulerat de Bellarmino his
,,verbis. *Illum iudicaui virum ſanè doctum, ingenio feli-*
,,*ci, iudicio ſubtili, lectione multiplici præditum, qui ſole-*
,,*ret etiam apertiùs, ac ſimplicius agere, quàm reliqui con-*
,,*ſueuerunt Papiſtæ, & argumentum preſſiùs vrgeret, & arctiùs ad cauſam adhæreſceret. Sic enim homo eruditus in ſcholis, & controuerſiis ex inſtituto tractans, in argumento totus, miſſis circuitionibus, & ambagibus verſari, hærere, habitare debuit; cumq; legiſſet, quos hactenùs libros quiſquam de his cauſis ſcripſerit, eas argumentationes, reſponſioneſq; ſelegit, quas valere plurimùm, & neruoſiores eſſe iudicaret.* Hæc attulimus de multis pauca, vt intelligeretur, quàm celebris ſit etiam inter hoſtes Bellarminus. Et vocari hę teſtificationes poterũt, Trophæa de hoſtibus laudatoribus, erecta eius nomini glorioſo, prœmia defenſæ Fidei, aſſertæ veritatis.

 Cri-

Criminationes, & calumniæ, quas paſſus eſt, diuerſis temporibus, occaſione Controuerſiarum, & id genus Librorum.

CAPVT VII.

ADEÒ celeriter extulerat ſe Bellarmini nomen, ne quidem in hoſtibus obſcurum, vt cogitare quis poſſet hominem, qui ità ſuprà cæteros emineret, inuidiâ maiorem eſſe. Sed huius afflatus tentat, afficitque indiſcriminatim omnes. Imò ſemper inuidia eſt, quæ ſumma petit, tanquam ignis: vt ſit hactenus conceſſum nemini, temporibus, quibus eminet, non eius æſtum aliquem pati, & quod grauiùs eſt, interdum non adire periculum adæquè in magnâ famâ, atq; in malâ.

Audita eſt itaque Bellarmini etiam detrectare laudes, & corrumpere honores, quos promeritus erat occaſione Controuerſiarum; ſed non ei diù interturbare ſonum gloriæ potuit, ſiluitque nō ità multo poſt, cum ſe efferre veritas primùm cœpit, vt manifeſtum eſt in eruditis iuxtà, & prolixis diſputationibus, quas pro Bellarmini defenſione Scriptores varij, & laudatiſſimi cōpoſuerunt. Longum ſit ſingula exequi, quæ auſum eſt effundere ferreum os Hæreticorum, quibus ſemper admiratio viri tormentum fuit. Tantùm ego attingam pauca; & primo loco id quod pro concione

cione tam ſæpè, & ſcriptis etiam vulgarunt; nempe Bellarminum ſuopte ingenio admonitum erroris, quo oppugnauerat veritatem Euangelicam(nam hoc ſpecioſo nomine ſuam hæreſum turpitudinem honeſtant) publicè omnium factorum, dictorumque veniam, & abolitionem petiuiſſe; & quod reliqui ad ſalutem erat, Caluinianum eſſe factum. Addidere præterea eam ob cauſam à Pontifice coniectum in carceres, denique oppreſſum ſupplicio, & compulſum ad necem. Huius mendacij mentio eſt, in reſponſione eius ad Regem Scotiæ, vbi dolet Regem cui, nec deſit lumen animi, neque ſumma generis claritas, deſciuiſſe penitus ab auitâ religione, tranſmiſsâ ſibi per Martyrem Genitricem, & ſequi eos Duces, qui per errorum ſcatebras, ipſum lapſantem agerent, atque præcipitem.

„ Vt referunt ad me, inquit, Viri ſpectatæ fidei, in „Regno Maieſtatis tuæ Miniſtri, nec ſemel, ſparſerunt, „me, quæcumque edidi pro Catholicâ fide aduersùs „Lutheranos, & Caluinianos aboleuiſſe: imò & ad „Caluini ſectam tranſgreſſum eſſe; Romæ verò propter eà à Summo Pontifice captum, iudicatum, & vl„timo ſupplicio denique affectum. Enimverò ſi quæ „ſunt huius generis mendacia, & quæ milleni teſtes re„darguere poſſunt, Miniſtri audent comminiſci; quid „illi non audeant in alijs, quæ obſcura ſunt, & à „ſenſu diſtant? Ego nec ſyllabam vnam induxi,

 aut

„aut immutaui ex his, quæ contrà Lutheranos, & Cal-
„uinianos dedi ſemel veritati: nec inducam, vel immu-
„tabo, quamdiù erit mihi propitius Deus; ſed retinebo
„in corde orthodoxam Fidem, donec me vita prior de-
„ficiat. Viuo inſuper, & quidem Romæ, in Vrbe ocu-
„latiſſimâ; quæ etiam videt me in eâ dignitate, quàm
„nunquam optaui, quoniam elegeram abiectus eſſe in
„Domo Dei mei. Sed nimirùm ille, cuius voluntas eſt
„ſuprà me, & ſuprà pios omnes, voluit ad gradũ honoris
„aſcenderem, meq́, Purpurâ induit non petentem, ſed
„petitum vltrò, imò & adactũ imperio. Hoc argumen-
to prouocans ad ſenſus ipſos iudices criminationem manifeſtè ream, deindè patefecit dolorem animi, cõmiſerationemque, ergà virum Regij generis, ac muneris, cùm inſigni ruinâ ſubditorum, & ſuâ, deerrantem extrà Ouile Summi Paſtoris animarũ noſtrarum.

Improbiores alij addidere mendacio flagitia, & nequitias; auſi publicis typis aſſerere, inuentum è Bellarmini ſcripto libellum, & in eo noxas ipſius omnes, quas eluere Laureti apud Pœnitentiarios, quorum ibi frequens, & illuſtre forum, diſpoſuerat; & quia, vti enormium capitum reus, debuit inabſolutus dimitti; ideò in magnam deſperationem adductum abrupiſſe vitam. Sic in Poloniâ Hæreticus, (Patronus Torunenſium inſcribitur) contrà quem, è Societate noſtrâ P. Georgius Tiskeuicius vindicem calamum ſtrinxit. Idem hoc P. Iacobus Gretſerus egit, contrà Hęreticum alium,

alium, qui cum pariter vitijs commaculatum fœdis, Lauretum,confeſſionis faciendę causâ,mutato habitu conceſſiſſe tradiderat. Horret animus referre,quid de eo impius finxerit,quid ſcripſerit,quid vulgauerit. Auferat iſta omnia obliuio ſi poteſt; ſi non,ſilentium vtcùmque tegat. Ea enim illi homo præmortui pudoris affinxit, propter quæ, cùm tres horas, brachijs in Cælum expanſis,oraſſet,aiebat,imaginem Deiparę ſtatim auerſam ei humeros obuertiſſe,ex eoque factum, vt mirificè territus Bellarminus in morbum lęthalem inciderit,ac rugierit deſperabũdus Leonis inſtar. Dein Pœnitentiario legendam dediſſe ſchedulam confeſſionis ſuæ, cùm interim, vultu in terram defixo, ſententiam tremebundus opperiretur: ſed Confeſſarium adiudicantem ineſſe ei maculas in pectore,quæ à nullo elui poſſent, ſchedulam abieciſſe, & abiuiſſe. Bellarminum verò, cùm videret flagitijs obſtrictum ſe teneri, quominùs à Sacerdote abſolui poſſet, in ſummâ anxietate conſtitutum, animam exhalaſſe, & voluntariâ morte iuſtiſſimo ipſorum odio ſatisfeciſſe. Poſtremò & addit, Ioannem de Montgado, quem Cardinali Bellarmino ab epiſtolis facit, Romæ plexũ, ſpecie quidem, quaſi falſas Apoſtolicas litteras ſignis adulterinis vitiaſſet,reipſa tamen,quòd ſingrapham illam Bellarminianæ confeſſionis, ex qua eius vitia manare in vulgus ita inceperant,euulgaſſet.

Potuit criminatio tam impudens falſitatis facilè in-

inſimulari, ſuperſtite adhùc Bellarmino, cuius eximiā gloriā Hæretici non ferentes, vti cœca inuidia eſt, ſocordiam ſuam irrideri, & ſtolidam amentiam non viderant, dum velut æſtu abrepti, exiſtimarent fœdis mendacijs, quæ non niſi auctores inquinant, famam lædi hominis præclari, viuentis, & ſpirantis potuiſſe. Narrationem aliam, quæ in rem præſentem cadit, hic interſeram. In Oliuâ Senatores aliqui Gedanenſes hęc, quæ memorauimus, retulerant eximio viro Philippo Adlero (is erat Cœnobiarca Ordinis Ciſtercienſis) qui negauit ſtatim, quæ iactarentur, poſſe apud ſe fidem vllam impetrare, cum à Viris auctoritatis magnæ de Bellarmino longè alia cognouiſſet. Dum verò ità inter opiniones hærent, improuisò adeſt Iudæus neſcio quis, qui nuper ex Italiâ venerat. Illi, compoſito ad omnem humanitatem vultu, rogitant, an ex Vrbe, & quampridem veniſſet. Ait rectà inde ſe adueniſſe. Cœnobiarca rurſus ab Vrbe quid noui referat: & de Cardinali Bellarmino an viuat, an valeat, & quæ eius vitæ ratio, quæ fama? Reſponſum expectabatur auidè, & ſperabant loquuturum Hæretici pro menſurâ votorum, quippè hominem externi ritûs, & Religionis tam alienæ. Cùm ille conſtanti ore, vultuque Bellarminus viuit, inquit, & valuit perpetuò, dum illic fui; Quo ad vitā verò, & mores eius, ego ità quidem exiſtimo. Chriſtiani omnes ſint Bellarmino ſimiles, & è Iudęis Romæ ſupererit nemo: adeò cuncti tranſgrederemur

mur in morem eorum; cum ipſe Vrbi vniuerſæ, ſanctimoniæ, innocentiæque ſit ſpectatum valdè, & viuidum exemplar: atque huc euaſit de Bellarmini vitâ diſputatio.

Hiſtoriam hanc Bellarminus memorans aliquandò inter familiarium ſermones, & coniunctim hæretici vnius ſimile quoddam dictum; ſuperfuturos nimirùm in hæreſi nullos; ſi, quod aiebat, omnes Bellarminij efficerentur: ſubdidit lepidè; en mihi iam ſuppetunt teſtes duo, vt in Diuos referri poſſim, alter Iudæus, Hæreticus alter; deſideratur tertius, qui ſit vel Turca, vel Ethnicus. Id etſi feſtiuius tum dixit; non tollit quò minùs penſi multum habeant, quæ ſæpè etiam inimici veritatis proferunt.

Certè in hanc ſententiam S. Ioannes Chryſoſtomus olim. *Nemo profectò*, inquit, *gentilis eſſet, ſi ipſi, vt oportet, Chriſtiani eſſe curaremus: ſi Dei monitis, & ſcitis obtemperaremus. Nemo, inquã, eſſet ità fera bellua, vt non ſtatim ad cultum veræ Religionis accurreret; ſi videret hæc ab omnibus fieri.*

Dum his criminationibus Bellarmini vitam foris Aduerſarij eius, incertum dedecorant; an illuſtrant? Romæ, vbi eſſe ſecurior debuiſſet, quippè in Arce primâ defenſæ à ſe Religionis, inuidia, quę virtuti ſemper extitit machinoſa, ipſi ſtruere inſidias magis clandeſtinas cœpit. Quidam in Vrbe ægrè ferebant Bellarmini nomen, antequam etiam Purpurâ illuſtraretur,

eſſe apud omnes dignationis tantæ. Creuitque moleſtia, cum à SIXTO V. Pontifice miſſus in Gallias fuit, Theologus Henrici Caietani Cardinalis, poſtquam in Regnum illud ei Legatio obuenerat. Et quia, Legatione adultâ, indoluit Pontifex, à Cardinali negotia tranſigi conſilijs, quę data primitùs fuerant; dum Romæ ipſe alia meditatus, propoſitam haberet nouam viam agendi, quam ob cauſas graues indicare alijs, grande periculum; ſicut contrà eam ingredi pede inoffenſo, res cenſebatur ſummæ dexteritatis, vt ex hiſtorijs aliorum peti poteſt; idcircò animorum ea diſceſſio inter Pontificem, & Legatum vix intelligi Romæ cœpta eſt, cùm id è ſententia fluere iudicarunt ij, qui Bellarmini obſcurare nomen cupiebant, rati ſuæ gloriæ demi, quicquid cederet alienæ. Itàque homines accēdendis offenſionibus callidi, Pontifici ſenſim adulari, temerè dùm ſpargerent (quæ ſæpè inter Aulicos eſt libido fingendi) doctrinâ Bellarmini auctoritatem illam minui, quam Christus Dominus Vicario ſuo in Terris dedit ad Eccleſiæ dignitatem, firmitatemque; idq; fieri in opinione ipſius circà Dominium temporarium, quod Pontifici competit item in res temporarias *Lib. 5. de Rom. Pont.* Et quoniam ea vox percrebuit tempore, quo iàm cautè iſta iactari, ſi vnquàm aliàs, debuiſſent; ideò captata occaſione, dum peregrè aberat ipſe, nonnulli, re non dicuſsâ, vrgere, atque inſtare, quò eius opera inhiberentur, donec egeri,

quæ

quæ damnoſa, & inſeri Catalogo deberent Voluminum proſcriptorum. Fraudem excepit euentus, & ij, quorum inuidia in occulto, adulatio in aperto erat, facilè impetrarunt, vt hoc pacto in Bellarmini libros ſęuiretur. Sed hæc ſæuitia vocem veritatis, quæ in libris ijſdem loquebatur, non diù afflixit. Nam, excedente Pontifice, cum eo (vt Aulici ſunt plerumque ſuorum Principum inferiæ) cecidere Aduerſarij eius, & ſacra Congregatio Cardinalium reputans iniurium eſſe, ità damnari eximium virum, præſertim, cùm is Sedis Apoſtolicæ causâ abeſſet, ſponte mandauit, ex Indice probroſorum Scriptorũ eximi Auctorem egregium, nullo in opinionibus eius deprehenſo vitio. Quarè ei criminatio intrà gloriam fuit, nec minore famâ in Vrbe deinceps Bellarminus viguit; cuius dicta ſolummodò ab inuidis poſtulabantur, adeò factorum innocens erat.

Similis turbo excitatus in Gallijs, anno M. DC. X. quo tempore ipſe iàm in Purpurâ erat; vt inhiberetur tractatio eius de poteſtate Pontificis in res temporarias, aduersùs Gulielmum Barclaium. Eum quippè ad finem pauci aliquot è Senatu Lutetię Pariſiorum, conſpiratione factâ, Regiam Edictionem impetrarunt. Bellarmini animum ea res non leuiter perſtrinxit; non modò, quia iàm auctor eſſet maiori gloriæ aſſuetus, quàm vt reus eſſe ſciret, ſubmittereque ſe in humilitatem codicum damnatorum; ſed magis, quia videret in

Vrbe ergà Apoſtolicam Sedem tam obſequioſâ, paucorum audaciam, vel temeritatem id moliri potuiſſe, vt illiberaliter adeò communis cauſa Religionis acciperetur, cuius auctoritas, ab inimicis obſeſſa, ab ſe in libro illo propugnabatur. Quoniàm verò nouerat, id patratum eſſe, factâ perperàm relatione rei ad Reginam Genitricem, proximo ab exceſſu HENRICI IV. tùm Gallias regentem, decreuit ad eam litteras: ſubiecitque Regiæ menti, quàm nullo iure Senatus Pariſienſis de ſui operis inhibitione decreuiſſet. Memorauit cauſas, propter quas opus imprimi par omninò fuerat, vt libro videlicet aduersùm ſe ab Hæreticis Magnæ Britanniæ edito, pòſt obitum Gulielmi Barclai Auctoris, reſponderetur. Adiecit ad ſui defenſionem primò, non aliam doctrinam illo circumferri; niſi quam antè annos ampliùs viginti, in libris Controuerſiarum ſuffragatione Principum omnium, & præſertim Henrici IV. contradicente verò nemine, modò exciperentur dumtaxat ij, qui ſunt Hæretici palàm, vulgauerat. Deindè doctrinam eandem pronunciari à primis Scriptoribus, qui antè annos centenos in Eccleſiâ floruerunt, quibus tamen Regia Edictio opponebatur, perindè quaſi Hæreticis Britannis obſecundare vellet. Rursùs contineri in eo ipſa pronunciata Concilij, quod Lugduni in Gallijs habitum eſt, coràm INNOCENTIO IV. quo tempore etiam S. Ludouicus Rex auctoritate, ac potentiâ
ſuâ

ſuâ ſupramodum Pontifici, & Concilio fauit. Ad hæc Barclai libro librum ſuum aduerſari directè, tanquam operi, in quod, quia ſcatet erroribus, ab Sede Apoſtolicâ meritò ſæuitum eſt. Hinc verò fieri, vt libri ſui damnatio æſtimari debeat perindè, ac ſi à prauitate omni per eam Barclai liber abſolueretur; quod eſt ſtare ab inimicis Eccleſiæ. Poſtremò tractatū eundē ſuum, in inhibitione illâ, tingi coloribus non ſuis, & eorum inſimulari, quę nō peccauerat: quemadmodum legentibus erat manifeſtum. Sed imponentibus falſa ſecuritatem indè natam, quia operis exempla pauca inuecta in Regnum fuerant. Sic ipſe ad Reginam: & hæc Oratori Regio in Vrbe commoranti iniunxit, ſtatim ad Cardinalem Bellarminum adiret, adferretq́ue excuſationem facti; librum quidem ab omnibus optimum, & doctrinæ integrę cenſeri; ſed optandum ei, vt ne incidiſſet in funeſta illa tempora oppreſſi Regis, quùm pericula ſeditionum varia metuebantur. Pòſt, flagitante in Gallijs etiam Sedis Apoſtolicæ Legato, ac nomine Pontificis exigente interdicti abolitionem, Regina prouocans ad ſe cauſæ diſcuſſionem, contradicentibus imperauit ſilentiū, & edictionem abrogauit. Itaq; Bellarmini liber à conuicio, & pœnâ vindicatus, honori rurſùs, & luci redditus eſt.

Euentum habuit parem alia ſecreta magis criminatio, quæ ſerpere radicibus latentibus, & occulto damno in animis cœpit Illuſtrium Virorum: ſed

quibus tamen ſtudiorum eiús generis peritia non admodùm erat. Proſeminarunt illam (quantum aſſequi coniecturâ licuit) quidam, qui creſcendi occaſionem pro ſe rebantur, ſi in inuidiâ Bellarminus eſſet, cedebatque res è ſententiâ vel ideò, quià ſcirent, Bellarminum (quæ ipſius erat demiſſio, & lenitas) quieto animo ferre, lacerari exiſtimationem ſuam. Hi ergò inflato ore, tumētique, iactare per Aulas Vrbis omnes, Controuerſias à Bellarmino editas, Eccleſiæ Dei plus intuliſſe damni, quam dediſſent commodi. Nam aduerſariorum, aiebant, contorquent argumenta validè, ſed retorquent eneruiter : quæ res Hæreticis audaciam, veritati Catholicæ defectionem quandam virtutis creat, damno vtiq; pœnitendo. Verùm hi, cùm intelligerent hæc aduerſùs famam, rumoreſq́; hominum afferri, nec ſatis felix mēdacium fore, niſi teſtem haberent, cuius nominis obtentu res fingeretur; vt inuidiæ flammam ſapientiùs fouerent, tentarunt, ſi quomodo poſſent ſuadere, honorificam acclamationem Controuerſijs eius publicè datam in Theatro Orbis Terrarum, populi eſſe vocem, & incogitantis vulgi ſonum, non eorum, qui manus cùm Hæreticis
„cominùs conſererent, & periti rerum haberentur. Ite,
„aiebant, ad Cardinalem Perronium, Virum, qui tantâ
„cùm exiſtimatione, grauitate, ſapientiâ ſępè ore tenus,
„ſæpè ſcripto communes hoſtes profligauit; ipſius ſu-
„per hoc ſententiam rogate; intelligetis querimonias,
quibus

„quibus damnum luget, quod Eccleſiæ inferunt Con-
„trouerſię Bellarmini, iam hoſtium factę aduerſum nos
„arma propè, & non minæ tantùm.

Hę calũniæ auditę primùm inter paucos, dein propalàm illatæ in aulas Nobilium, celebratęq́; ſermonibus, (vt obtrectatio, & liuor pronis auribus accipiuntur) proceſſere adeò, vt foris etiam, ad Cardinalis Bellarmini aures, Capuam vſque peruenerint. Obſtupuit verò, Cardinalem Perronium, quem coleret in paucis (quâ apud omnes erat famâ eruditionis; reconditæ litteraturæ, & integritatis magnæ) protuliſſe de Controuerſijs ſuis ſententiam tàm alienam à iudicio, quo cùm illæ peruaſerant Septentrionem vniuerſum. Idcircò, cum difficilis ei perſuaſio, hominem eius virtutis, ac prudentiæ, ità de ſe eſſe loquutum, ad Cardinalem de Ioyeuſe, virum ſibi amiciſſimum, & Cardinali Perronio ſecretorum fide coniunctiſſimum ſcripſit, rogauitque, vt ſenſum animi eius, & cordis copiam indagaret. Tranſacta res feliciter; nam is alterum amica per officia prouocans, rem, vti erat, aſſequutus eſt, & ad Cardinalem Bellarminum epiſtolam miſit; quæ, ſicut & altera Cardinalis Perronij, quià honorificam de Bellarmino teſtificationem continent, cum adiectis reſponſis ipſius hoc loco referri debent.

Epi-

Cardinalis de Ioyeuſe, Cardinali Bellarmino.

„ LITTERAS cùm legi, quas proprio ad me ſcripto,
„ Cardinalis Illuſtriſſime, dediſti; attonitus, vt nun-
„ quam aliàs, hæſi; adeò me in contraria differebant, fi-
„ des, quâ credere, quæ ipſe narraueras, debui; & certitu-
„ do quæ ſuberat, à Viro, in cuius ore ſolet tanta ſermo-
„ nis eſſe prouiſio, hoc eſt à Cardinali Perronio profi-
„ ciſci blaſphemiã adeò immanem non potuiſſe. Nam
„ hoc nomine appellare vocem illam criminoſiſſimam
„ volui. Nihil habui citiùs, aut potiùs, quã vt eum conue-
„ nirem, & ſermonem de editis abs te Controuerſijs ſe-
„ rere primùm incipiens, ſtudia eius, aut quæ de illis ſen-
„ tentia animo eſſet, veſtigarem. Vbi verò eas ab ipſo ef-
„ ferri in Cælum audiui, tunc mihi facta ſerenitas, & ſe-
„ curus animi, quæ ad me ſcripſeras, expoſui. Ille, vt au-
„ diuit crimine hoc aſpergi ſe, quaſi ſiniſtros de Bellar-
„ mino ſermones habuiſſet, ità ferè linqui animo viſus
„ eſt, vt non ego quemquam viderim, vel magis pertur-
„ batum, vel indolentem grauiùs. Ergò modis ijs, quo-
„ rum adſolet auctor eſſe vehemens dolor, conteſta-
„ ri, rationibus tam certis, cœpit innocentiam ſuam,
„ vt certò ità eſſe, affirmare ſit. Profeſſus eſt, ſibi ne
„ in mentem quidem veniſſe vnquàm mendacij impu-
„ dentis iſtiuſmodi: & aduerſum te, eâ ſe obſeruãtiâ fuiſſe,
„ vt in operibus ſuis arripuerit occaſiones omnes, ſcri-
„ pta, & ſententias tuas interſerendi, conſecrandique eis
„ illuſtres laudes: non modò, quòd iam ſis glorioſum
nomen

„nomen, verùm qui à ſcripta eadem Eccleſiæ parient
„ pòſt etiam conſequentibus ſeculis, vt clareſcant ob-
„ſcura fidei, luminis quandam æternitatem.
„ Quòd ſi priuatis ſermonibus contradiceret his,
„quæ typis publicis dederat, & quę tandem hæc eſſet a-
„nimi, aut inconſtantia, aut amentia? Addidit, libros
„ tuos æſtimari à ſe vſque adeò perutiles, ac dignos, qui-
„ bus euoluendis inſiſtant omnes, vt propter bonum,
„ quod inde ſumi poſſet, adhibuerit operam omnem
„ ſuam, quò ex Latinâ voce donarentur idiomate galli-
„co, & ſuis etiam ſumptibus imprimerentur; argumen-
„to vtique magno, quàm iudicarit conueniens, eos abs
„ te primùm edi. Sed nec illud prætermiſit, cùm in Vr-
„bem venit, ſe ęgrè ante omnia tuliſſe, quod non ſimul
„adeſſes, vt facie poſſet cognoſcere, quem iam famâ
„norat. Ad hæc, vt habeatur atteſtationis huius veritas
„pro re compertâ (nam ex ore eius nunquàm, aut ſo-
„nũ, aut impetum accepit ea tam fœda criminatio) ſup-
„plex apprecatur, cùm multa ſoleat veritas prębere veſti-
„gia ſui, vt omni ope adniti velis, quo res poſſit emana-
„re tandem. Nam intelliges haud dubiè, cuſtodiam ti-
„bi ab alijs, quàm ab ipſo ponendam eſſe, qui ſe tuum
„famulum, etiam cùm gloriâ, vocat addictiſſimum, ſtu-
„ diorumque tuorum defenſorem acerrimum. Neque
„ his contentus, quæ mecum vnà coràm dixit: Epiſto-
„lam inſuper adiecit, quam hic interligo litteris meis,
„ſperans forè, vt abſtergat ſuſpicionem, quâ ſe imme-

 ritò

» ritò reſperſum videt, atque Epiſtolam hanc cupit interim haberi obſidem innocentię ſuæ, donec ſpatium ei » detur purgandi ſe copioſiùs, & teſtificandi cæteram » ſuam obſeruantiam aduersùm te, & Controuerſias » tuas. Ego verò in hoc ſenſu lætitiæ, quâ fruor, dum reputo me emerſum eo metu, vnde fluctuatus anteà fueram, audiens inter viros mihi tàm eximios amara denarrari; oro, quæſoque, vt propter iuſtiſſimas cauſas » exiſtimes, facturum te operæpretium, ſi odorari ſtudueris, vnde huic fraudi origo tandèm. Gratias interim » impensè ago, quòd adeò familiariter cōmunicaueris » mihi res tuas; & factum id iudico rectiſſimo iure: cùm » viuam tibi famulus tàm verus, tàm proprius, vt nemo » poſſit de his particeps à te fieri, qui te magis velit in » tranquillo eſſe, quam velim ego. Valeas, & diù nobis, » ac rebus Eccleſiæ interſis. Romæ. Prid. Id. Februarij » M. D. C. V.

Cardinalis Perronius Cardinali Bellarmino.

» RETVLIT ad me Cardinalis de Ioyeuſe, tibi narratum eſſe, famamq́ue, & doctrinam tuam, Cardinalis Illuſtriſſime, verbis me obterere auſum, & dixiſſe, futurum pro rebus Eccleſiæ vtilius, ſi Controuerſias tuas imprimi nunquàm obtigiſſet; quòd in eis argumenta Hæreticorum librentur efficaciùs, nec deindè infringantur ſatis. Hæc horribilis, & ab ipſo Parente mendacij effuſa criminatio, affecit animum meum ſtupore

„ſtupore inenarrabili, meque afflixit tanto acerbiùs,
„ quanto certior ego ſum, non vocem modò; ſed ne co-
„ gitationem quidem vllam eſſe. in me huius mendacij
„ ream. Imò & quæ dixeram, & quæ cogitaueram an-
„ tea, vbicumque demùm vixi, eo collinearunt ſemper,
„ vt oſtenderem, à me pluris ęſtimari Opus Controuer-
„ ſiarum, quàm Opus aliud quodcumque, editum quod
„ prò Eccleſiæ defenſione, vel à milleſimo anno repe-
„ tatur. Itaque conſtitutus inter optimam conſcien-
„ tiam, & iniquiſſimam criminationem, teſtem im-
„ ploro oculum ipſum Dei, & precor, vt me deſpicatui
„ habeat, ſi vnquàm talia ſim ego tàm improbè loquu-
„ tus. Vt verò apud homines etiam me quoquomodò
„ purgatum reddam, teſtes adfero res geſtas meas, & ex
„ his tria ſumam potiſſimùm argumenta, maiora ſpero,
„ quàm ſit neceſſe, vt falsò, & ab imponentibus inimi-
„ cis confiᵭo crimine poſtulatus abſoluar. Primùm;
„ hoc à vero adeò diſtat, vt ſpe vtilitatis, quam è Con-
„ trouerſijs Hæretici ſumere poterant, modò vel-
„ lent cogitationem ad ipſam referre veritatem, his po-
„ ſtremis annis eas verti gallicâ dictione curauerim po-
„ tiùs; quo ità Hæretici noſtri, quibus latini ſermonis
„ peritia non eſt, legerent eas ad frugem animæ, & ad
„ Fidei triumphum : onus verò ei demandarim, qui
„ mihi ab Epiſtolis, & in Eccleſiâ meâ Cantor, & Chia-
„ tillonius nuncupatur. Nevè lenius imperium detre-
„ ctaret, iniunxi hoc etiam intentato metu inobedien-

„ tiæ,manſitque ad eum finem, menſes plures, imò & „annos in Ædibus meis Epiſcopalibus. Typographum „etiam domi paratum habui, qui ſtatim ſumptibus „meis eas prælo daret. Cardinalis de Ioyeuſe, ipſemet „vidit in Gallijs tranſlationem hanc, me conſiliante, „me iubente factam; & potes meminiſſe tu quoque „litterarum, quas Chiatillonus ad te intereà ſcripſit cō- „ſilio meo, quò ſineres eam nouam editionem pro- „mulgari.

„ Ad hæc in omnibus his, quæ publicè, aut ſecùs ego „ſubindè ſcriberem, Controuerſias eaſdem, quoad po- „tui commendaui perpetuò, & vt ſit fides dictis, Cardi- „nali de Ioyeuſe, & poſteà Cardinali à Camerino in „Actis impreſſis Collationis meæ Fontis Bellaquei o- „ſtendi hæc verba: Epiſcopus Ebroicenſis à Cardinali „Bellarmino ſemper libens diſcet. Quò loco, cùm glo- „riæ mihi tribuam, ſi Bellarminus ſit Magiſter meus; „meo ne Magiſtro maledixerim; aut id mihi iurè af- „finget aliquis, fons mendacij, atque periurij? Et non „erubuerim infamare Virum laudatum à me coràm „Galliâ vniuerſâ? In ſcriptis de Euchariſtiâ impreſſis, „ſed non dùm editis (finis enim eis, & concluſio deeſt) „videre Cardinales ij reſpōſiones tuas à me defendi ad- „uersùs Hæreticos noſtros, nec alio eas nomine com- „pellari, quàm aptas, & doctas reſponſiones Cardinalis „Bellarmini. Poſtremò Hæretici Galliarum, in tracta- „tionibus ſuis, appellant te Bellarminum meum, quod

&

„&pariter oſtendi in impreſsâ reſponſione Pleſſij Galli „Hæretici, qui te itidem vocat Bellarminum meum. „Cuncta hæc verò, quia typis data, poſſunt, quoties „libuerit, oſtendi. Rurſus auditæ à me querimoniæ, Ro„mam cùm veni, quoniam hic te partem Vrbis tàm „præcipuam ego non reperi; & harum teſtes ampliùs „biſſenos, omnes indubiæ fidei adferre poſſum. Propo„ſui quidem P. Franciſco Suario, & alijs, rationes ali„quot, quarum auctor antè me nullus, excogitatas, vt „ſoluerentur ea, quibus circà Euchariſtiæ res Hæretici „implicant ſe, & illaqueant: quemadmodùm eas dùm „audiuere ex noſtris Hęreticis doctiores aliqui, hęſere al„to ſilétio defixi, & propemodùm elingues. Sed mea ſi „promeré, illaudata non relinquebam, quæ promeban„tur abs te. Quippe addidi ſemper, ſi velimus quaſi viâ „ingredi regiâ, & calle nunquam deuio Veritatis, Fidei, „Lectionis, Tranſlationiſque, aut Conſtitutionis Aucto„rum; nos itineribus inſiſtere melioribus haud poſſe, „quam ijs, quibus tu graderis; & apud Scriptores, qui ab „annis quingentis floruere, nihil roboris inueniri, quod „non ſit ſparſum, & digeſtum in Voluminibus tuis: & „adhuc tamen potuiſſe te multa, quæ illi non para„uerant, noua & perutilia comminiſci. Me, haud infi„cior, quibuſdam locis vſum fundamentis alijs, & „conatum oſtendere, nunc Auctores, pro ſe quos Ad„uerſarij laudant, minimè Catholicos cenſendos eſſe: „ſed contrà Eccleſiam ingenia, & calamos acuere;

 nunc

„nùnc eſſe vitium in codice; nùnc traductiones prauas „eſſe, vel neutiquàm neceſſarias, aliterque colligi, con„ſtruiq; verba, vel potuiſſe, vel debuiſſe; nùnc demùm „Auctores in ijs partibus de Euchariſtiæ Sacramento „non loqui. Sed enim hæc omnia propoſueram ſub„mittere cenſuræ tuæ, ex quo & dolui, quoniàm Romæ „non adeſſes. Atque has lucubrationes meas Pater Sua„rius (qui ſcripſerat & ipſe de hoc Sacramento) legit; „ſuiſque etiam magnis cohoneſtauit aſſenſibus. Quod „ſi has, aut ſimiles voces ore innocenti prolatas, toxico, „vel alia veneni tabe infecit aliquis, quò inter nos diſſi„diùm oriretur, impedireturq; conſenſio animorum, „quam ſperaueram, & ſpero vtiquè, cùm videam apud „aures haud ità offenſioni pronas hæc ſparſa eſſe; hoc „enimverò adſcribam ego ijs, quæ peccaui aliter, ſed „non culpæ obſequij aduersùm te; quem, & Cardina„lem Baronium ſuſpexi ſemper, veluti duo maxima ſę„culi huius, & Eccleſiæ lumina. Quarè à culpâ inno„cens, & reum me eſſe tantùm ex pœnâ ſentiens, ex „quâ factum dolui, vt eiuſmodi ſuſpicione aſperge„rer, hanc ſcripſi epiſtolam, & quidem italicè, non gal„licè, vt intelligeres meliùs ſenſum cordis mei, quod „verè in his litteris idē, atq; in pectore loquitur: & ſcripſi „dictione meâ ineleganti; quia ſatiùs duxi, à te vo„ces minùs compoſitas vel cùm faſtidio legi, quàm „eum, qui mihi ab Epiſtolis Italicis, aut alium quem„quam habere conſcium huius fœdæ criminationis.

Diſ-

„Differam porrò rem vulgare, donec expedire iudica-
„ueris, vt demùm emanet prò meâ liberatione. Cæte-
„rùm quæ obiecta, cùm ea ſint, quæ verbo negare ſit,
„negabo equidem vbique, neque coràm vllis à vere-
„cundiâ metuam: ſed coràm me erubeſcet vtique, qui-
„cumque extitit mihi huius, ſimul calumniæ, ſimul do-
„loris faber. Interim manus tibi deoſculor. Romæ
„IV. Idus Febr. M. DC. V.

Hæc ipſi ad Bellarminum, quæ integra retuli, nè de teſtimonij magnitudine fortè narrationis breuitas quicquam detraheret: reſponſa iàm ipſius addo, & ſunt ferè in hunc modum.

Cardinalis Bellarminus Cardinali Perronio.

„COEPI, fateor, minus moleſtiæ ex falſitate, quæ ad
„me ſcripta nuper, quam gaudij iam ex literis tuis
„ſuauiſſimis. Deum precor, vt ex hoc merito te benè
„cumulatè munerari velit in Regno ſuo: noſtris verò
„inuidis calumniatoribus det ſimul veniam. Ego mul-
„tis modis tranquillus viuo in Eccleſiâ meâ, obſtrepen-
„tis procùl ab Aulæ ſono. Deſiderium tamen videndi
„te, & fruendi affabili iuxtà, atq; eruditâ conſuetudine
„tuâ (nam hic de te paſſim auditur laudis rumor) fortaſsè
„inducet, vt in Vrbē remigrem, antè diem, quem deſti-
„naui. Reſponſiones argumentorum nouas in ſanctę
„noſtræ Fidei patrocinium à te fuiſſe excogitatas, facilè
credidi;

„credidi; & eas tibi gratulor ex animo; quin & gratias
„Diuinæ Bonitati habeo, quæ, iuxtà temporum neceſſi-
„tatem, ſubmittit Eccleſiæ ſuæ Patronos, & defenſores.

Cardinalis Bellarminus, Cardinali de Ioyeuſe.

„DIFFICILE explicatu admodùm eſt, quâ perfu-
„deris me conſolatione litteris tuis: non modò,
„quia ſubmoueris animo onus cogitationis grauiſſi-
„mæ, quò anteà premebatur: verùm etiam, quia ſinceri
„ſtudij, & amoris aduersùm me tui, illæ ſimul indices
„fuerunt. Certus ſum, criminationes illas iniquorum
„operâ ſparſas eſſe: indagare tamen ipſarum origines
„prætermitto. Vox tua apud me, mille teſtes; & mille
„ſunt nomina, quibus me tibi debere fateor: vt occaſio-
„nem proindè expetam, quâ re, & factis teſtificari poſ-
„ſim fidem obſequij mei. Et ſi verò fuiſſet abundè,
„quò ſuſpicio hæc omnis vaneſceret, ſi tu, abſtergendi
„causâ eam ex animo, ad me vocem vel vnam, nedùm
„iuſtam epiſtolam dediſſes; ne Cardinalis Perronius
„hoc ſubiret oneris, vt ad me etiam ipſe ſcriberet: fuit
„nihilominus mihi percarum, ſignum hoc nuperum
„beneuolentiæ, quò me in Epiſtolâ ſuâ complexus eſt
„vir, quem ego tanti æſtimo, & tantoperè admiror.

Has hauſerant mutuò de ſe opiniones viri duo magni: ſicut vterque non dùm facie noti; ſic imbutus vterque quadam admiratione alterius. De quibus hęc

recenſere

recenſere hoc loco volui, etſi tempora variant, quò appareat, fuiſſe irritos conatus eorum, qui haud veriti ſunt contrà Bellarminum adgerere falſa, vt famam eius ex optimâ, aut dubiam redderent, aut malam. Apparuit verò egregiè, ſolere ab inuidiâ ſæpè laborare virtutem, ſed extingui nunquàm; & Bellarmini, ne quidem cùm obumbraretur, eſſe potuiſſe obſcurum nomen. Nunc ad Hiſtoriæ ſeriem regredior.

Virtutes eius, & Conſuetudo familiaris.

CAPVT VIII.

QVIA etiam Romæ adhùc virtutibus, ac morum innocentiâ Bellarminus, quàm doctrinâ claruit: nequit hæc pars præteriri; ſicut præterita nunquam eſt ab admiratione omnium, tàm qui domeſtici, quam qui externi cùm eo conſuetudinem habuerunt. Id verò agam, vel ideò, quia, quæ dixero, multis norma Religioſi moris eſſe poterunt.

Studia eius potiſſima erant, cuſtodiæ cordis non indormire, ſibique iterare illud; *Ad quid veniſti*? Prætereà cauere, ne veſtigium poneret, tamquàm non adeſſet Deus, & pauidum eſſe dumtaxat, ſi non impleret oculos eius. Et origo hæc fuit in ipſo illius caſti timoris, qui nec pectus in anguſtias premit, & noxas ab animâ expungit omnes, inſerens cordi ſenſum amoris venerabundi, qui ſimbolum eſt, ac nota filiorum Dei.

Non ipſe aſpectui conſulere ſpretâ conſcientiâ; ſed vbicumque demùm ageret, arbitrari, Cælitum ſe in theatro conſtitutum eſſe: & verò, cùm animo depugnans ſuo, habebat, quòd gauderet, dum ſe ſubindè ſuperaret. Item, quià norat, altam animi pacem tùm poſſideri, quandò voluntas ab eorum non recedit nutibus, imperijſque, quorum vicario tanquam ore vtitur, vt nobis imperet, Deus; idcircò cunctationem ſeruilem, ſtatim exequi regium ducens, eis dicto citiùs obtemperabat.

Plura de hac virtute complexi aliàs rem nihilominùs addemus, quę permagno debeat ęſtimari; eſtq́; cuſtodia perennis legum illarum omnium, quibus Religio ſibi, quaſi ſuis compagibus cohæret. Nàm eſt inuentus nemo, qui de Roberto referret ſemel, eum legem è quamminimis vel vnam neglexiſſe. Imò affirmant potiùs omnes, eum vixiſſe, ac ſi perpetuò Nouitius eſſet, & is, cui flos virtutis primus cùm tempore minimè inareſceret. Reuerſus aliquando è Tuſculano ſeceſſu, veſtibulo in ipſo Collegij audiuit pulſu Nolæ conuocari ad menſam omnes; erat verò pro eo die ipſe, iuxtà morem communem Societati vniuerſę, conſcriptus inter Coqui adminiſtros, vt lances elueret. Ergò, tametſi potuiſſet interpretari è Collegij Moderatoribus neminem forè, qui ſe ad intempeſtiuum miniſterium exigeret; poſteàquam ambulādo ab aurorâ ad hoc, quod erat diei, nunquàm ceſſaſſet: nihilominùs

minùs cubiculum ne quidem à limine ſalutauit, & rectâ contulit ſe ad abiecti operis locum; vtique diem venerans, in quo ſibi vilis labor parere illuſtrè meritum potuiſſet.

Sic quidem ipſe in legibus, quæ ad ſe ſpectarent; ſed ne ab obedientiæ maiori laude ceſſaret, ecce etiam quo pacto leges coleret alienas. Tantùm ijs, qui ſtudijs operam impendunt, & non, qui eos condocent, in Romano Collegio lex eſt Latini ſermonis, ſi loqui neceſſe extrà horarium ſpatium tàm diei, quàm veſperæ, à prandio pariter, atque à cœnâ, in quo remiſſionis causâ, & vt procul à literis ſit animus, cunctis linguæ vernaculæ fit venia. Extrà eas horas itaque, ſi Iuniorum quis eum adiret, & ſermonẽ Italico fortè idiomate auſpicaretur, tùm ipſe Latinè excipiebat, atque illum hoc pacto exiſtimabat officij efficaciter iuxtà, ſuauiterq; commonefieri. Et poſſem huius generis referre multa; quæ tàmetſi tenuia, ſi perpetuo vitæ tenore tamen vſurpentur, abſoluunt omnibus lineis in Religioſo viro idæam obedientiæ.

Non ſuberat cura minor circà paupertatem, quâ Magiſtrâ ſtare Religionis diſciplinam ſatis intelligebat. Diſtinguebat in eâ propterea interdùm voce, ſæpiùs re, & effectis, finem, & vim ipſam, naturamque; vt qui, non interpretando, ſibi eius votum, & leges aptas faceret, ſed ſuos potiùs mores ad eã accomodaret. Sic autẽ definiendo pronunciabat. Vt quis huius Re-

ligioſi voti cuſtos integer habeatur, ſat eſt, è rebus, quas vtendas accipit, ſi nullâ fruatur perindè, ac ſi ſuam eã duceret. At conſideranti, cur diues rerum omnium, & diuitiarum conditor Deus exuerit ſe ijs ad paupertatem vſquè, cùm à regalibus ſedibus Patris venit Omnipotẽs Sermo, vt in hâc virtute nos erudiret, facilè ſit intelligere, cordis puritatem eum finem eſſe, ſepoſiti planè à re quauis Mundi huius, quo exoneretur grauibus exuuijs, & promptè ad Deum emigret, reddaturque ſimillimum orbitæ, quæ vix humum tangit, cieturque ideò in partem omnem giratione perfacili. Hoc pacto enim Religioſus cum Apoſtolo dicere poterit. *Quæ retrò ſunt obliuiſcens, ad ea, quæ ſunt priora extendens me ipſum ad deſtinatum, perſequor ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu.* Eam fuiſſe cauſam, exiſtimabat, cur noſter Sanctus Legiſlator, dùm præſcriberet modum his, quibus vitæ in momenta deficientis, ac labẽtis minutatim neceſſe habemus reparare communes ruinas, vetuerit, res, tanquàm eſſent priuati fundi, vſurpari, aut appellatione noſtras dici: adeò vt nè quidem ſcripta ſtudiorum excipiat, ſimbola pietatis, & libellos de cultu animæ, quos obedientia permittit: quippè cùm hæc, & quęcumque ſpectant ad veſtitum, & ad vitæ ceterum vſum præceperit tanquàm communia poſſideri, qui modus ſuſtinendæ paupertatis eſt perfectione optimus. Nihilominus addebat, in hoc ipſo gradu virtu-
tis

tis, adhuc diſtingui poſſe inæquales laudes. Qui perfectiores, ij penes ſe attinét quam pauciſſima, & quam poſſunt minima, vſque eò, vt ne quidem in libello quotidianarũ precum Sanctorum pias icunculas pro indicibus paginarum interpoſitas habeant. Imò ſi fieri poſſet, ſcriptis proprijs vellent carere, vt meliùs exprimerent exemplum in ſe dicentis; *Vulpes foueas habent, & volucres Cæli nidum, filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.* In quo noſtris laicis adiutoribus piè inuidere ſe, aiebat: nam hi, quia ſcriptis, & libris minimè indigent, perfectiùs paupertatis Magiſtrum Chriſtum Seruatorem imitatione referunt cui (quippè Sapientiæ Æternæ) legenti in ſe, quæ vellet non erant neceſſarij codices, & paginæ, dura neceſſitas humanæ mentis.

Hæc ſtudia ſermonibus ſuis optimus Magiſter exuſcitare in animis ſociorum: ſed nunquàm verbis ità magnificus hortator, quin plus etiam factis oſtenderet. In habitu nihil paſſus rarum, & notabile: in Cubiculo modica omnia, & ſuperfluens nihil; fuitque in eâ parte tàm accuratus, vt videretur aliquibus, ducere religioni nimia. Locum quem aptaret ad preces, re haud opulentâ ornabat, ſed imagine, è vulgari aliquâ formâ, in quâ cauis lineolis, quaſi paruis canaliculis, colorem ducens lamina æris, cetera nitens, prœlo comprimitur, & momento iconem pingit. Cùm Moderator factus Pœnitentiarij Collegij ad Diuum Pe-

 trum,

trum, eoque ſe primùm contulit, tùm à Patre Decio Striuerio, Inſpectore eius Domicilij ſciſcitatus eſt, an imago Virginis Genitricis, picta ſuper telam, quam is, qui anteceſſerat Rector, in loco ad precandum diſpoſito reliquiſſet, & ſi tenuis operæ illa foret, paupertati parùm accommoda videretur. Attinebat apud ſe tantùm pauculos libellos neceſſarij vſus, atque ex ijs referebat ſępè ad Bibliothecarium aliquos diuidendos alijs, quibus eorum foret, aut neceſſitas, aut deſiderium maius. Aliquandò, cùm, vt more fit in Romano Collegio, ad Præpoſiti manus quiquè abdicarent ſe ſponte rebus, quæ ſuperant; reperit Bellarminus apud ſe nihil, quo poſſet carere, præter Reliquiarum thecam, & illam obtulit; quam Præpoſito iubente ad ipſum redire, haud admiſit tamen, dictitans nolle ſe quidquam ex his, quibus ſemel caruiſſet.

Neque ſubditus modò ità conſueuit; ſed etiam cùm imperauit alijs: quo tempore, ſtudio paupertatis, huc euaſerat, vt nè quidem pias res, & religioſas colligeret, quò alijs, vti fit, eas diſtribueret: reſpondebatq; petentibus, ſe, cùm nihil haberet, ab eâ lege liberum, vt alijs quicquàm daret: quam item ob cauſam vetuerat nè etiam ab externis, quæ eſſent eius generis, Noſtri flagitarent. Miſerat ei, dùm iàm in purpurâ, Religioſus vir Neapoli modicellas ampullulas oblongi, & anguſti oris, nec ſtatim hiantis, & patentis exitus, in quibus includunt Barij ſacrum laticem, qui è Sancti Nicolai genu

nu perennans, guttatim fluit, ac circà valetudines eſt miræ virtutis. Ipſe retulit homini gratias, ſed conſilium addidit, talia nè deinceps apud ſe haberet. Decere enim religioſos ijs priuari, aiebat, vel ideò, vt occaſio deeſſet alijs ea tribuendi. Et ſic in eo extincta cupiditas, quæ eſt malorum omnium fomes.

Ad hæc nullus fuit tàm occupatus dies, qui ei exercitia præſcripta contemplandi, ſupplicandique, aut adimeret, aut minueret; ad quæ accedebat cum apparatu animæ, & inde referebat idcircò liquidas voluptates. Libros pios lectitabat frequenter, habebatque in delicijs Sanctorum vitas, præſertim S. Franciſci eam, quam S. Bonauentura compoſuit: & ſicut erga eum afficiebatur plurimùm, ità de illo crebros miſcebat ſermones, & ſæpè in Arâ illi dedicatâ Deo perlitabat. Oblectabatur etiam vitâ S. Catharinæ Senenſis, & B. Catharinæ Genuenſis, propter ſenſa animi ſublimia, quæ communicauerat illis Deus. Sed liber quotidianarum paginarum erat ei Thomæ à Kempis diuinum Opuſculum de Imitatione Chriſti, de quo in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, *Ego*, inquit, *ab adoleſcentiâ meâ, & vſque ad ſenectam, hoc opuſculum ſæpiſſimè volui, & reuolui, & ſemper mihi nouum apparuit, & nunc etiam mirificè cordi meo ſapit.*

Mens ità plena Deo non poterat, quin colloquia ſemper pia profunderet; aperiebatque cordis copiam ità ratione ſimplici, ac dulci, vt ſociorum aures oble-

ctaret mirificè. Cùm à menſâ ad Ægros in Valetudinarium ibat conſolandi eos causâ, ſermo erat de re aliâ nullâ, quàm de Piorum in Cælo ſedibus. Et quàm „erit iucunda res, aiebat, illorum intereſſe gaudijs, qui„bus patuit aditus ad vitam in Cælo bonis omnibus „circumfluētem! Quàm erit pulchrum intueri, trium„phantes acies illas, cum earum Conditoribus, ac Du„cibus, Benedicto, Dominico, Franciſco, & alijs, quibus „conceſſa ibidem vota, & gaudia felicium! Quàm ſin„cera, ac minimè volucris voluptas, cum ſocijs illis for„tunatiſſimis vitam poſſe traducere, ſi ad præſens in ter„ris recreamur adeò, dum ità nos inter nos viuimus! „Certò ſcimus Collegium magnum, & frequens eo„rum, qui pridem hic nobiſcum vnà vixerunt, indue„runtque lacernas iſtas, nunc IGNATIO Parenti dulciſſi„mos comites adeſſe cùm Chriſto, lucis amiculo can„didos, ſplendenteſque gloriâ; & victrices manus pal„mis decorare, quibus non laborant, nec inſudant am„pliùs alienæ vtilitati. Siquidem ibi triumphant, vbi „negotium eorum eſt feliciſſimum illud otium, Deo „laudes concinēdi, ac vbi mille annos perpetuò viuent, „à ſæculo ad ſæculum, procùl à fatigatione, procùl à „ſatietate; quia Deum, quem diligunt libenter, ac ſine „labore laudant, & contemplantur. Addebat intereà, „ſi quotquot viuimus in hoc Domicilio, Sancti omnes „euaderemus, & quidem vnus Auguſtinus, alter Baſi„lius, Hieronymus, Bernardus, nonne hic Cælum eſſet?

Et

„Et quæ demùm impediunt, ne diuinæ gratiæ obſe-
„cundanti animum demus, futuri perſimiles his, quo-
„rum adeò nos mores delectant? Cur, quæ eſt Beato-
„rum in Cælo ſedes,& conditio, illam non auidè ſecta-
„mur? Hæc tum ipſe. Solent haud dubiè ſermones ho-
neſti, ſi lepore aliquo condiantur, animum arguere à virtute præparatum. Adnectam huic loco, de Bellarmini hac etiam laude, aliquid. Primò conſuetudinem ei nonniſi cùm Viris inſignitè pijs fuiſſe, vt cætera ſileam, indicant litteræ ipſius ad Ioannem Marianam è Societate noſtrâ, qui librum ei dedicarat. Anſam enim indè arripiens actum tempus recenſendi, cùm in Ro-
„mano Collegio vnâ ſtuduere; Equidem ignoro, in-
„quit, an plus debeam eo nomine, quod mihi librum
„dedicaueris: an verò, quià memoraueris iucundè anti-
„quos ſocios, qui vixere vnà nobiſcum, fermè annis ab-
„hinc ſexaginta, & ex quibus iàm ſuperant duo P. Iaco-
„bus Crucius, & P. Bernardinus Caſtorius. Nihilomi-
„nus, tàm ob operis dedicationem, quam ob recorda-
„tionem fratrum noſtrorum, qui è viuis exceſſere, quo-
„niam fuit vtrique noſtrum iucundiſſima, Deo gratias
„referamus, qui fratres nobis tàm probos dedit. Quam-
„quam ego te aliquanto felicior, cui licuit frui conſor-
„tio B. Aloyſij Gonzagæ integerrimi, ſanctiſſimique
„iuuenis.

Hoc agebat prętereà, vt ſuis ſermonibus ſonus culpæ interſtreperet nunquàm. Adferebat ſæpè ipſe ma-

teriam ſermonis curioſam iuxtà, atque perutilem, de quâ iuſſi omnes in vicem dicere; haud ſecùs, quàm de conſilijs animæ cõferri ſoleat in cœtu plurium virtute ſociatorum. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, Sanctorumque Vitæ, quas narrabat, ex eius ore candido, ſimplicique, referebant vim neſcio quam grati motûs, qui ad imitationem ſenſim animos alliceret. Ad hæc inferens ſe in circulos, ſi tempori aptum iudicaſſet, ſpatio ad cogitandum dato, inuitabat ſingulos, vt proderent ipſi, & prædicarent, ſi quæ omiſerant, commiſerátvè; ratus eâ manifeſtatione nihil efficaciùs ad ſui victoriam eſſe, & ſimul prudens, vitia nuſquàm meliùs deponi, quam illic, vbi vitia nemo rideat. Id cùm ſemel ſortitò ei contigiſſet, ignorauit mens eius innocens aliam renunciare de ſe ſpeciem admiſſi criminis, quàm quod, vt aiebat, ſibi perſuaſio interdùm fieret, in ſuis precibus ad Deum apprimè ſe pium eſſe; cùm tamen re haùd ità foret: in quo ſatis magnam viſus eſt ſui cordis nudare puritatem.

Hos iàm ità ſalubres ſermones, ne ſatietate afficerent, condire ipſe ſalibus, ac iocis, & mirâ varietate, vir, ſicut ad cætera egregiùs, ità à comitate, quæ ſine vitio eſſet, non auerſus. Nihil eum remiſsè, vel ſeriò agentem dehoneſtabat; in ore lenitas, & riſus decens, in fronte blandientes oculi; vultus denique totus ad charitatem compoſitus. Exindè vſque adeò laudatus à cunctis, atque dilectus erat, vt inuenti ſint haud ità

pauci,

pauci, qui, dùm occaſio ferret, vt aliquò iret, vel cùm incommodo etiàm, ſtuduerint ei comites eſſe, quò haurire poſſent in viâ ipſius alacritatem, & tanti animi ſpiritum; nemoque aut triſtis, aut languens redibat. Viciſſim ipſe, inamœnus nunquàm, ſubſeruire ſingulis per ſe, & per res etiam, quas vtendas haberet, ſi eſſe alijs vſui poſſent, atq; id efficere alacritate ſummâ &, vt plurimum non rogatus. Perito Muſices plurima in compoſitis Canticis erat voluptas, & hoc exiſtimauit exercitij iucundũ quoddam genus, viris Religioſis ſatis quidem aptum: quia, dum illo à curis animus leuatur, exulant ab ore ità modulato ſermones interim alij, quibus poſſet virtutis vigor remolleſcere, aut labefactari. Demùm illud euitauit prudenter, ne facto læderet, aut verbo quemquam. Propterea ergà omnes modeſtè, ac demiſsè agere: ſingularia, quæ offerrentur abnuere; communi ſorte contentus, etiam in mensâ, viuere: ſuper quam ſi afficientes cibi, & valetudini conſentanei parùm, apponerentur, haud ſibi patiebatur ſalubriores miniſtrari, quãtumuis ex ijs, qui more Collegij apparantur ad eos nutriendos, quibus valetudo improſpera, & ideò cauſæ ſuppetũt, vt communibus abſtineant.

Artifex iàm tantę peritiæ, vſu tractandi animos Sociorum, par erat, vt Magiſter omnium deſtinaretur. Conſtitutus itaque fuit à Confeſſionibus eorum, qui in eo domicilio alebantur, inter quos tunc Beatus A-

loyſius,& alij moribus cæleſtibus excelluere. Exercebat pijs meditationibus pectora ſingulorum, hortabaturque omnes, vt penetrarent profundè tria illa, de quibus alibi: nempè quid exigat à nobis Deus? à Deo quid exigamus nos? & quæ res demùm impediunt,illa ne fiant? Præerat inſuper domi; cùm priuatis concionibus, quibus præludunt muneri magno Religioſi, qui illic inſtituuntur; tùm prælectioni piæ ſuper menſam, pro quâ coëgit in Elenchum Auctores eos,qui apti ad conuiuium animę;dum corpori refectio datur. Ergà eos, qui veniebant è Religioſi Tyrocinij rudimentis, erat tàm obſequioſus, tàm venerans, vt ij exindè rubore ſuffunderentur: cùm illos interim ipſe condocefaceret, nihil magis decere initia virtutis, quàm obſeruantiæ, obſequijque mores. Explanauit Laicis Adiutoribus,in vnaquaque hebdomade,Symboli capita, & Fidei præcipua documenta: & verò tàm à cura,vt in codicem priùs referret,quæ eſſet dicturus. Hinc in eam perfectionem opus euaſit, vt poſtmodùm è Sacerdotibus plurimi, quæ dicebantur, exſcriberent. Dein his explanationibus Bellarminus, tamquàm materiâ diſpoſitâ,vſus eſt,vt formaret communes Inſtitutiones Chriſtianæ Diſciplinæ, quas poſteà CLEMENS VIII. Pontifex imprimi mandauit. Adhortationibus domeſticis etiam, quas habuit frequentes, tenuit habenas animorum; quos virtutis in partem omnem pariter cùm oratione flectebat, ho-

dieque

dieque Religioſus quidam affirmat (modo excipias diuinam gratiam) nunquàm expertum ſe motus, & ſtimulos efficaciores, quibus ad progreſſus in virtute perpelleretur,quam id Bellarmini voces egerint. Item ex Societatis Adiutoribus vnus excitatus à deſidiâ, reuocatuſque eſt à ſpiritûs vitiosâ laxitate ; in quam proiectus diù vixerat, non ſine aliqua notâ. Qui ſæpiùs etiam ad Bellarminum reuerſus, vt (quod euenire ſolet motis ſemel in religionem animis,) proueheretur in maius, euaſit facilè Collegij præcipuum adiumentum.

Deniq; haud imparatum inuenere vnquàm, ſi qui adirent (adibant verò frequentiſſimi) vt conſulerent circà res animę. Quos excipiebat caritate plurimâ, pro vt cuiuſque neceſſitas adhortaretur, ſic moderans, & ad ſubtiliora hominis interni iudicia nunquàm hebes. Si quem turbaret commotio vehemens, incipiebat cùm eo humaniter, & perindè, ac decet cùm ægro animo: & tùm hæ ipſi fuerunt artes. Primùm aures dare, naturamque feſtinè odorari: pòſt eius ſenſibus perſpectis, oratione dulci delinire; poſtremò vbi in animum eius benè penitùs ſe dederat, ſalubribus conſilijs pro re natâ curare, & reflectere ab ægrimoniâ; donec iam ad tranquilla redeuntem, & frœni patientem in partes virtutis flecteret, incitaretque. Atque ità ſatis prudens, quod in eis offenderet feruoris, ſpatio vaneſcere, atq; auferri; quod deſideraretur con-

ſilij, & virtutis matureſcere paulatim, dum vitium illud prius ſeneſceret, ſapientiſſimè affectos animos curabat. His, qui liberalibus diſciplinis iuuentutem imbuerent, vel incumberent aliorum bono, nihil magis, quam Chriſti Domini māſuetudinem ſuadebat: cùm ſit ea virtus apta imprimis animis promerendis, & peruincendis difficultatibus quibuſcumque. Hoc pactò ſemper porta illa conſilijs optimis aperta reperiebatur; & adibant pauidi, vt redirent fortes; incerti, ac dubiæ conſcientiæ, vt religione animum exſoluerent; gelidi vt fouerentur; neque quiſquam erat, qui reuertens ab Oraculo illo, hæc non vſurparet. *Nonne cor noſtrum ardens erat, dum loqueretur in nobis*? Sic ſanando omnes, in quibus ægrotarent artes animi; ſimul conſuetudine ſuâ exteriori partem bene magnam interni ſui ornatûs, qui ex eâ dilucere ſæpenumerò ſolet, nobis intereà manifeſtauit. Cùm cæterùm in hunc ornatum non poſſet ire penitùs cognitio: adeò ipſe adnitebatur pro ſe iacere in occulto, minimè clarum volens theſaurum reconditiſſimarum opum, quas animæ in ſinu cuſtodiebat.

Profectio eius in Gallias, iuſſu XISTI V. *Pontificis, vnà cùm Cardinali Henrico Caietano Legato; ac de his, quæ tùm egit pro Eccleſiæ bono.*

CAPVT IX.

DVM pro Religione priuatim Bellarminus contentione, ac ſtudio magnò laboraret, euocatus repentè fuit pro communibus rebus eiuſdem Religionis. Regnum Galliarum, Henrico Tertio Rege morte fortuitâ abrepto, collidebatur turbinibus ſæuis, inteſtinoque & hærente in ipſis viſceribus vrebatur bello; diſceſſerat verò ea Nobiliſſima Natio in factiones duas: dum interim Vrbes, & populi, magis ſine Domino, quàm cùm libertate ſequerentur, alij partes Principum confœderatorum, alij partes Regis Nauarri. His grauibus ærumnis XISTVS V. Pontifex vt aliquo modo conaretur occurrere, decreuit è Sacro Senatu Purpuratorum Legatum eò mittere, qui auctoritate, prudentiâ, & cùm opus foret etiam, impendio ſuo ſuſtentare iura Catholicorum poſſet. Ad id verò muneris, quod ità magnum, ac pertinens erat, Henricum Caietanum Cardinalem S. R. E. Camerarium deſignauit, Virum ſanguinis luce, familiæ gloriâ, ſumptibuſque prælautum, atque magnificum; intelligentiâ verò rerũ, iudicio, ac magnanimitate facilè primum. Princeps ità prouidens, agendique ſciens, videbatur nihil poſſe deſi-

deſiderare, in Legatione illâ, quam Conſiliarium, cui Fides inniteretur, ſi de rebus ſpectantibus ad eam eueniret fortè, vt decerni quid oporteret. Super hoc tamen haud haberi varians delectus potuit, dum Bellarminus viueret in oculis Vrbis, vir excellentiâ doctrinę præ cunctis clarus. Iuſſus ergò à Pontifice; vt cùm Legato in Gallias iret; interrumpere tenorem Operũ ſuorum. In quibus conſcribendis tametſi cõtinuatio eſſet efficaciſſima, tulit attamẽ ſapienter, ſe à ſtudijs ijs auelli; haud pulchriùs ratus, doctrinę labores Sedis Apoſtolicę causâ ſuſceptos, eâdem iubente proſequi, quam relinquere. Propter Libros primos Controuerſiarum, erat iàm Bellarmini celebre nomen tràns Alpes, quas vbi tranſcendit (vti percrebuerat, in eas regiones ipſum aduentare) cùm Vrbes attingeret Legatus, admirationi erat conferta multitudo, quæ Bellarmini limen requirebat, vt hominem in Ciuitatibus ſuis auditum, famâque notum, vultu agnoſceret etiam. Sed, quæ cœperat iàm antè eos fama viri, ſubſtituerat animo ſpeciem quoquè corporis amplam, atque magnificam. Quare cùm deindè aſpexere aliqui ſtaturâ minore, famæque diſſimilem, (eminebat enim, non coporis ſpecie, ſed virtutis, ac doctrinæ magnitudine, quâ vnâ æquari non poterat:) ſententiam ferè oculi mutarunt; vt eſt vitium commune Mortalium, homines ſpecie, vultuque æſtimare. Ad hæc vis eius mitis, & demiſſa in agendo, loquendoque, nõ ea nimirùm, ad quam,
inducti

inducti prędcatione laudis eius,&auctoritate grandia, &ſublimia pronunciantis; mores item faciles,nulloq́; faſtu, aut ſupercilio, cauſæ erant, vt qui eum metirentur corporis mole,non gloriæ,dicerent inuicem: *Ergò ne Bellarminus hic eſt*! At verò alij, cùm eo congreſſi coràm, audiuere de doctrinâ diſſerere;& tùm eos maior præſentis veneratio cœpit. Atque ità, tametſi aſpectu appareret minor laude ſuâ,& in formâ exteriore ad famam nihil adeſſet adiumenti; ne hæc famam eandem extinguerent,vis, & meritum impediuere.

Hos inter plauſus,& obſequia,difficultates non defuere,atque diſcrimina, cùm Gallias propiùs penetrarunt. Sparſi vndique hoſtes formidini erant; recentes cædes multorum ad metum proponebantur, inſidiæ, & fraudes; vt neque ſecuritas eſſet ab ijs,qui ſe amicos venditarent. Sed clarum periculum imprimis, Diuione dum prætergredi vellent, euitarunt. Legato nihil magis erat in votis,quam vt Lutetiam Pariſiorum perueniret celerrimè; quò Ciuitatis, quæ eſt Regni caput, conſtantiam,& fidem meliùs poſſet tueri. Dum ergò in eâ deliberatione conſtant omnes; rumor auditur, Legiones haud multum abeſſe, Hoſtemq́ue abditum in ſyluis,vt Legatum ad eas cœcas belli artes improuidum opprimeret. Hæc fama ab aliquibus vera,ab aliquibus mendax habebatur; nec certi quicquam intelligi facilè tùm erat. Ergò iuere multi in eam ſententiam, ne iter continuaretur: quia ſuberat metus inſi-

V diarum;

diarum; quia viæ ducem amiſerant, ſine quo deerraſſent, dubijs præſertim itineribus; demùm, quia militis cuſtodiâ deſtituti; qui in tanto hoſtis vicini periculo tegeret Legati latus. Alij, hæc omnia dici metu interprete, & ideò aut falſa, aut maiora vero, arbitrabantur. Legatus proindè conſilia priorum aſpernatus, ſe itineri, quemadmodùm deliberauerat, dediſſet; niſi Dei prouidentia rem flexiſſet aliter.

Peractâ re Diuina, in qua Deo commendauerat impensè negotium Legatus; fluctuatus aliquandiù animo eſt, vtrùm protinùs pergere, an morari præſtaret: ac demùm incerta voluendo, vtrumq; conſilium ſic æſtimauit, vt quantum alteri deeſſet animi, tantum alteri ſupereſſe, diceret. Et fortaſſe viciſſet pars, quæ in præſentiâ videri poterat maioris animi, quàm conſilij, niſi iniecta mens Legato fuiſſet, vt ſingraphas duas ſacrum in Calicem conijceret, ſcriberetque in alterâ *Eundum*, in alterâ *Non eundum*. Quià enim ſorte exijt ſingrapha, quæ fuit auctor non eundi, Legatus paruit monenti Deo. Viſum verò id conſilium non pietate religioſius, quàm euentu fœlicius. Etenim interſeptis itineribus ægrè vim hoſtium euaſiſſent, & Dynaſtes Temineſius, qui cùm copijs ſuis proximũ locum inſederat, facilè, ſi perrexiſſent potiùs, comprehendiſſet omnes. Redditus periculo cautior Legatus, armatos homines ad ſe deducendũ, tuendumque, quos Lotharingiæ Dux ſponte promiſerat, & viæ ducem, virum pro-

probum,ac fidum accerſiuit. Quarè,vbi adfuit Dynaſtes S. Pauli cùm milite Lotharingo,tametſi eâ nocte, hoſtiliter, ac dolo ſubditis ignibus,ſtabulum cùm equis eius conflagraſſet; damnum hoc repens haud efficere potuit, quin maturaret proficiſci. Imperato enim,vt noua iumenta præſto eſſent, neve vlla foret pretio venia, vel mora; exiuit indè, &,quam maximis poterat itineribus Lutetiam contendens, eam Vrbem ingreſſus eſt XIII. Cal. Februarij anno M. D. XC. exceptus omnibus Ordinibus obuiàm effuſis; manſitque in eâ vſque ad Septembrem ineuntem.

Dum hic inſiſteret pro ſe Legatus ſedare illius perturbati Regni grauiſſimas ſimultates, conſultationibuſque librare iura ferè Principum omnium, ad quos Bellum id attinere iudicaretur: Bellarminus hoc habuit ſtabile, ac fixum, vt à Pontificis voluntate, & à Præpoſitorum ſuorum inſtructione nihil quicquam declinaret. Etenim hi ſeuerè monuerant, ſubduceret ſe à politicis tractationibus, vt pote alienis ab inſtituto eius: & ipſe quidem ab eiſdem,tanquàm à profanis, & interdictis rebus perpetuò abſtinuit, vt è re, quam narro, ſatis nimirùm conſtat.

Aliquandò,dùm Legatus conſilia in priuato, ſeductaque à plurium conſcientiâ haberet, accitis dumtaxat viris vitâ integerrimâ, famâque doctrinæ claris, Bellarminum etiam conuocauit: & ipſe audijt attentè initio,quæ proponebantur,ac poſt è circulo,in quo

illi capita conferrent deliberabundi, pedem lentè reprehendens,in loci angulum ſeceſſit. Legatus, abeuntem videns, monuit accederet, vt ex propinquo audiret,diceretque inuicem; nam ab eo ſententiam optabat. Tum Bellarminus eâ libertate ſermonis, & candore, quem habuit perpetuum, miſſum in Gallias ſe tantummodo ad pertractanda ea dixit, quæ Religioni; non quæ carni, & ſanguini proſpicerent, (agitabatur enim res Principum quorundam primariorum) daret roganti proindè veniam, ne tum adeſſet. Reſponſio hæc Legato, vel vlli ex Conſiliarijs adeò non ingratis accidit, vt traxerit potiùs omnes in admirationem virtutis: hodieque magnus quidam Præſes Senatûs Pariſienſis, nomine Seguerius, qui tum intererat, refert, ab eo tempore deinceps propterea Bellarminum à ſe in ſummâ veneratione habitum fuiſſe.

Copiam de ſe tamen haud negauit, quoties ſuper incerta conſcientiæ, vel ſuper obſcura Fidei rogaretur. Quià verò paſſim inciderent ſermones ſuper electionem Regis; ipſe tùm ſilere de politicis rationibus, & tantùm addere optandum, vt Rex eligeretur, qui induceret in Gallias Concilij Tridentini inſtitutiones: quoniam hęc ſola res poſſe videretur parere conſtantē pacem: cætera enim adiumenta obices eſſe, haudquaquam turbinum illorum inundationi pares: quæ eius ſententia,ab optimis quibuſque,haud inutiliter,audiebatur.

diebatur. Non diù verò ibi fuit, cùm obuenit ei, vt laboraret pro Eccleſiæ communi bono, opportunitas magna.

Periculum inter maxima ſupremum, quo tùm defungi debuit Chriſtiana Religio, fuit coorta veluti tempeſtas, quæ ad ſchiſma Præſules Regni, & Epiſcopos multos, ſicut ad ſcopulum intuliſſet. Ducti enim ſtudio inconſulto, fundati ſuper dubia euenta, & ſequuti partes Principum diuerſas; ſuaſi verò narrationibus, quæ ſparſim ferebantur, & acti demum propria, ſeù vtilitate, ſeù vehementiâ diſſiparunt, conuocandum Concilium in Vrbe Turonenſi, in eoq; metuendum, ne Patriarcham ſibi deligerent, à quo (cuius erat aliqua reuerentia) Sedis Apoſtolicæ imperium, & Diui Petri quoque Cathedra ſperneretur. Attonitus, & anxius animi hæſit Legatus, audito nuncio tantæ calamitatis. Quarè ne res ad perniciem totius Eccleſiæ manaret, duxit omni ope adnitendum, vt illud damni conciliabulum impediretur. Præter remedia plura, iniunxit Bellarmino, epiſtolam ſcriberet, moneretque Antiſtites Regni, vt cauerent Turonum, Concilij causâ, proficiſci. Præſtitit hoc ipſe peregregiè, ac tamquam in eâ Legatus loqueretur, oſtendit, ægris non licere de medicamentis eligere, & id poteſtatis habere neminem, vt indiceret Concilium Nationis, quamdiù in Regno ipſe moraretur Apoſtolicæ Sedis Legatus, ad quam Sanctam Sedem

 reijci

reijci debet onus, & cura decernendi de his, quæ ad fidem Catholicam, & Eccleſiæ regimen ſpectant. Deinde intentans eis excommunicationes, execrationeſque Cęleſtium, edixit fore, vt Cenſuris grauiſſimis implicití Sacerdotijs caderent, & vt eis ſtatim interdictum eſſet ſacrificijs, Templis, & cœtibus piorum, ſi Turoni, vel vſpiàm conuenirent, deliberaturi circà Religiones, ac Deum. Sed, vt Numini placuit, cunctorum verſæ alio curæ; & viſa ea conſilia vaneſcere; obnitentibus contrà etiam Viris Magnæ auctoritatis, qui communem rem ſaluam voluerunt.

Non hæc tantùm agere Sedis Apoſtolicæ causâ debuit, ſed & fortia pati; præſertim quando Rex Nauarræ inſtare tormentis, mœnia quatere, ingreſſum tentare, denique Vrbem, ſi minus vi, ſaltem obſidionis pertinaciâ vincere conatus eſt, aſſultante per campos equite, & caſtris ità poſitis, vt eſſent interſeptæ vię Ciuitati ad commeatus, quæ non aliàs magis anxia, & pauens, ob incommoda belli, famemque ingraueſcentem. Et tùm Bellarminus ſuſtinuit exempla neceſſitatis omnia, quæ de calamitoſiſſimis quibuſque obſidionibus hiſtoriæ referunt. Etenim obſidio, & fames tantum non ad humanos cibos compulit; quos ſi excipias, carſibus, & carne pecudum immundiſſimorum propulſare famem adacti ciues; vt vix ea coemere, & impetrare pretio poſſent. Certè Legatus Hiſpani Regis tùm ad alios, tùm ad Collegium noſtrum par-
tem

tem equi ſui tranſmiſit; rem dictu paruam, cæterùm inopia fecerat argumentum ingens caritatis. Olera, ſtirpium radices, internataque ſaxis germina, & ſi quid vlla fœlix arbor, aut tellus pepererat, ſoleas, calceoſque & lora equorum, atque habenas iàm abederant. Demùm nihil tam ſordidum fuit, in quod, flebili miſeriarum, patientiæque documento, ventris ira non deſęuierit. Quam arctiſſimam neceſſitatem nequiuiſſet diù Ciuitas adeò frequens tolerare, & paſſa damnum aliquod inſigne fuiſſet, furore eorũ, qui ex fame extabeſcebant; niſi auctoritas Legati, conciones Religioſiſſimorum hominum, diuitum largitiones, & ſuper omnia Virginis Deiparæ patrocinium, cui votis publicè nuncupatis fuerat inſtructa ſupplicatio, ſubſidium attuliſſent. Bellarminus intereà preces Deo fundere, & orare meliora, addereque ſponte obitas verberum, & ciliciorum aſperitates, & in communi Vrbis ieiunio pati adhuc affIictiorem famem: quò Deus iram ſedaret, & reprehenderet diſtrictum enſem, qui ſuper Chriſtianiſſimum Regnum, perturbatum prauis conſilijs Hæreticorum, pendere videbatur. Multa verò cępit eum commiſeratio militum, quibus aut dandus, aut hauriendus eſt ſanguis; vel tolerandæ duræ hyemes, atq; æſtates anhelæ. His enim etſi bene eſſe diceret, ſi causâ Religionis dimicantes, ſolum referre putent, vt nouiſſimum ſpiritum per pietatem effundant; mœrore tamen afficiebatur, cùm flagitia aliquorum

quorum aut audiret, aut aſpiceret. Habet hoc Epiſtola, quam ad Maximilianum Ducem Bauariæ poſtremò dedit, occaſione Bohemici belli; fermè in hæc
„verba. Tangit me, inquit, commiſeratio ingens ergà
„milites, & quotidiè Deum oro, vt det illis, aut inno-
„centiam, aut maturam pœnitentiam: quoniam eos ad
„mortem, quam mortalitas quidem effugere non po-
„teſt, militia etiam præproperè adducit. Pluribus in-
„terfui prœlijs, neque temerè rem incognitam loquor,
„puer in Italiâ, iuuenis in Belgio, & in Gallijs maturus
„vir; vbi cladem inſpexi eorum, qui necabantur, ob-
„ſidiones toleraui, ſuſtinui annonę, ac famis acerbitates.
„Flagitia ſileo, quæ neceſſe interdum habui oculis in-
„tueri, aut de quibus audiui ex ore ipſo illorum, qui
„paulò pòſt cæſi, conciſique ad Gehennæ cruciamen-
„ta, & horrenda ignibus loca priùs deturbati ſunt, quam
„de diſponendâ morte ſtatuerent: prorsùs homines
„paucis aſſibus animam iuxtà, & vitam æſtimantes, vl-
„timique diſcriminis obliti, in quo ęterna vertitur ſors.
„Proindè Duces illos, atque Imperatores ſuſpicere ſo-
„leo, qui verbis, & exemplo milites condocefaciunt,
„vt quoties in expeditionem mittendi ſunt, Confeſſio-
„nis, & Euchariſtiæ Sacramentis ſeſe muniant; neve
„occaſione militiæ in conſuetudinem veniant fluxioris
„vitæ, atque licentiæ, aut Chriſtianum nomen, diſci-
„plinamque dediſcant. Etenim hoc pacto, haud erunt
„imparati, ſi eis pro tutelâ Religionis neceſſe ſit peri-
mere,

mere, aut perire. Sic in litteris ipſe. Atque hæc itaquè ſuſtinuit, donec magno exercitu ad eximendam Vrbem obſidione venit Alexander Farneſius Dux, magnitudine animi, ac felicitate bellandi Magno Alexandro, ſed ſobrio, nec temerario ſimillimus. Hæc eadem incommoda Legatus tuliſſet adhuc alacritate maiori, ſi ab Vrbe magis grata ei ſcripſiſſent. Pontifex enim, cùm res cederet aliter, atque initio ſperauerat, præſertim poſt conflictum Ducis Mœnij, haud ſatis probauit, Legatum ſibi Lutetiæ ſedem delegiſſe, ratus ei, vti miniſtro Patris Vniuerſalis, loca media, nè in alterius partis fauorem videretur inclinaſſe, magis idonea cenſeri potuiſſe. Et quia hæc mutatio conſiliorum Romæ facta à Legato ignorabatur, habebaturque tantùm pro re compertâ, Pontificem haud ea, quæ fierent, probare, ipſe obtentu honeſto Legationi finem optabat. Ideò loqui cùm Bellarmino ſæpè de neceſſitate, quâ compulſus, vt quæ egit, ea omnino ageret. Sed ijs in alloquijs admirandum illud fuit; quoties Legatus de Pontificis vitâ cùm eo inſtitueret ſermonem, toties ei Bellarminum, poſtulanti quamdiù crederet Pontificem victurum, reſpondiſſe, fore vt excederet è viuis eo ipſo anno. Dixit verò hæc non Lutetiæ modo, ſed initiò quoque, atque in expeditione ipsâ. Quamquam Legatus haud fidem præſtaret, ſecum reputans, quàm eſſet in Pontifice corporis vegeta vis, & valetudo perproſpera. Quinimò poſtquã

à vitâ defecerat, obitum eius vulgauit; tametſi de eâ re haberentur indicia nulla; vt ſuo loco diſtinctè narrabitur.

Interim ineunte Septembri menſe, Legatus certior factus de Pontificis interitu, nactus cauſam honeſtiſſimam eſt Legationis terminandæ, & quàm magnis itineribus ad noua comitia, ſimul cùm Bellarmino, & cùm cetero comitatu ex Gallijs Romam regreſſus eſt. Turbauit verò magnâ ex parte itineris inchoati lętitiâ ægritudo, quam contraxit Bellarminus Metis. Graſſabatur in Vrbe illâ infimis inteſtinis accepta lues, morbuſque ex profluuio ventris periculoſus, & lethalis: ex quo contagio ibidem multæ lugubres domus. Vix eò Cardinalis cum comitatu venerat, cùm Bellarminus tempore Autumni, & menſe naturâ graui, præcipuè verò loci vitio morbum vulgante, correptus eo genere luis, ſimul febri adeò ſæuâ cœpit conflictari, vt vires in ipſo, ſomnus, & cibi delectatio, ſtomacho alimenta hauſtuſque faſtidiente, deficerent. Quæ tùm patiebatur ipſe, erant familiæ totius communis ægritudo; neque quiſquam fuit, quem illa non tangerent. Attamen ante alios Cardinalis affligi, quem ex diutinâ, intimâque familiaritate maior admiratio cœperat viri, & qui reputabat, vni ſibi creditum pignus illud, & coniectũ in ſuam fidem fuiſſe. Cùm verò conijcere ſatis nequiret, vtrum conſilium præſtaret, aut minus haberet diſcriminis; ægrum deducere; an potiùs

tiùs, dú morbi vis remitteret, Metis relinquere, Deus ſic omnia diſpoſuit, vt Cardinalis ipſum adueheret. Proindè lecticam propriam apparari mandat, aptariq́ue molliter: vt cubare in eâ perindè, atque in lectulo poſſet. Et ipſe, qui ſe à Cardinali pro poteſtate regi ſinebat, ęquè fortis in ſuſcipiendis, atq; ferendis incommodis, dùm aut victâ, aut diſſimulatâ morbi acerbitate lętus pergeret, vix regionem afficientem erat egreſſus, cùm à contagio conualuit, & partim ſedés, partim cubans intrà dies octo ad vires redijt: cunctis gratias perſoluentibus Deo, qui omnes à metu iacturę tantę liberaſſet. Baſileam vrbem Hæreticorum prætergredi opus fuit, quoniam itinerisità ordo poſceret, & ne ſe periculis grauioribus inducerent: & vix eâ exceſſerant, cùm rumor diſſipatus eſt, fuiſſe, inter Cardinalis Legati Aſſeclas, & comites Robertum Bellarminum. Ægerrimè verò tulit populus, vel non viſum, vel non adgnitum à ſe virum, quem optaſſet, quaſi pompam illàc pręterduci; incertum vt honore, an vt cōtumelijs afficeret. Certè omnes auebāt viſere, quis ille, qui tot, & tam grandibus Voluminibus, ſuas ipſorum vires ſpreuiſſet, eandem virtutem admirantes, cui iraſcebantur. Nec dubitem, quin ſi colloqui, aut per otium aſpicere potuiſſent, ceſſiſſet eis ad animæ frugem, ſiquidem quacumq́ue inceſſit, veſtigia virtutis impreſſa reliquit, quæ Hæreticis ſpectaculo, Catholicis & exemplo fuerunt. Tandem inter hoſtium terrores, & diſ-

crimina varia III. Idus Nouembris Vrbem Romam intrarunt ſoſpites omnes; ſequutæque ſunt gratulationes ac conſalutationes lætiſſimæ:& Bellarminus reperit dulciſſimos Socios, qui ipſum opperiebantur, & à quibus Societatis more per amplexus, arctiſſimæ beneuolentiæ indices, exceptus eſt.

Romæ haud vixit diù expers noui laboris: cùm enim recognoſci, & iterùm edi Biblia XISTI V. deberent, propter errata, quæ editione primâ in codicem irrepſerant (quod & XISTVS ipſe deſtinauerat agere, niſi cita mors impediuiſſet,) GREGORIVS XIV. qui fuerat ab VRBANO VII. proximus ad Pontificatum euectus, mandarat coràm ſe Conuentum agi, in quo præſcriberetur modus eius recognitionis faciendæ, cùm id tantoperè Sacra Tridentina Sinodus Diui Petri Succeſſoribus commendarit. In eo primùm auditæ ſententiæ, & pòſt flexi in Bellarmini cōſilium omnes, qui meditationi aliquot doctiſſimorum hominum relinqui poſſe, dixit, deintegrò ea repurgare, conferendo ſingula ad antiquas editiones, ad manuſcripta exemplaria; tùm Græcorum, tú Latinorum, & ad Commentarios Patrum: quo ità XISTI V. emendatio talis eſſet, qualem ipſe optauerat, & haberet numeros perfectionis, qui opus cæleſte deceant. Huius conſilij exequendi causâ contulerunt ſe in deſtinatas Ædes Marci Antonij Columnæ Cardinalis; qui aderat, vnàque Cardinalis Gulielmus Alanus, Magiſter ſacri Palatij;

tij; Robertus Bellarminus, & alij quatuor: qui ſacras paginas ſtudio, atque induſtriâ ſuâ reddidere Eccleſiæ eâ formâ, quam nunc habent, in prælum datæ initiò Pontificatûs CLEMENTIS VIII. In opere obeundo, fuit Bellarmini præcipuus labor, & in eum quoque ſententiæ redibant omnium, ſiquidem eius Collegæ experimento didicerant, inſtar oraculi haberi poſſe, quæcumq́; ipſe decerneret. Præfationem item compoſuit, quæ impreſſa, antè eadem XISTI V. Biblia hodieq́ue prælegitur. Atque ità Bellarminus varietate linguarum S. Hieronymo ſimillimus, ab eo ne quidem diſcrepauit in recognitione ſacrorum librorum, quos & ipſe pariter vindicauit, atque reſtituit. Et verò eorundem ſuſcepiſſet longam, & aſſiduam meditationem, pollicitus abſolutiſſimos Commentarios, Teſtamenti tùm Veteris, tùm Noui, ſi ſpatium decennij feriari ab occupationibus alijs potuiſſet: quod & P. Claudium Aquauiuam Generalem Præpoſitum rogauit: tametſi tantum otij præſtantia eius nunquàm impetrarit.

Præeſt, in Societate IESV, *Romano Collegio, & Neapolitanæ Prouinciæ.*

CAPVT X.

ANNOS circiter duos, & triginta Bellarminus ſub aliorum regimine in Societate vixerat, cùm P. CLAVDIVS AQVAVIVA Generalis, implorato ad conſilium Deo, & auditis Aſſiſtentium ſuffragijs, Bellarminum Collegij Romani Præſidē nominauit. Quippe hominem ijs moribus, & doctrinâ tam variâ, quiquè ingenium graue ſuauibus artibus miſcuiſſet, admurmuratione ſecundâ poſſe regimen accipere, & fructu magno retinere arbitrabatur. Anno itaque M. D. XCIII. XV. Calend. Ianuarij gubernationis initia poſuit omnium gratulatione, ac ſpe etiam fore, vt cuius experti mores fuerant, is prudentiâ ſummâ, & elegātiâ regeret vniuerſos. Vnus ipſe in communi lętitiâ mœrere, vt qui imperare magis poſſet, quàm vellet, cuperetq; alijs poteſtatem, ſibi obſequij gloriam relinqui: cùm præſertim obuerſaretur animo cogitatio, haud eſſe onus leue illud, in quo poſſit quis propriæ ſalutis periculum adire.

Verùm inſtructus hoc metu, non territus; dum reputaret ad ſecuritatem facere, ſe in eam deliberationem inductum alieno imperio, nō ſuffragio ſuo; ſemperque obſequium obedientiæ rē duxiſſe præſtantiorem

rem. Ideò ſollicitudinem omnem ſuam collocans in Deum, primò flagitare ab ipſo Sapientiam neceſſariam ijs, qui animas regunt. Deindè præſcriptas leges muneri ſuo perquam accuratè meditari, quò eas exequi, & comes eſſe Diuinæ Prouidentiæ, diſponentis cuncta ſuauiter, in agendo poſſet. Tùm veteri more Collegij, publicè propoſuit adhortationis loco, quam eſſet initurus gubernandi rationem, fueruntque materia ſermonis illa; *Rectorem te poſuerunt, noli extolli; eſto in illis, quaſi vnus ex ipſis, & non impedias muſicam.* In qua adhortatione cunctis patefecit ſenſa animi quàm demiſſiſſimi, profeſſus haud maioris pretij futurum ſe deinceps in æſtimatione ſui, quam fuiſſet anteà, minimi dùm erat. Quippè altè animis hærere Chriſti Seruatoris exemplum, qui cùm Magiſter, & Dominus, moratus inter Diſcipulos eſt, tanquam eorum adminiſter, & ſeruus. Prætereà, quoniam intelligeret præfici ſe partibus aliorum varijs ſibi ſubiectis ad regimen, adnixurum vtique ſe, vt veluti Muſicæ Præſes, dirigeret, non perturbaret aliorum munia, quo ſibi concinerent cuncta modulatè, itàque conſonarent omnia, vt abſurdi, aut abſoni adſtreperet nihil, in eâ tam præclarâ morum harmoniâ. Hoc ipſum poſſe fieri putabat, ſi ità à minoribus Prępoſitis effecta diuerſa proueniant, vt qui præeſt, inſtar attenti Moderatoris, non partes eorum procuret, tranſigatque per ſe; ſed eas, veluti voces ſibi ſubiectas æquabiliter, & cũ temperatione

peratione regat. Poſtremò enixè omnes rogauit, tum vt precibus propitium ſibi redderēt communem Dominum, tum verò, vt ſi de quâ re monitum vellent, hoc agerent liberrimè, certi nimirùm; ſe haud vtique ad aliud conſpirare, quam ad publicum bonum. Hoc tàm impensè flagitauit, vt nemini dubium reliquerit, quin ea monita in optimam partem accepturus eſſet. Adiecit etiam, ſe magnis nominibus vnicuiq; obſtrictum fore, ſi ſcripto, aut voce, per ſe, aut per interpretem, interdiù, aut quauis horâ noctis cōmonefacerent. Quod ſi coràm non auderent, fore leuiſſimum genus admonitionis dixit, traditionem ſingraphæ inſcriptæ his, de quibus optarent ipſum intelligere; quam in cubiculo, aut ad eius ipſi limen relinquerent. Ibi tum fore prorsùs, vt ſuæ meditationi rem daret, exequuturus haud dubiè, quicquid adſpirante Numine, ſatius exiſtimaret: adeò ſubditis ſuis morem geſtum peroptabat.

Non hæc magis fuere verba comitatis, quam veritatis, ſparſaq; ad auditorij animos deuinciendos: nam ſincerè, & ex animo loquutum, res poſtmodùm affirmauit. Ex Rectoris defuncti cubiculo ſubmouit icones pictas, pluteos, ac ſcrinia; tametſi modici operis, iuſſitque ad Æditui locum adferri; vt vtenda tantùm attinuerit, quę communia ſocijs reliquis, etiam vltimę ſortis, cupiēs in paupertatis laude, ijs quoq; exemplum eſſe. In appellandis, venerandiſque ſingulis modum,

quem

quem pridem ſeruauerat, neque tunc demiſit. Ideò aduentantibus aſſurgere aperto capite, nec pati ſtare quemquam coràm ſe cuiuſuis conditionis, ſed poſitis ſedibus conſidere, & quidem tecto capite. In communibus allocutionibus, ſiue ex deſtinato congreſſu, ſiue ex occurſu fortuito erat priſtina affabilitas, mutuaq; officia vſurpabat propè ex ęquo; alloquendi verò causâ, nihil erat neceſſe tempus, aut molles aditus captare. Dùm alij animi causâ ſpatium horarium ab vtrâqe mensâ mutuo ſermoni tribuerent, ipſe in cubiculum ſe frequens referebat, vt qualibet adijſſent horâ inueniretur: eſſetque indigentibus remedium omnium momentorum: ſingulos verò, & excipiebat benignè, & patienter ad finem vſque ſine interpellatione audiebat. Ibi quando ſolus, vti ſæpè fiebat, morabatur, cùm iacturâ remiſſionis propriæ, aliorum inſeruiebat commodis. Namque vt is, qui ſicut diximus canere iucundè, ſcienterque didicerat, exſcribebat eo tempore aliquod Canticum, ac ſuper ductas in paginâ quinas diuiſim lineas, interque eas viciſſim, pingebat notas ſonorum interuallis imparium, & verba emodulanda ſubijciebat; eum ad finem videlicet, vt ſi in impreſſis exemplaribus incurrerent obſcenę voces, quæ dulcedinem cantûs ſua fœditate inquinarent, tranſcriptis exemplis ſubrogaret è ſuo ingenio voces alias, quæ aures religioſas minimè dehoneſtarent: ex eòque oriebatur, vt non tam vocis ille, quam virtutis

 con-

concentus efficeretur. Atque ex his Canticis libri aliquot exſtant adhuc in Romano Collegio. Siue quid ageret, ſiue quid loqueretur, erat ad amœnitatẽ compoſitus, vt ex vultu omnes facilè perſpicerent cordis copiam; atque adeò inſitam ergà ſingulos caritatem. Facit ad admirationem tamen, conſuetudine iſtâ tàm ſuaui, & demiſſione tantâ non imminui potuiſſe obſequium: nam internitens in eâ virtutis neſcio quæ maieſtas, & Chriſti Seruatoris imitatio, longè efficaciùs, quam vis vlla imperioſior, prohibebat ne reuerentia excideret animis ſubditorum, efficiebatque, vt non violenter; ſed, quaſi ſolent vmbrâ virgæ nobiles equi, omnes regerentur. Quæ morum ratio tàm honeſta, tàm integra ſubditos quotidiè magis cultu virtutis ornabat, inuitabatque Rectorem, vt Deo redderet gratias, à quo bonitatis riuus ille proficiſcebatur.

Contrà ſicubi audiret aliquas noxas, tametſi leues, & ex ijs, quas patrare interdùm in Religioſis Domicilijs, etiam iuſti ſolent, temperare à mœrore nequibat: tanto erat ſtudio incenſus etiam ergà publicam innocentiam. Proindè ſanare, quæ eſſent huiuſmodi; molliter tamen, leniterque, vt vix ferè manus medici ab ægro ſentiretur. Crebrò in adhortationibus mores non optimos notare; aſſiduè incitare omnes ne rubiginem, ac ſitum animi contraherẽt; nec aliter, quàm quaſi cote quadam ſingulorum acuere virtutem. Sępè viſus eſt, quæ haud laudabiliter fierent recenſere cùm

lacry-

lacrymis, vt qui mallet fletu redundanti ſuorum maculas eluere, quàm ſermonis eas acerbitate detergere; ſolitus etiam eo comploratu ſupplicabundus cauſas eiuſmodi permittere Deo. Pœnæ aliorum ſubſcribebat nunquàm, niſi re anteà ſtudiosè cognitâ, ſemperque relinquebat aurem alteram ad patrocinium Rei; quâ induſtriâ, & vigilantiâ optimè ſingulos ad virtutem informabat.

Quoniàm etiàm condidiciſſet diutino vſu, quo pectora tractauerat, nihil magis iturum in perniciem Societatis,quam ſi ſubditi eam conſuetudinem gubernandi pati deberent,quę ipſos cùm Præpoſitis,ac Moderatoribus ingenio aperto eſſe non ſineret: ideò imaginem omnem politicæ, quam vocant, ſimulationis abominatus eſt,vti rem,quę poteſtatem regendi alios, hoc eſt Deo vicariam operam,indigniſſimè profanat. Ventilare diſſidia,aut partes alere,quæ cùm ſcintillãt, poſſunt excitare incendium caritati; deteſtatus eſt ſemper:ſuſpenſa item verba,vel perplexa de induſtriâ, incertumque ſermonem, & cæteras id genus loquutiones, in quibus non ſe ſtatim proderet animus, vti barbaras artes, deuitauit. Munia Collegij cùm diſtribueret, æquabili manu nitebatur ad examen adigere pondera meritorum; quia ſe purgatum vellet omni priuatâ gratiâ, habens prę oculis tantummodò Deum, & publicam vtilitatem.

In diſponendis ſubditis, non aliud pro ſe aduersùs que-

querimonias æquè duxit, atque ſequi plerumque arbitria Conſiliariorum, quibus tàm in hac parte, quam in omni re libertatem ſuffragij reliquit, poteſtatemq; proponendi quę vellent. Deniquè in ipſo inueniebatur cùm prudentiâ ſerpentis par columbæ coniuncta ſimplicitas; vt extrema, in quibus vitium, defugeret, & ſectaretur, quæ delectarent cõmuniter, ac prodeſſent.

Hæc inter ſtudia, quibus tàm ſollicitè Moderatorem animæ agebat; haud habuit neglectui corporis neceſſitates. Singulis copiam eorum ſuppetere, quibus indigerent, iubebat; curabatque, quoad poterat, vt nihil habentibus nihil deeſſet: qui modus eſt optimus, vt qui præeſt, liberiùs à ſubditis diſciplinam poſſit exigere; fuiſſetque ab ipſo aucta victûs ordinaria conditio, quod & deſtinauerat, niſi veritus, ne fines paupertatis proferret in laxitatem. Etenim virtutis huius amantiſſimus cupiebat ſic neceſſaria cuique ſuppetere, vt ſuperuacaneis omnes carerent. Aliquandò quia reſciuerat vnum ex Patribus Collegij, cæteroqui virum alicuius exceptionis, neſcio quæ indumentorum genera in cubiculo attinere, nec tum eis indigere tamen: mandauit in veſtiarium referri, ſeruarique, donec vtenda ille repeteret. Et pòſt ad eum, qui animi causâ in Tuſculano erat, Epiſtolâ retulit, ſic facto opus fuiſſe, ne ſi deeſſet muneri ſuo, deberent ambo in ius vocati coràm Deo erubeſcere, alter quia ea penès ſe habuerat, alter quia habenda permiſerat.

At-

Atque ille tametſi ſuberat ei perſuaſio, veſtes eaſdem eſſe neceſſarij vſus, propter valetudines, quibus tentabatur, nihil auſus contradicere; quoniam reputaret, Rectorem vti ſecum modo agendi, cui nolle acquieſcere, facinus eſſet; ideoque maluit de veſtitu, quam de paupertate detraheretur.

Si cui ægritudo repens ingrueret, ſubitus aderat, cuiuſcumque ordinis æger eſſet; iubebatque ſtatim acciri Medicum, & nihil omitti, ex his quæ ille preſcriberet: Pòſt inuiſere interdiù, & noctù ſæpiùs, atque adeò commiſerari ex animo, ſi acerbiùs morbo afflictaretur. Interdùm cùm artis præſidia deficerent, conſtans opinio fuit, eum cæleſtibus remedijs multos reſtituiſſe. Marcellus Auguſtinus Societatis Sacerdos narrat, ſe, cùm ſtuderet iuuenis adhuc in Romano Collegio, à Rectore poſtulauiſſe precariò, fereque ſupplicem, ne mitteretur denuò Præfectus iuuentutis ad Seminarium Vrbis, cogereturvè iterare vitæ genùs, quod valetudini ſuæ multum officere deprehendiſſet. Locus is eſt, in quem magnus adoleſcentium numerus conuenit diſciplinæ causâ. Diceres florem Italiæ ire in plantarium virtutis. Eorũ aliquos gratuitò alũt ſumptus Pontificij, quò dein exculti moribus atq; doctrinis, res diuinas, & ſacrificia quà publica, quà priuata Romæ, aut in propinquis Vrbibus procurent. Reliqui ſolent propriæ familiæ impendio innutriri ad laudem illam, ad quam inuitat ſua quemq; Nobilitas

bilitas, & Maiorum ſiue copia, ſiue gloria. Par tamen omnium in cibis conditio, & tantùm in habitu varietas. Vniuerſis præeſt è Societate vnus, cui ſumma inter eos auctoritas. Hunc verò multi in his, quæ ad mores, multi in his, quæ ad litteras iuuant: ſed, quod in rem præſentem facit, Adoleſcentes ijdem, quia circiter viceni, & viceni cubiculis amplis habitant, in quibus, menſæ vbi ſtudeant, lectuli vbi cubent ſimili aulęâ, culcitrâque ſingulis diſponuntur: dies noctéſq; perpetuum cuſtodem dictis, atque factis ſuis è Societate aliquem habent. Hic ſuos ante Solem exorientem excitare, hic in palęſtram euntes, & indè reuertentes ducere, hic in Triclinio vna adſidere, deniqué nuſquàm abeſſe. Et talem Præfecturam, Marcellus deprecabatur; ſed monitus tandem, vt eam ſuſciperet, cauſam contraxit inde morbi ſanè ancipitis, ac diuturni, quo menſes duos extremè conflictatus, demùm Sacramentis Eccleſię debuit muniri, animâ vt viueret, quandoquidem corpore credebatur indubiè moriturus.Ità dùm hæret in vitæ margine, repertus eſt quadam die penitùs febri, atque omni tabe in venis extinctâ, ex quo & breui conualuit. Sanitatem hanc verò ipſe acceptam retulit precibus Rectoris ſui, quem vtiqúe viderat mœrere animi haud ſanè leuiter, & religioni ducere, quod ità ſe in diſcrimen adduxiſſet. Idem refert, cùm aliàs æger neſcio quis Bellarminum rogaſſet, vt ſe luſtrali aquâ reſpergeret, legeretqúe S.

Marci

Marci Euangelium, quod ſalubre ægris piè iudicatur, turbatum initiò eâ poſtulatione, dein flexiſſe paulatim, tantùm vt rogari deſineret; præſertim cùm audiret petitum id quoque à Sacerdotibus alijs; quæ res effecit, vt poſtulatio ipſius virtuti non diſpliceret. Et tametſi haud induci potuiſſet, vt fateretur ſuſcipi à ſe medendi curam; ſubdidit quaſi per iocum, cùm ſemi miracula putem interdum quædam effeciſſe me; miracula tamen integra, quoad reminiſci poſſim, haud equidem edidi vnquàm. Quod cùm ad occaſiones varias pari lepore ſæpiùs luſerit, ego in re, quam ex ingenio quiſque ſuo poſſit interpretari, eorum opinionibus accedo, qui hoc intelligi volunt, vt ſemi-miracula gratias appellaret, quas, ipſâ diſſimulatione miraculi miraculum augens, cœlare induſtriâ conabatur, ne videlicet in plauſus euaderent, ſanctimoniæque famam; & quas ad eum finem confusè, ne ſibi adſcriberentur, cùm Sanctorum aliorum imploratione, & ſacrarum Reliquiarum vſu, ſæpenumero conſequebatur.

Iàm quia verſamur in eâ ſollicitudine, quam impendit, vt aliorum proſpiceret incolumitati, præterire non debeo, quæ in hac parte P. Hippolito Margaruccio contigerunt. Is adoleſcens adhuc Bellarminum Collegij Rectorem, quòd Præpoſito Prouinciali Romano eſſet à Conſilijs, alloquutus erat, vt in Societatem IESV admitteretur: & laudarat propoſitum Bellarminus, haud probauerat tamen ingreſſum eius, ſi

fieret

fieret eâ tempeſtate, nempè Vere ineunte. Dixit enim diſtinctè, mallem ad Septembrem vſque differres, & tibi ab æſtate metuo, quæ eſt Romæ inſalubris Cæli. Quod ſi ſecùs egeris;aeris & æſtûs damna ſenties,morbiſque implicaberis,ex quibus redderis ad Societatis munia quæque deficiens. Sic ipſe: ſed Iuuenis Religioſæ vitæ deſiderijs incitatus, dedit Societati nomen, quo die cæleſti legatione Sidereus Nuncius Virginem ſalutauit, habuitq; res exitum, quem prædixerat. Nam ad x.Calend. Auguſti febri acutâ correptus decubuit, & breui, cùm fieret à Medicis ſpes vitæ nulla, ei Patres tanquam è viuis propediem abituro, Cæleſtè viaticum præbuere. Numini tamen placuit, vt viueret; ſed non abſque ægritudinibus,quibus oblangueſcens in longiſſimum diem, relictus eſt præcordijs ità vitiatis,vt quid optima valetudo ſit, hodieque ignoret.

Sed, vt ad alia veniamus, in Academiâ Romana cui præerat, curabat, vt in dies magis ſtudia, tùm pietatis,tùm artium optimarum ſoboleſcerent in animis exercitæ iuuentutis. Proindè eâ de re Profeſſores percontari ſæpè, nec pati quicquam eis deeſſe ſubſidij ad labores perferendos. Bibliothecam ædificauit laxiorem, illuſtrioremque, cùm in anguſtis ædibus anteà iaceret obſcurior. Exactor aſſiduus erat quotidianarum exercitationum, ne ſtudia in deſidiam diffluerent,cauebatque, ne opiniones ingruerent nouæ,cùm æſtima-

æſtimaret periculum, niti fallentibus ratiocinationibus,quæ etſi radium fictæ lucis vibrant, cùm ex ingenio viuido primùm oriuntur, progrediẽtem animum deſtituunt tandem, & ſæpè à verò deuium abducunt. Laudem contrà egregiam ponebat in eo, ſi ſtuderet quiuis nouis potiùs rationibus Veterum opiniones, antiquitate ipsâ venerandas ſtabilire. Itaque ſi quorum ingenia,audacia nimiùm,in hęc commenta euaneſcere animaduertebat,tùm Præpoſitum Generalem ipſe adire,vt pro ſupremâ poteſtate,quâ fungitur,tempeſtiuè morbum excreſcentem reprimeret.

Interfuit aliquandò Bellarminus, cùm iàm erat in purpurâ diſputationi viri Nobilis, qui fiduciâ ingenij adductus in ſpem fuerat fore, vt in Lycea Academicorum genus philoſophandi nouum inueheret, excogitatis commentis neſcio quibus, & repudiato veteri modo,qui quia tritus inter cathedras,vel ideò eſt optimus, & probatiſſimus. Conſilium is ſuum expoſuerat, ex eoque iàm penè triumphum canere videbatur, & ad monita eorum obſurdeſcere, qui decere,vt à nouitate illâ reprehenderet animum, blandè inſinuabāt. Igitur quadam die Cardinalis Bellarminus, hac ſuper re cùm ipſo domi ſermonem inſtituens,cùm iàm hominem dimitteret,manu humero eiùs ſuperpoſitâ dixit abeunti. Enimverò haud ſatis decet, ad Eccleſiæ offendiculum te ingenio illo vti velle,quod à Deo accepiſti ſanè quàm optimum. Et fuit ea vox tam ad per-

perſuadendum efficax, vt Proſpero(nam hoc erat viro nomen) ſtatim iniecerit mentem aliam, nec auditus ſit impoſterum de inuentis ijs vnquàm ampliùs meminiſſe: quemadmodùm Franciſcus Androſilla, & honeſti viri plures hodieque narrant.

Interim ad initia Principatûs CLEMENTIS VIII. Romæ agi cœpta ſunt Comitia generalia Societatis indicta, vt de communibus rebus decerneretur. Pro his Prouinciæ quæuis deligunt duos doctrinâ, prudentiâ, & morum ceterâ laude præſtabiles, qui cùm Prouinciali Præpoſito ad eum congreſſum, in quem conferunt ſe Ordinis prima capita, è diuerſis Mundi oris proficiſcantur. Romana Prouincia P. Bellarminum, qui tùm erat Collegij primarij Moderator, elegit; & in eo ipſe conſeſſu pro ſuæ Religionis bono nihil ex his, quæ conſcientiâ dictante parauerat, aut diſſimulauit, aut tacuit. Dimiſſis verò Comitijs Neapolitanæ Prouinciæ Præſes creatur, nondùm circumacto triennio ab inchoatâ gubernatione Collegij.

Quia verò, quâ vſus prudentiâ pridem fuerat, eandem tenuit deinceps in Prouinciâ adminiſtrandâ; idcircò neq; dicta repeto, & tantùmodò addo, quæ huic tempori propria. Prouinciæ ſic præfuit, vt verbis illam, adhortando videlicet omnes ad pietatem, ac ſimul factis, exprimendo priùs in ſe, quæ dicturus eſſet, ad omnem perfectionē inſtituerit, formaueritq;, cùm facta ſua, non dicta tantùm eos ſequi vellet; nec diſci-
plinam

plinam modò, ſed exemplum etiam à ſe petere. Huius meminere, qui in Prouinciâ vixerunt, hærentque in recordatione omnium adhuc adhortationes eius, pio exceptæ cum plauſu, & prolatæ cæleſti ore, atque oratione nudâ, ſimplicique; ſed quæ materiam vniuerſam methodo facili complecteretur, & quidquid proponeret, hoc ſolidis rationibus, Scripturæ ſacræ oraculis, teſtimonijs Patrum, Exemplis ab Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ deſumptis feliciſſimè proſequeretur. Qui etiã domeſtici ſermones per ſe quidem optimi, adhuc ex ore ipſius neſcio quid præter ſolitum magni ſpiritûs, & vigoris efferebant; ſiuè quia eius dicta veritatis index orationis ſimplicitas, & quædam quaſi negligentia commendabat; ſiuè quia egreſſæ voces è rerum diuinarum meditatione, tamquàm igne, idcircò alios incendebant, quoniàm ipſę priùs arderent: & ſic eueniebat perpetuò; ſiuè afferret accuratam, meditatamque orationem; ſiuè nouam, & recentem curam.

Auxit in Prouinciâ modeſtiã ſuam in agendo, ſubmiſſionemq; ferè medius inter ſubditum, & Prçſidem. Vox nulla violenta audita eſt, nihil placuit aſperum loqui. Imperij vocibus abſtinuit ſemper, & ſi quid præciperet, erat roganti propior, quàm iubenti. Ea verò in ipſo conſuetudo, vt, quæ poſſet ſinè alterius auxilijs, omnia maxima minimaque per ſe adiret; nec in quemquam omnium grauius, quàm in ſemet ipſum imperium exerceret. Quadam die, cùm ocreas, & ce-

terum habitum viatorium induiſſet, & in ipſo momento deliberatæ profectionis ſocio fortè indigeret, narratur domi inambulaſſe diù cum impedimentis illis, hominem quęſiturus, & quia obuium Religioſum habuit neſcio quem è ſubditis ſuis, minimè auſus monere, vt ſocium perquireret; ſed tantùm an indicare poſſet de eo, quæſiuiſſe. Et cùm id ignorari à ſe reſponderet ille, perſeuerauit ità ad obequitandũ inſtructus, patientiſſimè circumire. Paulò pòſt Religioſus ille factum ſerò æſtimans, ſemet inculauit, & erubuit, quoniam ſiuiſſet officium à ſe ità migrare; ac ſimul tantam in Præſide ſuo modeſtiam ſupramodùm demiratus eſt.

Cura difficilior Præpoſitorum Prouincialium in Societate ea eſt, vt quotannis ſedes Sociorum omnes circumſpiciant; & ſi quæ ſit vſpiàm ſingularis neceſſitas remedio præſenti ſubleuetur. Id in Neapolitanâ Prouinciâ adhuc plus ardui habet, tùm à locorum diſtantiâ, tùm à vijs deſertis, aut quas rari frequentant. Nihilominus intrà triennium Bellarminus eam expeditionem ſemel, atque iterum ſuſcipiens bis luſtrauit Prouinciam totam; & tùm in itinere ſatis oſtendit, ſcire ſe abundare pariter, ac penuriam pati, præbens moderationis in altero, in altero patientiæ documentum. Tabernæ in Vrbe Calabrię, ſicut inuitatus anteà fuerat officioſiſſimè, ità ſignificatione honoris mirâ exceptus eſt. Quippè longo tractu ſtipatus turmâ equitum, à medio

medio milliari obuios Magiſtratus habuit, factâque bombardarum exploſione, ad Ædes Senatorias, inſtructas veſte ſtragulâ, & periſtromate ductus eſt. Ibi dum eum Primores Vrbis tractant ſplendidè, ſicut inuitarant perhonorificè, ſanè modeſtia eius cupiens honorem declinare, haud ſilebat, in ſumptuoſos eos apparatus nimis incongruè indui teuitatem ſuam. Sed vicit hanc virtutis repulſam vis ea officiorum, nec abſque verecundiæ colore coactus eſt intereſſe ſignificationibus ijs opinionis magnæ, quibus propè Ciuitas triumphare videbatur. At cum diſceſſit Tarento, longè euenit aliter in Oppido Calabriæ, Ruſſetum quod appellant. Hic quia nec domus meritoria præſenti pecuniâ, nec gratuitum hoſpitium precibus impetrari poſſet, diù hæſit; donec tandem miſeratione rarâ in domunculam ruinoſam, fumo deterrimam, & vbi humana ſubſidia ſuppeterent nulla, admiſſus eſt. Et nihilominùs in eo tuguriolo tetro, fœdoq; ipſe multò habitauit libentiùs, quàm Tabernæ pretioſus hoſpes, vt paupertatis incommoda toleraret.

Cùm ad Collegia veniſſet, tamquàm aliquis è Cælo aderat, ſanctus, innocens, mitis, & qui caritatem parauerat loco auctoritatis. Neceſſitates omnium, vt Parens audiebat; nauos laudabat, & ſi quorum virtus ſegnior eſſet, benigno alloquio adiuuabat: adferebat honorem dignis, & laudes; ſolitus, ſi qui deficerent, vel non punire, ſed monere, tantùm vt pœniteret; vel

pœnam irrogare ſeram, ſed aliquam, & omninò talem, per quam nec ipſum clementię pœniteret, nec ſeueritatis. Cæterùm ſatis habuit, ſi virtute culpam corrigerent, & abolerent noxę memoriā nouâ gloriâ vitę ſanctioris. Onera ſubditis, non ſubditos oneribus accōmodabat; ne pondus eos, aut opprimeret impoſitum, aut imponendum deterreret. Imbecillis admouebat fomenta paternæ pietatis; ne animis abiecti ſeipſos deponerent; tactoſq́ue mœrore ſocios medicus animorum egregius, aut curabat blandè, aut verbis dulciſſimis, quandò factis non poterat, ſolabatur. Denique omnes auctoritate, non imperio regebat venerabilis vir miraculo literarum, venerabilior ſanctitate. Conueniebat homines Societatis perſtudioſos, & benefactores, quibus eiuſdem officia, atque obſequia omnia, & quæ poſſet maiora grati animi ſigna, exhibebat. In aggregandis ad Societatem hominibus apprimè circumſpectus, ac prouidens rebatur tales eſſe deligendos, non modò qui naturæ laude eſſent inſignes, & in corpore etiam proſperæ virtutis; ſed qui multo magis animis præſtarent, poſſentq́; domi, foriſq́ue victores ſui aggredi, & pati fortia; itàque pro alijs moliri magna, vt ipſi deinde viuerent paruo. Id vt certiùs fieret, & ſine errore, cognitiones meritorum ſine conſilijs per ſe ſolus non exercebat; ac pòſt admittebat, aut ſecùs, quemadmodùm adhortabatur eorum excellens, aut abiecta virtus. Neque huic habendo delectui

lectui dumtaxat, ſed & rei cuilibet moliendæ ſolitus erat, cum viris prudentibus in commune conſulere. Maximè verò hoc egit, quandò haberet hominem penès ſe, cui familiare pectus gereret, & apud quem excutere mentem omnem liberè poſſet. Eam in partem illud ceſſit feliciter, quod id temporis Neapolitani Collegij gubernaculo præeſſet Mutius Vitelleſcus, de quo antiqua ei prudentiæ, fidei, & virtutis opinio, & quem norat ſemper inter conſulendum proſpicere optima. Propterea conueniendi cum causâ (ſiue quòd amicum reueritus, ſiue quòd ſponte demitteret ſe) ſemper ipſe è Profeſſorum domo, quæ eſt Prouincialis Præſidis habitatio, ad Collegium ſe contulit: nec Mutius vnquàm impetrare potuit, vt ſe accerſiret potiùs; tametſi aliquandiù hinc obſequio, hinc modeſtiâ inter deferentes inuicem, non magis mutuâ, quàm inexplicabili demiſſione certatum eſſet. Ceterùm, cùm inter ſe mirâ concordiâ viuerent, & tantùm officijs certarent: ex eâ conſenſione animorum Prouincialem inter & Rectorem, incredibile eſt quantum Prouincia tota caperet ornamenti, atque præſidij; & quàm ibi eſſet inter optimè parentes, & iuſtè imperantes læta Societas. Aderat quippè nullus animo tàm omiſſo, in quo non emicaret alacritas quædam ijs capeſſendis, quæ iubebantur; ne quâ fortè amaritie dulcedo ea ſuauiſſimi regiminis corrumperetur. Vt quæ dixi fidem habeant, ſubnectam teſtimonium P. Fabij de

de Fabijs viri integerrimi, & qui pòſt ſe ſanctitatis famam, verum vtiquè veſtigium virtutis, reliquit. Is profectus Neapolim, primò vt Viſitator Prouinciam auctoritate ſupremâ luſtraret, ac deindè vt Prouincialis Præpoſiti munere fungeretur, nactus occaſionem, ad Cardinalem Bellarminum hanc Epiſtolam indè „perſcripſit. Quoniam Deo ità placuit, vt in Prouin„ciâ detentus non potuerim tibi, ſicut optaſſem, vocis „obſequio gratias perſoluere, ob inſtructiones, & mo„nita, quibus me ornaſti, dum ab Vrbe diſcederem, & „quorum ego ſenſi vim prò exèquendis ijs, quę mihi à „ſanctâ obedientiâ in Pręfectura, quá gero, imperaban„tur; mearum eſſe partium exiſtimaui, ſaltem literas „mittere, quæ ſermonis vices impleant. Sed vtinam de„nuò impetrēt, vt ſi fieri poſſit, adhuc ad me noua con„ſilia, & monita tranſmittas, quæ me rursùs adiuuent, „& ſicut cœpere etiam impoſterùm regant. Sperarem „enim fore, vt id cederet in laudem plurimam Diuinæ „Maieſtatis. Etenim, quemadmodùm in his partibus „adhuc ad gloriam ſuperat recordatio conſolationis „magnæ, quam ex dulci conſuetudine tuâ, cum aderas, „hauriebant tum noſtri, tum externi omnes: ità ego „vim haud ità mediocrem caperem è monitis his, quæ „me fortaſſe alterum te quodammodo efficerent. Vi„ſitator Neapolim, Nolam, & Salernum: Prępoſitus ve„rò Barium, atque Barulum obiui. Iàm inſtant Comi„tia Prouinciæ. Sacrificijs, ac precibus tuis me com-

mendo,

„mendo, ac Deum oro, vt te ſoſpitet diu ad ipſius glo-
„riam, & Eccleſiæ commune bonum. Neapoli XVIII.
„Calend. Maij M. D C. Hinc facilè apparet, quæ fama ſequuta ſit eius gubernationem : Etenim miti vir ingenio vitia magis, quam virtutes diſſimulans, & vitia nihilominùs diſſimulatione ipſa coercens, habitus eſt inſtar ſyderis maximè proſperi, & ſalutaris, ex quo vnuſquiſque ſecurus benigni afflatûs, trahere vim, & lucem poſſet, vt in Vineam Domini cultor lætus incumberet. Quam laudem in Bellarmino nemo poſtremam ducet, ſi reputet difficilè admodum eſſe, abſque damno, vel ſeueritatis, vel lenitatis imperare, præſertim hominibus, datis vt pareant, non vt ſeruiant; hoc eſt Religioſis, qui ſubiectionem Filij pati debent, quæ ſit ſimul abſque ſeruitute, ſimul abſque libertate.

Romam reuocatur futurus CLEMENTIS VIII. *Pontificis Theologus, cum quo Ferrariam proficiſcitur.*

CAPVT XI.

DVM ità iuſto, moderato, & lõgè firmiſſimo (quo nimirum obedientes gauderent) Prouinciam gubernabat imperio, Romæ obijt Franciſcus Toletus Cardinalis CLEMENTI Pontifici apprimè gratus, & vir prudentiâ, doctrinâ, virtute tum in omni vitâ, tum in Purpurâ eximius. Ideò vt iactura ea repararetur, Pontifex Bellarminum accerſiuit; dignum vtiq; eum

ratus, qui ſibi, atque Apoſtolicæ Sedi Theologus aſſideret. Anno itaque M. D. XCVII. menſe Ianuario, Romam vt venit, à CLEMENTE VIII. excipitur humaniter, iubeturque habitare Vaticanis Ædibus; tùm vt eſſet muneri ſuus honor; tùm vt Pontifici adeſſet Oraculum omnium horarum. Sed Bellarminus, cui ſemper ambitio, & quæ ad honorem conferunt, odioſæ res; contrà diuerſoriolum ſuæ intrà Religionis ſepta, conſuetudoque ſimplex, ac nitida ſociorum pro delitijs erant, per interpoſita officia Petri Cardinalis Aldobrandini obtinuit, vt in Pœnitentiario Collegio degeret potiùs, qui locus Vaticanæ Regiæ proximus, & ideò potuiſſet ſimul oculos Aulę multimodis interpretes declinare, ſuæque diſciplinæ tenax eſſe; ſimul momentis omnibus Pontifici ſubſeruire. CLEMENTEM induxit ad hanc electionem, cùm fama ipſa, quæ de Bellarmino latè percrebuerat; tùm verò quia doctrinam eius ipſemet libauerat. Primum ex operibus eius perlegit tractatum De Tranſlatione Imperij, quem acceperat ab vnò ex Cardinalibus, dum eſſet in Conclaui Comitiorum. Et quia inter legendum vti fit ad Auctorem admirabundus identidem conuerterat animum, illum ſibi ſubſtituerat virum ſapientiæ & eruditionis magnæ. Dein adeptus Eccleſiæ ſummum, & ſanctiſſimum Principatū, quadam die Bellarminum conſuluerat, interrogaueratque, an è re communi crederet futurum, ſi Romæ in publico Gymnaſio, cui à

Sapientiâ

Sapientiâ nomen, Philoſophia Platonis traderetur. Ad id verò Bellarminus tametſi Pontificem pronum videret, nihilominùs flexit liberè in ſententiam aduerſam, dixitque periculum certiùs à Platone, quàm ab Ariſtotele emanare in ingenia poſſe, ſi inter Chriſtianos ille cathedram habeat; non quòd ſingula eius Auctoris infecta erroribus putaret; ſed quia doctrinæ Catholicæ magis affinis Plato, quàm Ariſtoteles eſt; metuendumque propterea, nè capti ſimilitudine rerum, in quibus conuenit, ſenſim animi ab incorruptis ad vitioſa deſcendant. Et fore perindè aiebat, atque experimur plus afferre damni, ex hâc ſimilitudine Hæreticos Auctores, quàm Scriptores Ethnicos. Certè, ſubdidit, ignorari à nemine, Origenem Platonis dulcedine abreptum, & facundiæ eius lenocinio deprauatum, libros ſcatentes erroribus Eccleſiæ reliquiſſe. Quod deinde cauſæ fuit, cur Plato idem in v. Sinodo ſit proſcriptus; ideoque nè Religioni plus noceat, quàm proſit ingenijs, inter Catholicorum Lycea prorsùs ei cathedrâ interdicendum eſſe. Iudicium tàm prudens, & graue Pontifex laudauit aſſenſu: à quo Bellarminus inpoſterùm ad conſilia adhiberi cœptus eſt frequentiùs; cùm interim opinionem de ipſo ſimul augerent multi, & ſuprà cæteros Cęſar Cardinalis Baronius, vir priſci moris, integerrimique. Etenim is, quotieſcùmque per eos dies quærebatur vir idoneus aliquis, qui amplitudine pari ſpatium virtutis, quod occupauerat antea

Cardinalis Toletus, impleret, vnum Bellarminum eum eſſe palàm deprædicabat. Pontifex certè, tametſi in Bellarminum animis propenderet ampliter, haud inchoatam ei gubernationem abrupiſſet, niſi inſtitiſſet Cardinalis Baronius. Quippè cùm affirmaret, hominem eſſe ad ea munia factum, quem vtique inaudiuerat ſępè, ità in conſultationibus loqui, vt ingens omnium, quæ diceret tùm admiratio eſſet, tùm fides, coniunctionemque felicem in eo ſummæ doctrinæ, ac ſummæ modeſtiæ, ſuſpicerent vniuerſi. Hæc ipſe. Nimirùm ſtudiorum ſimilitudo, & volútatum etiam conſenſio contraxerat celeriter duo hæc Eccleſiæ lumina, in cuius bonum ipſa conſpirare videbantur, prorsùs coniunctione proſperrima. Hinc exſtitit Baronij ea vox, quâ Bellarmino dixit aliquando, non vtique tàm arctè Ionatæ, ac Dauidis vtramque animam conglutinatas fuiſſe, quam ipſe arctè ipſius animam in nexum vnum complecteretur. Hinc & deſiderium illud vehemens oboriebatur intuendi eum conueſtitum ſimili Purpurâ, quod ſatis exprimebat iterando voces illas, *Quis mihi det te Fratrem meum?* Cùm verò cooptatus Bellarminus fuit in ampliſſimum Ordinem, erat animus idem in eis, prorsùs vt eos tantùm corpora diuiderent. Proindè vterque rebus dubijs conſulere inuicem, ac iuuare inter ſe fide magnâ. Et quando Cardinalis Bellarminus morabatur Capuæ, bonus Paſtor inter oues ſuas,

tùm

tùm Cardinalis Baronius ægrè abſentiam ferens, ſuadere ei vt in Vrbem vel ad tempus remearet, idq; in epiſtolâ eius eſt fermè in hęc verba. Teſtis eſt Deus, me
» nihil tam cupere, quam vt ſimul adſis, quò ego conferam tibi ſubindè res meas. Statueres profectò in vado naufragum meum cor, in pelago demerſum flebilium ærumnarum. Et verò ſi id ſuſciperes conſilij, nemo rem iniquiùs interpretaretur, te ad menſes paucos, & animo redeundi Romam cogitare. Fecit hoc interdùm Cardinalis Carolus Boromeus, ſanctiſſimi, laudatiſſimique vir exempli, & multos conſpectus tuus optatiſſimus recrearet. Erant porrò in Cardinali Bellarmino paria huius beneuolentiæ mutuæ indicia. Proſequutus quippè lacrymis, obitum Cardinalis Baronij eſt publicus comploratór in Templo, vbi ei preces funebres perſoluebantur. Domi etiàm priuatim, dum familiam hortaretur ad pietatem, obortis lacrymis in dulci commemoratione Collegæ ſui demortui, ſilere coactus eſt, antè quam quæ propoſuerat abſolueret, fletu ſæpiùs redintegrato ſermonem interpellante. Et ſanè doloris hæc ſignificatio fuit notabilis in Viro, qui apprimè potens ſui, audiret ſiccis oculis, etiam agnatorum, exitus, ſicuti Epiſtolæ indicant, quas dedit in funere ſuorum.

Sed redeo ad rerum ſeriem. Pontifex menſe necdum euoluto, conſcripſit Bellarminum inter eos, qui

Sacræ Inquiſitioni Romæ ſunt à Conſilijs. Iubebat ſubindè adferri ad eum libellos gratiarum, quas conſcientiæ ſupplicantium fieri ſæpenumerò expedit, ac mandabat ab ipſo iudicium expectari. Has inter occupationes à Cardinali Tauruſio rogatus quoq;, vt Fidei Chriſtianæ capita in tractationē breuem contraheret, quâ teneræ ætatis aures imbuerentur, cùm adiunctâ explicatione vberiore; opus vtrumq́ue non tàm properè abſoluit, cùm Pontifex iuſſit prælo dari, vt eiuſmodi inſtitutionum varians multitudo tolleretur.

Interim quia obitu Alphonſi Ducis Eſtenſis in antiquam ditionem Romanæ Eccleſiæ deuolutus erat Ferrariȩ Principatus, CLEMENS Pōtifex profecturus eò, poſt Cardinales, & Prȩſules, quos duxit ſibi aſciſcendos prò honore comitatûs, inter aſſeclas alios Bellarminum etiam adlegit. Ferrariam verò cum venit, iuſſit Collegio Societatis, quoniam in eo Bellarminus inter ſuos hoſpitaretur, titulo piæ erogationis, quâuis hebdomade numerari aureos viginti quinque. In hâc Ciuitate Bellarminus nactus opportunitatem eſt, vt ſuam, & Societatis vniuerſæ obſeruantiam teſtaretur Margaritæ Auſtriacæ Hiſpaniarum Reginæ, quæ tùm nuptui data Philippo III. Catholico Regi, vnàque etiam Alberto Auſtriæ Archiduci, qui causâ connubij Regij, contulerat eò ſe cum Coniuge ſuâ Clarâ Eugeniâ Iſabellâ Sorore Regis. Hic dùm CLEMENS Pontifex moraretur, Cardinales tres Cæſar Baronius,

Siluius

Siluius Antonianus, & Franciſcus Maria Tauruſius inuitarunt ſe vicinitate loci, vt Vrbem Venetiarum ſitam in vltimo receſſu ſinûs Adriatici ſimul viderent. Qui quoniàm à Bellarmini conſuetudine nō poſſent auelli, coegere, vt vnà ſecum iret. Profecti itaque cō comite, ſtudio cognoſcendi, quo pacto in mari mirè fluctuoſo ſit enata Ciuitas. & ſuper vndas nunquā ſatis domitas ſteterit Vrbs Ædibus laxitate, & magnificētiâ ſumptuoſis. Domos regionatim Vrbe totâ circumluit mare, eaſq́; à vehemētiori aquarum impetu, quas pontus magnâ vi ac mole agit, defēdit agger, qui è reliquo fundo aſſurgens ab alterâ parte deiectus habet, & oſtia quinque. Per hęc pontus effunditur lenibus ſtagnis, ſubitq́ue mitigato æſtu, ac iunctis vadis: donec domibus repercuſſus plura itinera, veluti diſpenſatis aquis, aperit. Ità verò Euripis intercurrentibus domus quæque ſubluitur, vt eorum quilibet ſit nauium patiens, viſiturq́ue vis ingens nauicularum, lintriumq́ue; & ſunt aliæ ciuium, aliæ meritoriæ, quæ hoſpitem naulo facili circumuectant. Itaque perpetuò millenis ratibus Ciuitas obitur, & quod mireris, dum aduerſæ commeant, nauicularij incitatas ità moderantur, vt in confertâ multitudine, & flexuris liquidis viarum vitent occurſum agiles nauiculæ. Interim delectant omnes, tum ſcaphularum multitudo, tùm præternauigantium officia, ſalutationeſq́ue. Sed eſt quoque illud commodi, vt per Vrbem commeare quiuis poſ-

ſit terrâ,& mari: nam dextrâ, ſiniſtrâque extat trames ex humo aggeſtus; parteſq́; terrarum,quas interfluentes riui diuidunt, pontes centeni committunt. Vt ſanè qui Vrbem hanc adſpiciunt,fateri debeãt,nuſquam hoſpitalius mare,terram vndis, Vrbem ſcopulis, domos ratibus miſcuiſſe. Reuerſi Ferrariam omnes; & Bellarminus, priuſquam indè Romam repeteret, examini Epiſcoporum præponitur à Pontifice, cùm quo etiam, admonitu Præpoſiti Generalis, negotia plura prudenter iuxtà, fæliciterque tractauit. Et fuit ſanè omnibus admiratiò,ipſum ſummis,infimiſque carum nihil de communi beneuolentia, nihil de famâ, & opinione virtutis in Aulâ frequentiſſimâ, ac plenâ viris ad ſumma nitentibus amiſiſſe. Peperit verò hunc ei fructum modeſtia, & demiſſio, quæ duo maximè amorem conciliant, nemoque erat, qui morum conſuetudinem illam,quam ambitio nulla pollueret, non plurimum amaret. Aulæ ſe raro dabat, & tantùm neceſſarijs de cauſis; quippè is ei modus proprius, atque perpetuus, vt, niſi cùm à Pontifice vocaretur, adeſſet nunquàm. Vnicuique pro conditione obſequia diuidebat, eratque oris tam cuſtoditi, vt contra neminem iniuſtè loqueretur; imò vnumquemque laudibus, quę meritò congruerent,vltrò proſequeretur. Denique in re nullâ vehemens, & ſedatè cuncta peragens, ciuilis animi elegantias,ac naturæ amœnitates ità coniungebat graphicè cùm Religioſâ, & compoſitâ grauitate,

vt

vt deſideria expleret omnium: ex quo factum, vt tanta lux rectè factorum inuidię vel inter Aulicos, vbi rarò tamen quieſcit, materiam eum obſcurandi ſurripuerit. Romam vix remeauerat, cùm à Pontifice Tractatum de ſacris piacularibus Indulgentijs, quaſi ſcriptorum Voluminum appendicem ſcribere iuſſus eſt. Itaque eum ad finem in Collegium Romanum retulit ſe, hoc eſt in antiquam ſedem ſtudiorum ſuorum. Erat iàm in Vrbe rumor de ipſo ad Purpuram euehendo: vox proindè tam honorifica, & multò magis promerita viri, exigere videbantur cubiculi pro eo laxioris ſpatia, & librorum etiã in promptu copiam. Nihilominùs per eos dies cubiculo cęco, peruetuſto, & quod magis habitationi officeret, odoris grauis vti debuit. Sed non ideò contrahebat animum, vel ſe querimonijs dabat: imò potiùs ità erat obedientiæ, & paupertatis fructu contentus, vt ex eo penè triumpharet. Accedebat iactura temporis, & incommoditas; cùm de nocte præſertim neceſſe haberet lucentem lycnum manu præferens in Bibliothecam ire, vt ex Auctoribus in pugillares referret, quæ poſteà generantem animum in partu operis iuuarent. Quam duram neceſſitatem, indicijs nullis reſpuere viſus, gerebat ſe perindè, quaſi nihil ipſe in Societate, aut feciſſet inſolitum, aut ſcripſiſſet. Interrogatus verò à Pontifice, habitaret ne commodis ædibus in Collegio, reſpondit ſibi eſſe vtique conſultum bene: quemadmodùm ſubridens, narrauit

poſteà familiaribus ſuis. Cùm verò exiſtimarent aliqui, fortaſſe id non ità ex prudentiâ factum ab adminiſtris, qui in Collegio minora diſponunt, rem totam Petro Antonio Spinellio, qui tum erat eius domicilij Moderator, ſignificarunt. Sed ille reſpondit, haud imprudente ſe id obueniſſe, ſed mandaſſe de induſtriâ, vt cæteris documento eſſet Bellarmini virtus, qui nimirùm ingenio ad magna factus, ſorte illa tenui contentus viueret. Quæ probatio virtutis proueniens à Viro, qui peritus exiſtimabatur hominis interioris, inſtar elogij magni referri poterit de Bellarmini modeſtiâ; quandoquidem ità voto euentus, ità opinioni virtus reſpondit. Verùm aliàs quoque ſępiùs oſtendit, quam libenter ſui cognitione libratus ad abiecta, & humilia demitteret ſe. Quippe honoribus nunquam arriſit, quibus Viri primarij ſubindè ipſum cohoneſtarunt. Sed hos dum aſpernabatur, ne offenſioni foret modeſtiâ, contemptum ipſum eorum verbis humaniſſimis ornabat: & tamen honor neminem auidiùs viſus eſt conſectari. Quadam die CLEMEMS Pontifex, qui in Tuſculanum ſeceſſerat è turbâ negotiorum, & mole Principatûs, equum inſtratum Bellarmino miſit, vt ſe ad Ædem Virginis Deiparæ, quam à Cryptâ ferratâ nominamus, comitaretur. In viâ deindè ipſum accerſiuit, & deſcendere molientem inhibuit, iuſſitque, ponè lecticam, quò ſimul iter, ac ſermonem ducerent, adequitaret,

equitaret, ac poſt etiam iteratis imperijs, vt galero tegeret coëgit. Ex eo cœpta fieri coniectura ab his, qui in Aulâ gnari rerum erant, breui fore, vt ei Purpura deferretur.

Sed & Bellarminum ipſum hæ ſignificationes, aliæque perſimiles in eius rei ſuſpicionem haud ità temerè induxerant. Idcircò ſummâ fide, & candore P. Claudio Aquauiuæ Generali, quod vulgò omnes ferebant, & quæ in ſecreto ipſe volutauerat, manifeſtauit; ſpe nimirum fore, vt vir ingenio acri, & præcellenti prudentiâ inſtrueret potenter machinas conſiliorum, quibus, ſi res ità ferret, à mente illâ Pontifex emoueretur. Parte ex aliâ, quià cogitaret ad honorem ampliſſimum inuitum neminem trahi; verſaretque animo, non ità multo ante Viro cuidam eximio ſua ipſius merita ad Purpuram recenſenti reſpōdiſſe Pontificem in hæc verba. Dignus enim verò, ſed enim Ieſuita eſt: aliquomodò ſibi blandiebatur, interpretans hæc indicia eſſe, futurum prorsùs, vt inornatus eâ dignitate relinqueretur. Vanis tamen Aulicorum ingenijs hæc ficta non fuiſſe ſatis euentus docuit, & apparuit hoc dicto tantùm voluiſſe Pontificem, veluti rem ſecretam tegere, quod dudum ipſe patefecerat honoris ſignificatione tam variâ.

VITÆ ROBERTI CARD. BELLARMINI E SOCIETATE IESV LIBER TERTIVS.

Cogitur à CLEMENTE VIII. *Pontifice Purpuram induere.*

CAPVT I.

CONSCIO, & conſentiente Pontifice Bellarminus conſtitutus Rector in Pœnitentiario Diui Petri Collegio, gubernaculum menſes duos vix tenuerat, cùm inter Ieiunia Cineralium, appetentibus ferijs Quatuor temporum, in Aulâ rumor de nouis Cardinalibus creandis diſſipari cœptus eſt: nec erat crebrior in totâ Ciuitate ſermo. Igitur licentiá veteri, varios pro ſuo quiſque ſenſu deſignare, & plurimos falsò; ſed de Bellarmino fama

ſama, quæ aliquando eligit, non errabat, Purpuramq; ei omnes, tantùm quia par iudicaretur, ominabantur. Intellexit ipſe, quæ paſſim de ſe iactarentur, & non leuem eam auditionem ratus eſt. Ceterùm ſuſpecta potiùs, quam manifeſta res erat, cùm ex Palatio nihil dùm emanaſſet: eo ſilentio Pontificis clauſa mens fuit. Attamen ipſe, pridiè quam haberi Senatus deberet, ſub noctem ſtatuit, Præpoſitum Generalem ſyngraphâ monere, obteſtarique, vt dignitatem illam à ſe depelleret, ſi ea ſibi fortè immineret. Adiecit quoque. modo id expedire crederet, aditurum ſe Pontificem, vt hanc ei mentem lacrymis, ſi minus voce detergeret: & ſi voti compos redeat, fore vt nihil penſi habeat, ſe imprudentiæ notam, ſuſpicionemve ſubijſſe, tamquàm ſpecie recuſantis, cuperet Purpuram, quam deprecaretur.

Interim v. Non. Mart. anno M. D. XCIX. manè, in Senatu Pontifex nouos Auguſtos Patres XII. nominauit, & inter eos Robertum Bellarminum, de eo in hæc verba proloquutus. *Hunc eligimus, quia non habet parē Eccleſia Dei quoad doctrinam; & quia eſt nepos optimi, & ſanctiſsimi Pontificis.* Etenim CLEMENS Pontifex hac electione, cùm illud efficere voluit, vt rependeret priuata beneficia, quæ à MARCELLO II. Bellármini Auunculo ſuſceperat Silueſter Aldobrandinus eius Parens, dum è Patriâ ſolum vertere coactus ab eo, ſtatim atque Principatum adeptus fuerat, Vrbis Romæ

Præfectus creatus eſt; tùm verò munerari egregios labores obitos pro Religionis,ac Fidei defenſione,occludereque ora Hæreticorum, allatrantium rebus geſtis Romanorum Pontificum. Nam in expeditione ad Polonos, audiuerat illos, inter plura, Cardinalium delectum vituperare,quaſi abſq; examine meritorum fieret, neglectis optimis, dùm Cæſar Baronius, ac Robertus Bellarminus, tanta nomina, ſubtraherentur in honore Purpuræ oculis Ciuitatis. Horum enim apud ipſos manebat admiratio, tametſi eoſdem odiſſent, vt victi. Quarè ad ampliſſimam dignitatem Bellarminus iam tùm ore inimicorum etiam poſcebatur: indeque fiebat, vt dum boni æquitate, atque amore virtutis; mali obtrectatione,& malignitate Pontificem extimularent, ipſe ſimul virtutibus ſuis, ſimul vitijs aliorum ad gloriam raperetur.

Dùm hæc verò in Senatu agerentur, & circumſtaret Curiæ magni ſecreti impatiens Aulicorum expectatio, Cardinalis Petrus Aldobrandinus,Clementem Sanneſium Marchionem è Palatio ad Bellarminum deſcendere, ac ei deliberata nuntiare iubet, intentato metu anathematis, & noxæ læthalis, ſi pedem domo efferret, quamdiù poteſtatem Pontifex ipſe non faceret. Eâ denunciatione auditâ, inſedit eius pectori tantus dolor, vt attonito incluſerit vocem. Sed vbi ab inſigni mœſtitiâ perturbante animum collegit aliquantulum ſe, Patres Collegij deuocauit omnes, quo ipſi

quibus

quibus integra mens ad conſilium erat, communiter conſulerent, quod in rem foret, vt poſſet defugere eam, quam interpretabatur imponi ſibi onerosãm ſanè dignitatem. Inter eos qui conuenerant, Ioannes Baptiſta Coſta ſenio & peritiâ rerum primus, fruſtrà dixit, tamquam de integrâ re ſententiam quæri. Pontificem, quod diù parturiuit eius animus, peperiſſe; factam in Senatu promulgationem; imperatũ etiam, cohiberet ſe domi. Proindè non apparere declinandi prouidentiam, & in recuſando poſſe parum prodeſſe virtutem. Aſſenſere omnes, quibus præſentibus hæc agitari debuerant; præter ipſum tamen, qui vt præſidia mutuari aliundè ſummâ ope niteretur, Collegij Miniſtrum ad Cardinalẽ Petrum Aldobrandinum mittens, rogauit Pontificis conueniendi copiam; cum perpelli ſe religione diceret, niſi ſua ipſe Sacramẽta ei teſtaretur. Sed hæc induſtria, apud diſpoſitas aures nihil impetrauit. Reſponſum eſt, Cardinali non eſſe integrum, tempus ſermoni orare; quòd deſtinatũ haberet Pontifex, de eius Purpurâ non aliter ſtatuere. Tũ Bellarminus tot circumuallari ſe animaduertẽs, vnde emergi non poſſet, deflere cœpit, ſubmoueri ſe ab eâ dulcedine tranquillæ pacis, quam expertus tot annos in Societate: vt propterea iterauerit voces eas, quibus in re ſimili gemuerat olim Sanctiſſimus Pontifex GREGORIVS MAGNVS; *Nolite vocare me Noëmi, ſed vocate me Mara, quia amaritudine repleuit me Dominus.* Interim adſunt, qui in adita Pontificis ipſum deducant ad pileum pur-

purpureum ſuſcipiendum. Ibi ſe Bellarminus præſidenti Pontifici ſubmittens, cum vellet, quæ diſpoſuerat, quæq; ſentiret expromere, inhibitus eſt ab eo ſeuerè interminante execrationes, excommunicationeſq; ac iubente propoſito metu lethalis piaculi, ne Purpuram in honorem virtutis vltrò datam diutiùs ipſe reſpueret. Sic publicæ vtilitati ſeruiendo potiùs, quàm affectibus, inducta ſunt Cardinalis inſignia lacrymanti; & dum circum omnes lætarentur, ipſe ſolus triſtior, ac velut in funebrē pompam vocatus, modeſtiâ ſuâ & demiſſione pudorem ſe magis decere, quàm Purpuram oſtendebat.

Poſt emerſus tantiſper ex eâ perturbatione, tenue ſolatium ex ſolâ facti neceſſitate habens, epiſtolas plures ad diuerſos ſcripſit, ſignificans in eis, commiſerationi obnoxium ſe, non inuidiæ ob eam, in quam ſe religioſis ædibus agentem Pontifex vltrò petiuerat Purpuræ amplitudinem. Nam circumuentum curis, ac ſollicitudinibus tunc maximè, ſi vnquam aliàs, indigere ſe fuſis ad Deum precibus, aiebat, vt tanti muneris menſuram impleret, & pericula ſimul deuitaret, quæ formidabiliora ſubteriacent his, qui in altum tolluntur. Hæ eius epiſtolæ querimoniarum plenæ, quia erant ſcriptæ demiſſione mirâ, legebantur à nemine, quem non ſtatim raperent in admirationem virtutis. P. Iacobus Crucius inter alios (qui in Societate noſtra eſt iam Aſſiſtens Italiæ) fermè in hæc ei

verba

„verba reſpondit. Suſpicio equidem atton itus,nec ad
„ſatietatem tamen,demiſſionem,quam ceterę laudi an-
„teactæ vitæ ſimillimam exprimis in literis tuis. Dice-
„rem characteres illos reliquiarum loco me cuſtoditu-
„rum, ac veneraturum eos perpetuò, niſi videlicet, ne
„tuę id modeſtię ſit graue,metuerem.Sic ille.Sed &alij,
quibus nota mens Bellarmini erat, vt qui ſcirent verba
eiuſmodi verę virtutis eſſe,non ſimulationis,incitarunt
ſe mutuò,vt litteras ad eum darent,quæ conſolatione,
non gaudio fungerentur. Perindè ac ſi ad hominem
ſcribi deberet, cui ob infortunium denata ægritudo
animi fuiſſet. Multos cum ſileam,non poſſum, quin
Cardinales duos recenſeam, de quibus tùm Romæ il-
luſtris opinio. Alter Auguſtinus Valerius Cardinalis,
Veronæ Epiſcopus epiſtolā abſoluerat eruditiſſimam,
pulcherrimamque, cum aduertens ei aliquid deeſſe,
„poſt ſcripſit hæc alia. Epiſtolam tuam dum relego,
„aduerti prætermiſſas à me partes cōſolationis, propter
„onus impoſitum tibi nouæ, & laborioſiſſimæ digni-
„tatis, *Dominus regit te*, ô candidiſſime Præſul, & opti-
„me Cardinalis, & *nihil tibi deerit.* Non deficiet te a-
„nimi vigor ille,illa alacritas,quam neceſſariā ęſtimas,
„vt negotiū hoc tam pertinens regere poſſis. Deeſt ni-
„hil,vt tu ſatis quidem noſti,timenti Deum,cuius miſe-
„ricordia,atq; clementia,id efficiet,vt quemadmodum
„ex eius deſtinatione in ſacro Cardinalium Collegio
„Collegas nos eſſe conſpicimus, ità & Ciues demùm

 cæleſtis

» cæleſtis Patriæ, frui ſimul eius beatiſſimo conſpectu,
» & ex eo vnâ lætari poſſimus. Alter Franciſcus Maria Tauruſius Cardinalis Archiepiſcopus Senenſis, cùm eo, qui ab epiſtolis in ſcribendo vti renuiſſet, ne tantâ voluptate ipſe fraudaretur, ſic ad eum literas ipſemet
» ſcripſit. Numinis prouidentia fuit; & voluntas, atque
» auctoritas Sanctiſſimi Domini Noſtri CLEMENTIS
» Papæ VIII. vt tu inter Cardinales cooptareris. Nihil
» erat tam excelſum, quod non virtutes iſtæ tuæ, tuuſq́;
» animus mereretur. Ideò cùm ſemper te in loco imo
» ſtatueres, qui conuiuium apparauerat, dicere debuit,
» *Amice aſcende ſuperiùs*; debuit dare manum renuenti,
» & compellere, vt conſequereris ad locum primum.
» Amplitudinem iſtam tuam gratulor ego Eccleſiæ v-
» niuerſæ; gratulor Pontifici; gratulor toti Collegio Car-
» dinalium: in quod aſſumptis tot alijs inſignibus viris,
» Pontifex, dum te illis aggregauit, virtutem ipſam aſſu-
» mere viſus eſt. Sed miſeret me tui, planeq́; doleo, dùm
» ad ſanctas occupationes tuas, ad ſtudia me conuerto.
» Quo pacto plorauit S. GREGORIVS ſuam Rachelem,
» ſuumq́ue tuguriolum. Senatus habendi; Pontificalia
» ſacra; conſultationes; negotia vel Eccleſiæ, vel Vrbis;
» viſitationes acceptæ viciſſim, & redditæ; multitudo
» adeuntium, in qualem iacturam euadent pretioſi tem-
» poris? Opus erit famulos mercenarios ad ſeruitium
» admittere; rationem de expenſis, & annuo cenſu ſub-
» ducere; obſequi ſæculo huic odioſè nimis officioſo.

Denique

„Denique in aduersâ parte tot capita ſunt ęrumnarum,
„vt ſanè pars huius Numiſmatis recta tanti non valeat.
„Nihilominùs in hoc ſtatu tam excelſo,in his occupa-
„tionibus ſummis,quæ gubernaculo Eccleſiæ vniuerſę
„incumbunt,is qui Cardinalis eſt,poteſt intereà ſenten-
„tiæ vnius oraculo,ſi in loco & cum ſpiritu magno fe-
„ratur, plus prodeſſe ſibi, & publicæ vtilitati, quàm ſi
„annos plures in ſeceſſu Religioſo latuiſſet. Foueamus
„in hoc ſublimi gradu illam humilem cõſuetudinem,
„cui inter ſepta Religionis cõſueueramus,& lucebit co-
„ràm hominibus, tanquàm Ciuitas ſuprà montem po-
„ſita. P. Generalis Præpoſitus, cæterique è Societate
„tametſi lugent in Familiam ſuam ſecundò iam pate-
„ſcere aditum ad ſpecioſos titulos, & honores, atque in
„eam, quaſi altero ianitore denuò Purpuram ingredi;
„euentûs auctor,vt ſpero,erit S. Spiritus hanc fuiſſe mẽ-
„tem. Pontifex verò non iterùm Societati adferet ex ſi-
„mili iacturâ mœroris ſimilem cauſam.&c. Senis Prid.
„Nonas Martij M. D. XCIX. Sic ipſe.

Iàm quia opiniones etiam Societatis, & ſenſus e-
ius domeſticus in hac electione Bellarmino ad glo-
riam eſſe poſſunt, P. Claudij Aquauiuæ Generalis Prę-
poſiti litteras hoc loco inſeram ad Præſides Prouin-
ciarum in Societate miſſas, vt hi vniuerſos condoce-
facerent: nevè in Societate vlli, ea quę acta Romæ du-
„riùs,aut perperàm interpretarentur. Et ſic inquit.Ma-
„nauerit fortaſſe ex litteris aliorum fama, de his, quæ

„ cæleſtis Patriæ, frui ſimul eius beatiſſimo conſpectu,
„ & ex eo vnâ lætari poſſimus. Alter Franciſcus Maria Tauruſius Cardinalis Archiepiſcopus Senenſis, cùm eo, qui ab epiſtolis in ſcribendo vti renuiſſet, ne tantâ voluptate ipſe fraudaretur, ſic ad eum literas ipſemet
„ ſcripſit. Numinis prouidentia fuit; & voluntas, atque
„ auctoritas Sanctiſſimi Domini Noſtri CLEMENTIS
„ Papæ VIII. vt tu inter Cardinales cooptareris. Nihil
„ erat tam excelſum, quod non virtutes iſtæ tuæ, tuuſq;
„ animus mereretur. Ideò cùm ſemper te in loco imo
„ ſtatueres, qui conuiuium apparauerat, dicere debuit,
„ *Amice aſcende ſuperiùs*; debuit dare manum renuenti,
„ & compellere, vt conſequereris ad locum primum.
„ Amplitudinem iſtam tuam gratulor ego Eccleſiæ v-
„ niuerſæ; gratulor Pontifici; gratulor toti Collegio Car-
„ dinalium: in quod aſſumptis tot alijs inſignibus viris,
„ Pontifex, dum te illis aggregauit, virtutem ipſam aſſu-
„ mere viſus eſt. Sed miſeret me tui, planeq́; doleo, dùm
„ ad ſanctas occupationes tuas, ad ſtudia me conuerto.
„ Quo pacto plorauit S. GREGORIVS ſuam Rachelem,
„ ſinumq́ue tuguriolum. Senatus habendi; Pontificalia
„ ſacra; conſultationes; negotia vel Eccleſiæ, vel Vrbis;
„ viſitationes acceptæ viciſſim, & redditæ; multitudo
„ adeuntium, in qualem iacturam euadent pretioſi tem-
„ poris? Opus erit famulos mercenarios ad ſeruitium
„ admittere; rationem de expenſis, & annuo cenſu ſub-
„ ducere; obſequi ſæculo huic odioſè nimis officioſo.
Denique

„Deniquè in aduersâ parte tot capita ſunt ęrumnarum,
„vt ſanè pars huius Numiſmatis recta tanti non valeat.
„Nihilominùs in hoc ſtatu tam excelſo,in his occupa-
„tionibus ſummis,quæ gubernaculo Eccleſiæ vniuerſę
„incumbunt,is qui Cardinalis eſt,poteſt intereà ſenten-
„tiæ vnius oraculo,ſi in loco & cum ſpiritu magno fe-
„ratur, plus prodeſſe ſibi, & publicæ vtilitati, quàm ſi
„annos plures in ſeceſſu Religioſo latuiſſet. Foueamus
„in hoc ſublimi gradu illam humilem cõſuetudinem,
„cui inter ſepta Religionis cõſueueramus,& lucebit co-
„ràm hominibus, tanquàm Ciuitas ſuprà montem po-
„ſita. P. Generalis Præpoſitus, cæterique è Societate
„tametſi lugent in Familiam ſuam ſecundò iam pãte-
„ſcere aditum ad ſpecioſos titulos, & honores, atque in
„eam, quaſi altero ianitore denuò Purpuram ingredi;
„euentus auctor,vt ſpero,erit S. Spiritus hanc fuiſſe mẽ-
„tem. Pontifex verò non iterùm Societati adferet ex ſi-
„mili iacturâ mœroris ſimilem cauſam.&c. Senis Prid.
„Nonas Martij M. D. XCIX. Sic ipſe.

Iàm quia opiniones etiam Societatis, & ſenſus e-
ius domeſticus in hac electione Bellarmino ad glo-
riam eſſe poſſunt, P. Claudij Aquauiuæ Generalis Prę-
poſiti litteras hoc loco inſeram ad Præſides Prouin-
ciarum in Societate miſſas, vt hi vniuerſos condoce-
facerent: nevè in Societate vlli, ea quę acta Romæ du-
„riùs, aut perperàm interpretarentur. Et ſic inquit. Ma-
„nauerit fortaſſe ex litteris aliorum fama, de his, quæ

» Deus diſpoſuit paucis abhinc diebus circà P. Roberti
» Bellarmini noſtri factam in Cardinalium numerum
» aſſumptionem. Exiſtimo nihilominùs eſſe è re mune-
» ris mei de hoc magis diſtinctè ſcribere Societati vni-
» uerſæ. Si enim complectar ſingula,quæ euenerunt;re-
» ſtinguam, opinor,aut certè leniam ſenſum illũ, quem
» in honorum inſignibus admittendis Societas habet,&
» ex quo certatim optamus, vt nos perpetuo Deus in
» noſtrâ contineat humilitate. Cupio igitur, vt ab om-
» nibus habeatur pro re compertâ, non ex parte Socie-
» tatis modò cùm Pontifice ſeriò actum fuiſſe, rationeſ-
» que propoſitas, quibus inducta pridem ipſa eſt,nè hu-
» iuſmodi honores, ac titulos, niſi pro poteſtate coga-
» tur, velit admittere; ſed ab ipſo Cardinali etiam priuſ-
» quàm eſſet in Purpurâ eidem Pontifici ſignificatum
» eſſe quàm demiſſiſſimè,ſe nimirùm optare, vt in qui-
» bus moribus diù iàm vixerat, in his poſtremò poſſet
» deſinere,ac mori. Nihilominùs Pontifex,& ſe maturè
» deliberaſſe, & rem Deo gratam eſſe exiſtimauit. Ex
» quo factũ eſt deindè,vt Bellarmino ſupplici,nec aures,
» nec animũ,quoad rem præſentem,dederit. Quinimò
» antequàm inſignia prima Cardinalium, ità vt erat in
» veſte Societatis,acciperet, pro ſe dicere incipientem,
» & deprecaturum enixè, nè paupertatis ſacramento ſe-
» minudum amiculis ex Purpurâ vellet induere, Ponti-
» fex idem extemplò prohibuit, eminatuſque eſt fulmi-
» na cenſurarum momentò infligenda, ſi de Purpurâ

» reijciendâ ampliùs loqueretur. Cùm hæc verò ſe ha-
» beant in hunc modum, eſt quod noſtri omnes gau-
» deant, vbi intellexerint, tùm à Societate, tùm à Car-
» dinali ipſo, quod factu opus erat, id vtique factum eſ-
» ſe. Et ſanè ex his venire in ſpem poſſumus forè, vt de-
» beat in Dei obſequium euadere eiuſmodi electio. Ete-
» nim cum ità ſponte à Pontifice, dignitas ſit in virum
» conjecta doctrinæ, integritatis, ac religionis tantę, quã-
» tæ eſt Bellarminus, conjectare poſſumus, eum in Ec-
» cleſiâ Cardinalem exempli laudatiſſimi futurum, in-
» cumbentem vtilitati publicæ, Societati verò beneuo-
» lum imprimis, ſicuti de eo communis expectatio eſt
» Orbis vniuerſi. Quod ſupereſt, vt ſecundet noſtra hęc
» omnium vota Deus, & vt ipſi Bellarmino vires addat
» cum onere, quò virtute eâdem, quâ eminere in Socie-
» tate viſus eſt, eminere poſſit in Purpurâ, ac nouæ di-
» gnitatis magnitudini ſemper animum ęquare, ad eum
» finem in Prouinciâ Sacerdotes ſinguli rem Diuinam
» ſemel, ſinguli qui à Sacris non ſunt, ſemel Roſarium
» Numini offerent. Interim omnium me ſanctis Sa-
» crificijs & precibus commendo. Romę Pridie Non.
» Martij M.D.XCIX.

Atq; hic ſenſus ille eſt, quẽ tenera hauſit Societas ab IGNATIO parente, quando ab eo vitam primam accipiens, didicit ſimilem egregiorum virorum euectionem, quaſi ſuis caritura luminibus, formidare. Indicaſſe iàm paucis etiam debemus, quid Politiana Vrbs

egerit Patria, & ſedes nutrimentorum eius. Hęc enim tribuit ſummo ſibi honori, Ciuem ſuum fuiſſe tantâ cum laude meritorum, adlectum in ampliſſimum Ordinem. Inter ſigna tamen lætitiæ tunc edita, documento pietatis fuit Thomas Bellarminus Cardinalis Frater, dum eâ occaſione in egenos largitiones pro opibus ſuis liberaliter ſatis erogauit, itemque ad Patriæ Cœnobia varia, & amica Numini loca adiuit, ſupplicationes expoſtulaturus pro Fratre iàm Purpurato, vt à Deo, qui principium ei amplitudinis fuerat, perfectionem omnem illam imploraret, cuius Orbis Terrarum ſponſor propè videbatur. Dein haùd ab ipſo prætermiſſa ſunt etiam ſolita exhiberi publicè gaudia. Sed imprimis nobilis gratulatio ea fuit, quà tam læto audito nuncio Taberna Ciuitas Calabriæ, quæ antè paucos annos honorificè adeò Bellarminum exceperat, geſtire prorsùs viſa eſt. Rem his verbis Cardinali
„narrauit P. Ioannes Calefatius è Societate noſtra. Cùm
„primùm Tauernæ, inquit, vulgauit fama tibi Purpu-
„ram delatam fuiſſe: triduò tùm, poſtquam tenebræ
„incederent, tecta Vrbis luminibus clareſcere, & con-
„ſonare cantu omnia; certaruntque vrbicis plauſibus
„etiam rurium propinquorum gaudia. Erat verò con-
„ſolatio ingens lacrymas aſpicere, quas omnium oculi,
„natantes gaudio, & trahentes quoque in partem læti-
„tiæ mœroris ſigna, intereà vbertim effunderent. Supe-
„rauit omnes tamen Sodalitas Pietatis, quam vocant,

» cuius aſſeclarum Ordo, tres noctes illas, totâ Vrbe gra-
» dientium cum luminibus, quùm Hymnum *Te Deum*
» *laudamus* concinerent, & alternarent per interualla
» etiam has voces; IESVS *viuat, & viuat Bellarminus*; vi-
» ciſſim eas populus vniuerſus iterabat, dùm interim
» campanæ omnes læto, feſtoque percreparent ſono, &
» Ciuitas ſtrepitu dulci compleretur. Sic ille. Atq; hæc pars aliqua eorum, quæ Bellarmino aſſumpto ad purpuram euenere. Quo tempore etiam ij, qui cęteroqui fælicitatem eorum, quos in æquo viderint, ægris oculis adſpicere ſolerent, clarè lætati ſunt; fatentes à Bellarmino ad purpuram id afferri, quod nec à purpurâ acceperat, nec accipere potuiſſet.

Quis ei ſenſus, & quæ conſilia, cùm purpuram adeptus eſt.

CAPVT II.

DIGNA vox Bellarmino ea fuit, cùm Alexandro Vrſino Cardinali ſciſcitanti, an eſſet cordi negotium, quod illi commendauerat, reſpondit; mihi aliud cordi non eſt, quàm vt velim animam meam ſaluam eſſe. Pulchrè enim oſtendit, quid illud eſſet, quod vnum præ cunctis perpetuò obuerſaretur animo eius. Verùm id facto affirmauit adhùc pulchriùs tùm in omni vitâ, tùm vero ſtatim in purpurâ; Vbi primùm ex tantâ perturbatione potuit colligere animum,

mum, vt aliquantulum apud ſe eſſet, interiores ſenſus conuocauit omnes, atque altè ſecum reputare inſtitit, in quæ pericula lubricæ ſint, & præcipites honorum arduitates; quibuſve ſubſidijs per eas tranſire poſſet, quin caùsâ ſalutis caderet. Secretum hoc, vtpote clàm ab animo agitatum, penetraui è ſcriptis eius varijs, ex quibus partem eruam deſcriptionis illius, quam ſibi propoſuerat prudens Architectus, vt ædificium, quod inchoauerat virtutis, exædificaret, ſineretque ſub protectione Dei Cæli commorari.

Conſilium primum fuit, ſic diſponere omnia, vt ſibi cor in tranquillo eſſet, ſubijceretur; penitùs Diuinæ Voluntati. Habet hoc epiſtola, quâ VIII. Idus Nouembris M. DC. I. Henricum à Lotharingiâ Epiſcopum Verdunenſem hortatus eſt, vt in Antiſtitis officio cõtineret demùm ſe æquanimiter, dum ei à Pontifice integrum non fieret, Sacerdotij infulas deſerere, vt Societati noſtræ, ad quam adſpirauerat, nomen daret. Rationes quippe eas attulit, quas occaſione ſimili expertus in ſe optimas, & ferè in hunc modum in- »quit. Quod ad pium deſiderium tuum attinet adipi- »ſcendi pennas columbarum, & volândi ad locum »dulciſſimæ quietis, dicam quod ſubit animũ meum. »Non puto ſolidiorem quietem, & ſalutis veriorem ſe- »curitatem in re aliâ poſſe inueniri, quàm in Dei vo- »luntate animæ viribus totis exequendâ. Illam ego »Domini vocem præter omnes amaui ſemper. *Pater*

transfer

„ *tranſer à me calicem hunc* : *Verumtamen non mea, ſed tua* „ *voluntas fiat.* Empti pretio magno ſumus: proindè „ tanquàm ſerui obedientiam Noſtro Hero debemus. „ Dùm conſcientia noſtra teſtis eſt, non quæſiuiſſe, „ non optaſſe, non elegiſſe locũ nos ſublimiorem, & in „ præſentiâ honorem nihili ducere, quo & abdicare nos, „ ſi liceret, liberet; ſanè eſt quòd gaudeamus, & ac„ quieſcamus voluntati Dei, quam Pontifex nobis ma„ nifeſtauit. Paſtorale onus eſt ſollicitudinis, atque pe„ riculi plenum; neque fortaſſe, vt exemplum in me „ ſtatuam, minus graue onus eſt dignitas Cardinalis. „ Sed ſi Opifici, ſi Emptori noſtro placuit has in angu„ ſtias, in hæc pericula nos vocare; ecqui nam ſumus, vt „ dicere poſſimus ei, cur ità feciſti? Qui nos dilexit, & „ animam ſuam pro nobis poſuit, dicere dignatus eſt „ Petro, & in eo Paſtoribus omnibus; ſi me amas paſce „ oues meas. Ecquis erit, qui reſpondere audeat Domi„ no, nolo paſcere oues tuas, ne perdam animã meam; „ niſi ſit aliquis, qui non Deum, ſed ſeipſum amet? Dei „ amator verus cum Apoſtolo ait; malo *anathema eſ*„ *ſe à Chriſto pro fratribus meis*, quàm nõ ſubire ſarcinam, „ quam mihi Amor Diuinus impoſuit. Quamquàm „ eſſe diſcrimen ſalutis nullum poteſt, Caritas vbi re„ gnat. Nam eſto: imprudentes, vel ex imbecillitate in „ multis labimur; nonnè *operit caritas multitudinem* „ *peccatorum*? Illuſtriſſime, & Amantiſſime Præſul, ſi „ ſpes affulgeret vlla fore, vt Deo, & Vicario eius con-

D D ſen-

„ſentientibus ad Religionis quietem; tu quidem veni-
„re, ego redire poſſemus, id omninò eligendum eſſet:
„ſed ſpes vaneſcit omnis. Quæ mihi frequens dico,
„eadem & ſcribere volui ſanctæ animæ tuæ, quam ab
„onere Paſtorali ægrè admodùm angi video. Sic in lit-
„teris ipſe. Diſpoſitâ hoc pacto animâ, ab amicis varijs,
„de quibus ei opinio virtutis maior, ſubſidia votorum
flagitauit apud communem Dominum. Ex his P. Bernardinus Realinus fuit, vir ei ſatis notus perfectionis, ſanctimoniæque famâ. Rogauit verò eum, vt mente defixus ad lumen Dei introſpiceret, nùm ea dignitas iniecta inuito, ac repugnanti allatura impedimentum eſſet, circà animæ ſalutem. Tùm ille poſteaquam ſupplicabundus cum Deo multum egiſſet, reſcripſit ſe iudicare, haud difficultatis plus habiturum in Purpurâ, vt ſaluus fieret; quàm ſi priuatus in Societate perſtitiſſet. Quin & adiecit, credere omninò ſe, honorem illum ipſi delatum; tùm vt indè magis laudaretur Deus; tùm vt ipſi quotidiè magis meritum accreſceret. In alterâ item epiſtolâ idem Realinus hæc
„ferè habet. Agnoſco caritatem Societatis IESV, quâ
„fuit indutus ſemper animus tuus, tametſi corpus iam
„non induat eadem Societas, & IESVS; niſi inquantùm
„omnia ſunt IESV, qui & ipſe habitu ſe induit non ſuo.
„Fateor me debere fundere pro te preces ad Deum; ſi
„minus quòd tu eis indigeas; certè vt faciam ego ſatis
„obligationi meæ. Quarè in præſentiâ hoc ago, imò

» & agam, ſed *de paupere menſâ.* Condoleſco item ex o-
»nere, quod impoſitum non opinanti tibi nuper fuit.
»Sed ſpero tamen futurum, vt qui dixit *Onus meum leue*,
» promiſſa hæc verbi ſancti ſui confirmare debeat effi-
»caci augmento, tùm Societatis noſtræ, tùm obſequij
» Diuinitatis ſuæ. Sanè tam inſignis obedientia, quî
»fieri poterit, vt non perpetuò loquatur victorias? fiat
» igitur promptè voluntas IESV; ſic ſancto Vir ſanctus ſolatium animæ ſuppeditauit: & Bellarminus innixus Dei prouidentiæ, ex eâ tamquam anchorâ ſuæ firmitatis, hoc habere paulatim cœpit, vt quotidiè minùs ex præſenti iactatione fluctuaretur.

Quia verò ſpem iuſtorum Dei metus ſalutaris comitatur, qui animum admonet; ne ſitu, ac delitijs torpeat, efficitque vt inter pericula prudens eat: cœpit pariter ſecum agitare illud, an coram Iudice Deo, verè in eâ dignitate admittendâ mens, & conſilium, & culpa demùm abfuiſſent. In quâ re cũ haud ſuo ingenio niti vellet, inſtitit apud Viros harum rerum expertiſſimos ſedulo de eâ quæſtione perquirere. Formauit proindè quędã capita interrogationum, quæ pòſt P. Franciſcus Rocca (erat is ei à Confeſſionibus) ex ipſius autographo deſcripſit. Eis verò reſponſa ſubijciuntur, fortaſſe à Viro reddita, quem conſuluerit, & ſic ordinabantur.

I. Quemadmodùm ſit in eam dignitatem ingreſſus? an per oſtium verum? Reſpondetur. Vtiquè per verum.

II. Poſſit nè inoffenſo Numine in hoc ſtatu viuere? Reſpondetur. Omninò poſſit.

III. Inſiſtere ne meliùs poſſit obſequio Dei; ad priſtinum vitæ modum ſi redierit? Reſpondetur. Id verò anceps eſt.

IV. Eſſet nè hoc maioris documenti? Reſpondetur. Hoc item in ambiguo eſt.

V. Videretur nè ſaltem impetrabile? Reſpondetur. Vix quidem.

VI. Securius nè eſt, aure ſimplici obtemperare vocanti Deo, atque iubenti per interpretem vocem Vicarij eius; nec de commutando ſtatu ſollicitum eſſe; ſed in eo gradu perfici, in quem eius obedientia collocauit?

Capiti huic poſtremo reſponſio deeſt: vt putem equidem, ſex eas poſtulationes fuiſſe ad P. CLAVDIVM AQVAVIVAM per codicillos miſſas, quocùm vſitatum habuit de ſimilibus conſultare; & ab eo rursùs per diſtinctos codicillos reſponſa ipſum retuliſſe. Manifeſtum quippe eſt, etiam in ampliſſimâ dignitate, aduersùs Generalem Præpoſitum, propè ſubmiſſionis miraculo, retinuiſſe priſtinam obſeruantiam. Et vt dicam obiter de hac Obedientiæ Religioſæ ſubiectione, quam ne quidem in Purpurâ erubuit; in Vrbe Româ poſtulatus Patronus ſacrarum Virginum Ordinis Sancti Auguſtini, quæ Sanctæ Marthæ nominantur; nihil deliberauit, priuſquam ad eam rem à Generali

Generali Præpoſito voluntatem acciperet: quòd ſciret Societatis inſtitutum pias eiuſmodi fœminarum gubernationes in alijs Religioſis laudare vtique, in ſuis tamen non probare. Ita circumſpectus coràm Deo dum ambularet, qui ſcrutari ſolet, quæ corda clàm ſenſibus moliuntur, ipſe ſibi nunquàm plaudere videbatur; tametſi nullius noxæ reus poſſet agi coràm hominibus. Quinimò, vt ij referunt, quibuſcùm vnâ vixit, moleſtè admodùm ſumma eius humilitas ſplendore illo Purpuræ perſtringebatur, & prorsùs perindè, quaſi non ornata lumine, ſed tacta fulmine eſſet. Hoc indicarunt ſatis; tùm lacrymæ, quibus ſe appellatum ad eum ſupremum Ordinem pro affecto ſtatim eſt lamentatus; tùm voces illæ, quibus diceret ſubindè, flammas aſpicere ſe corpori circumfuſas, cùm illud amictum Purpurâ contuebatur, ac propè ſentire, quàquà demùm illa tangeret, ſeſe totum amburi. At verò hæc tùm non dixit, quò dignitatis gradus, ac tituli inter vitia ſint, non cum virtutibus: etenim ad Eccleſiam regendam, & Ordinum diſcrimina retinenda, ſunt inducti diuinitùs: ſed quia cerneret ſibi, dum eius gloriæ indueret inſignia, ſimul animi augeri pericula, ſimul auferri tranquillitatem. Hinc poſtmodùm Capuæ degens, Paſtor in vigiliâ gregis, aperuit vni ex intimis familiaribus deliberationem, quam iniuerat de ſe abdicando, deponendâque Purpurâ, ſi CLEMENTI VIII. ſuperſtes foret. Sed habito

 bito

bito ſermone diù, & per opiniones multas, iudicarunt ambo, poteſtatem haud fore impetrabilem, vtpotè quæ eſſet fermè ſine exemplo, cum non debeat ſanctitas, & dignitas huius Purpuræ, quam Eccleſiæ fortitudo, & Martyrum ſanguis colorat, inter res illas fluxas numerari, quibus Religioſi Viri, conſilio vitæ ſeuerioris nuncium remittere conſueuere. Amicus tamen conſultus de eâ re, vti ſuſpexerat admirabundus propoſitum illud animæ magnę, quo id ipſum tam mite, & tam moderatum Purpuræ decus deponere meditabatur, ſuadere inſtitit, tentaret eam abdicationem vel ideò, vt ſi minùs obtineret; exemplum certè ſpecioſi conatûs tranſmitteret ad poſteros. Etenim omni actâ Purpurâ depoſita eadem clarior fuiſſet; adeò ſpreta in tempore gloria cumulatior ſæpènumerò redit. Sed vt ei animus ab omni ſpecie ſimulationis alienus; vbi audiuit ſe tantùm ad famæ ſplendorem augendum, cætera inutiliter petiturum, defugit hoc moliri, metu præſertim latentis in tam ſublimi cogitatione vanitatis. Reuireſcebat nihilominùs identidem ſtudium hoc, vitam in priuata re agendi, & tùm maximè cum fieret ei perſuaſio, fore id promptum effectu, aut certè non arduũ. Quadam die Canones ſacros dum euolueret, quia viſus erat ſibi reperiſſe veſtigium aliquod rei, quam anhelus adeò conſectabatur; poſſe nimirùm abſque aliâ auctoritate aliquem ſe ipſo abdicare, Præpoſitum Generalem rogauit, vt

aliquot

aliquot Theologorum meditationi quęſtionem illam traderet, quam in Iure deprehendiſſet. Pertæſus enim Aulicæ vitæ, obſcura ſpecioſis, & quieta turbidis præferebat, & ſolitudinis amator dulciſſimorumq́; ſociorum, ad eos, inter quos fuerat educatus, reuerſionem agitabat. Sed ille reſcripſit, verteret aliò curas, quoniam crederet eundem conſenſum fore in eo retinendo, qui in eligendo fuerat. Quarè dolens ſibi negatos aditus ad eam recuſandam, quam inuitus, induerat Purpuræ dignitatem, ſtatuit, ità veſtes honorum geſtare, vt faſtum abijceret, & ſi minus eas deponeret, ſaltem perpetuò faſtidiret. Ad hæc vt retineret ſimul Religioſi Viri moderationem, tria hæc diſtinctè ſibi præſcripſit. Primò vitæ rationem ne immutaret, quam in Societate olim parſimoniâ victûs, quotidianis precationibus, contemplatione, ſacrificijs inſtituerat. Secundò ne aggregaret opes, nevè agnatos opimaret, ſed è cenſu annuo, quicquid expenſis neceſſarijs ſuperfuiſſet, Templis id, Pauperibuſq́; erogaretur. Tertiò ne à Pontifice prouentus peteret copioſos, nevè acciperet à Magnatibus munera. Quæ ipſe ſingula rarò documento ſeruauit conſtanter, ad obitum vſque.

Reti-

Retinet vitæ modum, quo vixerat pridèm; quantùm patitur Purpuræ conditio.

CAPVT III.

MORES cùm non variant fortunâ in melius variante, animuſque acceſſu amplitudinis nouæ non extollitur; virtutem id enimverò indicat excedentem humana omnia. Videre multi cum admiratione laudem hanc in Cardinali Bellarmino, qui meritis quæſitam dignitatem adhùc modeſtiùs tenuit, quàm acquiſierat. In eo lumen illud Purpurę circumfuſum vmbrâ demiſſionis, ſpectaculum erat, in quo non poterat facilè diſtingui, delectaret magis, an ad virtutem inſtrueret. Haud multùm erat neceſſe, vt externi, nedùm Societatis homines; ſiue ſcriberent abſentes; ſiue coràm inuiſerent, cuſtodirent ſanctè leges obſequij, quibuſcùm ampliſſima ea dignitas adiri ſolet. Comitate & alloquijs officia pręoccupabat omniũ, inſederatq́; eius animo honoris ſummi tã parua dignatio, vt niſi eum Cardinalem eſſe alij meminiſſent, ipſe in obſequijs accipiendis, reddendiſq́; voluiſſet obliuiſci. Dixit interdùm, haud ſe minoris tùnc æſtimare fratres ſuos, filios Matris ſuæ, nempè Societatis, quàm æſtimauerat pridem: quippè qui voluntatem, & amorem ergà illos cum habitu non poſuerat; & repererat in Purpurâ nihil; niſi molem curarum, ac ſollicitudinum,

num, & quod inde fit, periculi formidinem. Hinc ſolitus ſtudia hæc ſua expromere frequenter, cùm oſtendebat, delectum Societatis ſemel initum, ſemel placitum, eiuſque inſtitutá à ſe pro æternis haberi. Quin imò augebat quotidiè de eâ opinionem, commendans Diuinam miſericordiam, cuius beneficio in Societate iàm adultâ vigere ſpiritum eundem illum diceret, qui in tenerâ, & naſcente viguerat, cuſtodiâ legum, pace animorum, & ſubiectione ergà Tutores pari, atque fuerat olim ergà Parentes. Quæ omnia non ignarus loquebatur is, qui in eâ tot annos, lociſque adeò diſiunctis vixerat, functus inſuper muneribus primis Rectoris, & Præſidis Prouincialis. Verùm haud ideò erat parcus in commendandis alijs Religioſorum Ordinibus, afficiebaturque plurimum ergà illos, in quibus Patrum virtus, & ſanctimoniæ flos oleret ſuauiùs, & cultura animæ interior minimè deſideraretur.

Propterea nihil tùm illi gratius, quàm ſi interdùm è Societate aliqui eum adirent, ſemperque cùm his finis ſermonum erat, petere ac precari, vt ſubindè ſe interuiſerent. Eandem ob cauſam propè Romanum Collegium habitauit; nec eo contentus, optauit etiam ſuffodere viam, quâ commeatus eſſet, & clàm ad ſuos, quandò liberet, ſuggrederetur. Verùm quia hoc non impetrauit; ſiue difficili humo, nec acceptante occultum opus; ſiue contrà quòd labes terræ ità dirutæ metueretur;

tueretur; ex eo propinquo loco ſaltem virtus ipſius hoc habuit commodi, vt Nolæ pulſum audiret, cæteriſque ex eâ interuallis ſua diei facta; noctiſque diſtingueret: prorsùs vt corpore dumtaxat in ſuâ ipſius domo, nobiſcùm animo, & factis agere videretur.

Vt cùm hoc ornatu interiore congruerent, quę gerebantur exteriùs, pari ope adnitebatur. Vultu eodem honoré intuitus, quo eum acceperat, in ſuam famam geſtis nunquàm exultauit, & honorantes tantùm non auerſabatur; Religioſo homine indignum ratus, veneratione delectari. Inuitarunt Patres Societatis initiò ad Romanum Collegium, vt ibidem in Purpurâ ſalutaretur; & tùm ipſe, quia veritus poeſim, quæ, vti par alioqui erat, gratulatione fungeretur, componi aliquid de ſe, tametſi à præſtantiſſimis, prohibuit; impetrauitque à Collegij Rectore, vt materiam carminis iuberet eſſe illud; *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, ſicut flos agri.* Nec aliter interfuit, tam erat alienus, proprijs vt adſiſteret laudibus. Tametſi verò ità gloriam fugit, extrà inuidiam quidem, non tamen extrâ gloriam fuit.

In omni vitâ leges Societatis, conſuetudineſque vel minimas tàm ſanctè impleuit, vt optimis, & perfectiſſimis exemplo eſſe poſſet. Menſem integrum quotannis, in Ædibus Quirinalibus Nouitiorum ad S. Andreæ, pias commentationes, quas exercitia vocamus, continuauit: quo maxime tempore, omni gene-

re pietatis cunctis prælucere viſus eſt. Ingreſſus eam domum, ſtatim percontari, an quis forte oblangueſceret, idque ſtudio inuiſendi, ſolandique; fuitque perſuaſio, in eius gratiam à Deo ſanitatem non paucis, & vitam etiam aliquibus, de quorum certo exitu Medici pronunciauerant, fuiſſe reſtitutã. Sçimus P. Octauium Lorenzinum ab eo repertum morbo ità graui laborantem, vt non Medici modo, ſed ipſemet Cardinalis ei ſiniſtra, & vltima metuerent; nihilominùs moratus ibi aliquamdiù pijs in alloquijs, meliora iudicia de illo ſenſim inire cœpit: ac poſttremò antequàm emigraret, ægrum luſtrali aquâ perluens, adiectâ precatione ſalutari, ei vitæ ſpem indubiè pollicitus eſt, quam ille poſtmodùm fæliciter conſequutus fuit. Tempore exercitiorum degebat in ſuo conclaui ferè perpetuus, nec patiebatur, vt ſecretum conſilium, & cauſam animæ meditanti aliquis parùm tempeſtiuus interueniret, fraudaretque hoc animi ſpatio, quod ei vacuum à curis, atque ab Aulâ ceſſans erat. Nè quidem in hortum deſcendedat, genus laxamenti neceſſarium his, qui opere mentis fatigantur. Si quando libri alicuius deſiderio teneretur, nunquàm permiſit è Bibliotheca ad ſe illum deferri, propterea quòd vetet lex, ne libri abſque veniâ indidem efferantur: & tametſi Rector hoc deprecaretur, ad communem Bibliothecam ibat, atramentarium circumferens, & calamariam thecam, quæ haud erant modicæ molis: Tyronibus hæc in

Purpurâ fieri demirantibus. Menſæ apponi haud patiebatur cibos, niſi ſimplices,&qui abſq; blandimentis expellerent famem; requirebatq; illos menſurâ, & conditione pares his,qui pro cõmuni triclinio parabãtur, iuſſis redire integris,ſi quæ adferrẽtur exquiſitę dapes. In Collegio Romano etiàm,dùm ibi aliquos dies Cardinalis habitauit, eâdem victûs moderatione, & eodem,quo cæteri ſtudiorum loco,nempè Bibliothecâ publicâ vti voluit. Aliquandò cùm attonderi debuiſſet, ad domeſtici Tonſoris cellulam viſus eſt deſcendere,planè per gradus humilitatis omnes; quippè hoc adepturus,vt Sampſone meliùs crinem ſimul minueret,& virtutem augeret; inhibuerat enim,nè ſicut mos &dignitas exigebat,Tonſor ad cubiculũ deuocaretur. Occaſione huius annui ſeceſsûs domeſticos adhortabatur ſubindè,&addebat exemplo vocẽ virtùtis, quę perſuadebat mirificè vel ideò,quòd priùs factis aſfirmaretur. Et quidẽ ea tùm inter ſepta tenerrimę Societatis, quo adhæreſcerent firmiùs nouella germina
» ſolo ſupernæ vocationis, dixit aliquandò; tot annos
» vixi in Religione,abſque eo quod ſcirem,quid mœſti-
» tia eſſet,& iàm Cardinalis quid lętitia ſit,penitùs igno-
» ro. Nunquàm Purpura mihi æquè viſa eſt onus &mi-
» ſerum&graue,quàm cùm intellexi,quãto ſit moleſtiùs
» eam faſtidire,quàm accipere. Veſtram hanc ego quie-
» tem amaui olim,& duxi, multò eſſe beatiùs ingemere
» ſtudijs,Religioniſq; ſubdi oneribus,quàm Aulę pom-
pis,

„pis, & periculis immiſceri. Interdùm incitabat, vt aſſueſſerent dicta maiorum capeſſere perindè,atq; ſi imperaret Deus: cùm diceret nullum nos indicium certius propitij Numinis habere poſſe, quàm ſi iubenti alacres obediuerimus,iuxtà Chriſti Domini oraculum; *Propterea diligit me Pater, quià quæ placita ſunt ei, facio ſemper*. Hanc vt oſtenderet minimè rem difficilē eſſe, adiecit ſcire ſe è Societate vnum,qui conſtanter annos perpetuos XL. obtemperauerat: cùm ſe interim cœlaret, de quo id narrabat: ſicut amico id impenſiùs roganti non penitùs negauit. Grauiùs, & vehementiùs dicebat, cùm adhortaretur ad cōtemptum amplitudinum,&neglectum ſeculi huius ficti,atq; fallentis:quo mutarent ſtudia,ſedarentq; perfectè omnem cupidinē vanitatum eius;ad Cœlum verò adſpirarēt,vbi gaudia vera circumfluunt. Et quoniàm metueret, ne auctor huius rei parùm idoneus iudicaretur:hæ veſtes purpu-
„reę,inquit,incūbunt mihi haud ſanè aliter,quàm trun-
„co alicui,qui onus illarum habeat; expers verò ſensûs
„nihil indè capiat emolumenti,vel gloriæ; cùm obſtri-
„ctus ego ſim nihilominus obligatione votorum,ſicuti
„anteà, & legum religioſarum omnium, quoad Purpuræ conditio permittit. Aliàs auditus eſt oratione item inſtitutâ de Mundi vanitate; poſtquàm de dubio exitu Salomonis egiſſet Regis ſapientiſſimi, hæc poſtremò diſſerere. Veſtes,quæ me ornant,verè ærumnoſę mihi ſunt,& graues;vt eas quotieſcumque conſpicio,fleam.

Hæc dixit, & pileum Purpureum capiti adimens, ac manu oſtentans, obortis lacrymis, addidit; in pœnam eorum, quæ in vitâ deliquerim, dedit mihi hanc Purpuram Deus; ac poſt inopinatò abſoluit, relictis omnibus defixis in tantæ eius admiratione virtutis. Item ex eodem loco verba faciens, dignum ſe dixit, cuius miſereſcerent potiùs, quam cui inuiderēt: quià ex quo Cardinalis fuerat, quæ in præſentiâ corpori, aut animo ſuauia ſunt, ea diffluere à ſe ſtatim omnia ſenſerat. Corporis iacturæ adſcribebat, quòd non poſſet interdùm exhilarari inter fratres, & dulciſſimos ſocios, & cùm eis, poſt diutinos labores ſtudiorum, permiſsâ in loco, imò exactâ mutui ſermonis veniâ, aliquo tempore anni vſurpare ruris, otijq́ue amœnitatem: vt hinc intelligeretur, quid ex ſuâ copiâ ipſe non caperet commodi; quid caperent illi ex ſua inopiâ; quam tranquilliſſimè olim, nec eodem animo, atque Purpuram, tulerat. Ad iacturam animę pertinere dicebat, quòd in eâ amplitudine nihil comperiſſet, niſi quæ ſpiritum affligerent, & cognoſceret nihil eſſe præſtantius, atque optabilius, quàm conſcientias hominum depoſitas curare, atque in ſalutem animarum opitulari Deo pro hâc re poſcenti opem, non indigenti. In quo ipſo munere tametſi Capuæ, triennio Archipræſul, deſudauerat; nihilominùs, quâ erat modeſtiâ, æſtimabat noſtræ Societatis homines longè ab hac parte feliciores vel ideò, quià non vni tantùm loco anguſtam operam eloca-

elocarent,ſed immigrarent ſæpè in regiones varias, vt ſaluti plurimorũ inſiſterent. Sed cùm humilitatis ſint hæ poſtremæ voces, ſiquidem Capuæ, & vbique magna moliri viſus eſt; primæ ſunt proculdubiò voces veritatis: nempè ipſum,ex quo Purpuram induerat,reuocatum è medio ſpatio tranquillitatis, omne eius religioſi laxamenti commodum, quod mentem à ſtudio hebetem releuat, amiſiſſe. Teſtantur familiares eius quam parcè, & quam cautè commoditates admitteret, tantùm ijs non excluſis, quas neceſſitas exegiſſet. Cæterùm enim hoc habuit proprium, vt adderet rigoris aliquid ſemper ad vſitatas Religioſæ vitæ aſperitates.

Non ſemel valetudine,quâ fuerat tentatus,excuſsâ, relictus eſt ità viribus attenuatis, vt moueri, atque ingredi ægrè ſufficeret. Tùm hi, quibuſcùm ei interior vita,rogare impensè, ferri ſellâ geſtatoriâ ſe in itu, & reditu permitteret,cùm pedem è conclaui, vel domo efferret: ſed nunquàm impetrarunt; tametſi è Purpuratis aliqui hoc ſeu ægritudine,ſeu ſenio præpediti nimio, paſſim agant. Ægreſcebat fortè id temporis, cum Pavlvs v. Pontifex auctâ B. Aloyſij Gonzagæ veneratione, conceſſit rem Diuinam ad Aras nominatim fieri cum eius imploratione; idque tantùm in Ædibus Societatis. Aderat octo dierum vltima celebritas; cùm ipſe ab antiquâ pietate ergà Iuuené ſanctiſſimum,Medicos rogauit, poteſtatem facerent ituro

ro quampropè ad Collegij Templum. Sed cum illi annuerent, modò ab aurâ defenſus, & in geſtatoriâ ſellâ iret; potiùs habuit, voto ſuo fraudari, & ſolatio tàm pio, ac domi peragere eius diei commune Sacrum; quàm vel vti commoditate non vſitatâ, vel à Medicis imperata negligere.

In Tuſculani propinqua rura, ſicut & Tibur ad Collegiũ Societatis eum Patres inuitarunt ſæpè; cùm ſit neceſſarium, vt dixi, interdùm per honeſti ſpatia laxare animum à ſtudijs, negotijſque fatigatum: labor enim, voluptaſque diſſimillima naturâ nihilominùs ſocietate quadam naturali inter ſe iuncti ſunt. Sed initio Purpuræ bis aut ter tantùm ad paucos dies paſſus eſt, induci ſe ad eam rationẽ iuſtiſſimi ſeceſsûs. Deinceps, quoties rogaretur, abnuere, & cauſam adferre, S. Carolo hunc morem non fuiſſe. Viginti annis in Purpurâ vix affirmari poteſt vtendas habuiſſe veſtes alias, præter illas, quas à Clemente viii. Pontifice primas acceperat. Indumenta detrita, laceraque reſarciri perpetuò iubebat, & ad manicas dumtaxat mutari, ſi hæ quidèm vſui deficientes, aut non ità perfecti luminis forent. Rubram ſubuculam veterem, & æuo ſemeſam nunquàm permiſit ſibi à famulis detrahi, vt induerent nouâ; eaque, cùm obijt, inuenta eſt, inſtar centonis, aſſutis è vili panno fruſtulis minimùm octo; adeò triũphauit, ſuâ paupertate ſe, tametſi Purpuratum, inuolui. Tibialia non erant operis, aut pretij, ſed ex panno, vel

ex pelle, & quidem non ſuppoſitis lineis, manſitque ità ſemiamictus, etiàm cùm tibiæ nonnunquàm vlceroſę ingredientem penè deſtituebant: quoniàm in Societate ad id conſueuiſſet.

Inter induendum diù recuſauit cubiculi Adminiſtro vti; & is affirmauit, nec digito pedis nudum viſum à ſe Cardinalem Bellarminum vnquàm, niſi cùm poſtremis annis pedes tantùm præbuit excalceandos, & tibias exuendas; cætera ſufficiens, quandò cubitum ibat, & ſe deindè totum induens, manè cùm ſurgeret. Hyeme aduersùs inclementiam Cœli vix muniebatur; & cum à frigore ſuprà modum excruciaretur, intumeſcerentque manus acri gelu; villosâ manicâ ferè nunquàm vſus, tantùm chirothecas induebat; non vt arceret frigus, ſed vt tegeret potiùs informem ægritudinem. Hybernis menſibus; etſi lecto exiliebat multò ante primam lucem, apparabatque ipſemet ſibi lumen, donec eſſet diei certa lux; haud proptereà in conclaui ſuo foculum ardere permiſit, priuſquàm tempus audientiæ appeteret, idque ſolummodò in gratiam adeuntium. Imò cùm P. Claudius Aquauiua ſuaſiſſet, nè ignem horis illis frigidiſſimis recuſaret; reſpondit, legiſſe ſe in vitâ Pii V. Sanctiſſimi Pontificis, non id ab eo factum eſſe: & idcircò malle eius imitationem ſequi. Idem teſtatus eſt Cardinalis Creſcentius
» in hæc verba. Vir erat aduerſum ſe ſeueritatis tantæ; vt
» ſibi nè quidem in vltimo ſenio vel minimùm indul-

FF geret.

„geret. Et cùm ab ipſo peterem, vt duriſſimâ hyeme a-
„liquid neceſſitati daret; permitteretque dùm ſurgeret,
„ante Auroram focum in cubiculo inſtrui, reſpondit;
„ſi hoc fiat, quando nam exercebit nos virtus Patien-
„tiæ? Dein externi cùm aberant, viſus eſt è foculo ſuis ipſe manibus ſemiuſtulatos torres reprehendere, & cuſtodire in ſequentem flammam; tùm vt poſſet incommodi aliquid pati, dùm ità in Conclaui calor minueretur: tùm vt non egerent inde pauperes. Quòd ſi Aulici hoc aduerterent, ad velandos fines virtutis in eâ parſimoniâ tùm addebat; an non contrà leges eſt hominis deparci, ligna ità prodigere? Menſa fuit hominis ità temperantis & frugi, vt qui ad initia Purpuræ vltrà argenteos tres, in diem quemque, pro ſe impendi vetuerat, poſtmodùm duos, ne plus, iuſſerit inſumi. Verùm domeſtico Obſonatori viſum id immodicè parùm, & ideò non ſeruandum. Cardinalis tamen, quia de imminutâ ſibi annonâ perſuaſionem habuit, merito non caruit apud Deum, qui adſolet etiam deſideria munerari; ſolemnibus prandijs, & cœnis hæc apponebantur; vulgaris caro ter in hebdomadâ, patina pulmentarij, & pomum. Ad diem lunæ ouis tantum veſcebatur; ad Mercurij, Veneris, & Saturni, & per Aduentum totum, ità ieiunabat, ſicut lege fit in Cineralibus, & diebus profeſtis Sanctorum. Coëgit tamen is, qui ei à confeſſionibus, vt poſtremis annis ſibi diem ſaltem vnum reſtitueret. In eâ ipſa trium dierum inediâ,

diâ, quā in hebdomadâ quâuis cuſtodiebat ſpōtè, menſæ nunquàm accumbebat antè meridiē, & ſi quandò à publicis negotijs domum ſeriùs reuertiſſet, prandium differebat, vt familia prior curaretur: & poſtquam ea digreſſa per otiū è triclinio, tùm demùm ipſe incipiebat; adeò familiare habuit, quibus ex Purpurâ dominabatur, ijs ex modeſtiâ, & demiſſione famulari. Hūc abſtinentiæ modum tenuit quoque in ſtatu aridæ ſenectutis, & quamuis defectu cibi noctes vigiles ſæpè indigens ſomni traduceret, in veſperâ ſumebat ſolummodo fruſtulum cibarij panis vino perfuſi, poſtquod biberet ſemel. Ceteris cœnis, & prandijs, quando ſe plurimùm inuitabat, tertium hauſtum non exceſſit. Nulli ferculo, cum rectè parabatur, arriſit, vel monuit contrà, quid facto opus eſſet, ſi inconditum videretur, aut lautum parùm: quippè cum cibo non delectare palatum cuperet, ſed ſuſtinere naturā. Temerè interdiù nec bibit vnquā, nec ſumpſit potionis loco quamlibet ob cauſam frigida poma, vel è ſaccaro cōdita bellaria. Renuit quoq; in ęſtiuis caloribus ora perluere gelidâ, quā egereret ſtatim, & reijceret. In quâ laude, mirâ conſtantiâ, ſex quoq; menſes poſtremos perſtitit, quibus valetudine permoleſtâ, ità vt ſiti propè inareſceret, tentatus eſt. Erant intereà ſolatium cogitata Martyrum exempla, qui propter vim diffuſi ſanguinis, ſimillimi fuerant Chriſto Domino in Cruce ſitienti. Denique conuiuialia oblectamenta non alia addita epulis, quam præ-

prælectio libelli alicuius pij, qui animæ voluptatem adferret, dùm corpus ſeruiret neceſſitati.

Attamen hoc genus vitæ vſque adeò temperans, quod etiàm duris iudicibus videri potuiſſet admirandum, ipſi Bellarmino haud viſum eſt explere menſuram votorum; quòd cuperet adhuc magis imitari Sanctos illos, qui vt vim retractantē corporis perfectè reprimerent, carnē ſuam afflictationibus aſperrimis crucifixerunt. Cœpit aliquandò ſolis innutrire ſe herbis, & leguminibus, ſed ei repentè noxij inſalubrium ciborum ſucci in venas diffuſi morbum crearunt; quarè Medici iuſſere, vt parſimoniæ priori ſe redderet, cùm interim ipſe altè ſuſpiria traheret, & ad id pręſtandum vires maiores, ætatem verò minorem peroptaret. Hāc itaque viuendi rationem, procùl à delitijs, quibus ad ferendos labores remolleſcere animi ſolent, quia expertus in Societate, tùm ad ſtudia idoneam, tùm ad ſpiritûs vigorem, & ad corporis quoq; incolumitatem aptam; coluit deinceps perpetuò: & cùm foret genus quoddam neceſſitatis haud ſanè expers occultæ pœnæ; pœna erat ei magis grata, quià ceteris minùs nota. Nec enim ignoramus, eius ſtudia fuiſſe ſemper, quas obiret frequentes corporis afflictationes, verbera, & ciliciorum aſperitates, eas hominum oculis cœlare, quò eſſent ſpectaculo dumtaxat Superis, ac Deo. Præter hunc modum frænos inijciendi proprijs cupiditatibus, quò faciliùs eas regeret, vt in palęſtrâ perfectionis

nis didicerat; oſtendit etiàm, veluti iam artis Magiſter, quàm non victo eſſet animo, dùm planè potens ſui conſuefecit inferioris hominis poteſtates, vt voluntati ſubiectæ penitùs parerent. Huius indicia fuere, nihil auerſari eorum, quæ inſuauia euenirent, etiamſi forent eiuſmodi, quæ ſtatim eijcere homines naturæ abnuentis quodam impetu, & genio, vel indignato, vel nauſeabundo ſolent. Quarè non domi, non vbiuis locorum, ſi res è ſententiâ minùs fluerent, in querimonias ſolui, non inclamare famulos. Pedes fortè ei obcalluerant, & licet in dies moleſtia excreſceret, non ideò ſibi vitiatam cutim, & cum eâ dolorem ferro abſcindi permiſit: cùm diceret acerbiora eos pati, quos purgatorius ignis, & gehennæ cruciamenta, vel probant, vel puniunt. Caloris perindè patiens, atq; de frigore narrauimus, ſæpè viſus eſt in cubiculo, vbi Sol æſtiuus agebat perpetuum diem, ad meridiem ſudore fluens, æſtuq; ferè oblangueſcens cõponere, & ſcribere per horas plures; in quo tamen cubiculo familiarium eius corpora, ſi hæſiſſent paululùm, intolerantia æſtûs, ſudore perfundebantur. Culices modicellas auiculas; ſicut & alia parua naturæ incommoda, veluti à Deo traditas ad exercitium patiendi, vultu adeò miti perferebat, vt neque ipſe oppoſitâ manu, neque exciente ventulum aliquo eas conaretur abigere. Aliquandò Clementi Merlino Romanæ Rotæ Auditori, dùm ſermones familiares, vti fit, poſt deciſa ne-

[illegible], qui eſt Diuæ [illegible] à beſtiolis quibuſdam [illegible] fuiſſe vexatum, [illegible] ad Chriſti Domini præ[illegible] dixerit, Domine ſi [illegible], quod certè parū eſt, mihi tantum [illegible] moleſtiæ, ecquę tam erunt ſupplicia damnatorum, ſi apud gehennam impios manent tormenta [illegible], ne precor me in illa proijcias, etenim [illegible] ero [illegible] ijs ſuſtinendis. Cardinalis [illegible] adiit Bellarminum ità patientiæ ſe [illegible], vt *muſcas à vultu ne depelleret* quidem, tametſi odioſæ nimiùm eſſent, ſicuti Romæ in æſtu ſolet, cùmq; hoc mirarentur hi, qui aderāt; cum ipſe [illegible], haud æquum eſſe, aiebat, perturbare animantes illas, quibus non vtiq; ſupererat Paradiſus alius, quam volitandi ea libertas, ac poteſtas vbi malint commorandi.

Capita hæc rerum in vnum cōgeſta, ſicut indicant ſatis, cum ità comparatum fuiſſe, vt quę contingerent, omnia, acciperet perindè, atque ſi à Deo prouenirent [...] quo poſſet vſurpare illud; *obmutui*, *& non a*[...] *meum, quia tu feciſti*. ità prudentibus rer[...] tibus materiem ſuppeditarunt, vt eu[...] excedere viſitatæ virtutis, & Bel[...] miraculum quoddam peren[...] Societatis gloriam pluri[...]

nalis Bellarminus, à multis appellabatur *Ieſuita* tantū in Purpurâ varians; videlicet quia veſtem diſſimilem, cetera Societatis retineret. Aula item vniuerſa, nata Virorum Illuſtrium factis æſtimandis, ſicut & vulgi perſuaſio, longè duxit admirabiliorem hanc innocentiæ ſemel initæ, & nunquàm declinatæ laudem, quàm aliud oſtentum virtutis magis lucidum, & excellens; & iudicium hoc ſatis egregiè in eius vltimâ ægritudine, ac funere manifeſtauit.

Quâ ratione diſpoſuerit domum, & familiam ordinarit.

CAPVT IV.

STATIM atque Bellarminus in Purpurâ fuit, adlecto in Oeconomum Petro Guidotto, quem ab integritate, atque prudentiâ ſatis norat, iniunxit ei, vt conſultor na[illegible]duſtrius eorum [illegible]nium eſſet, quæ neceſſar[illegible]forent. Illud[illegible] hoc initio, & ſemp[illegible]morauit, [illegible]ominum eſſe cen[illegible]tributor[illegible]n, atque huius [illegible]onſcie[illegible] omnem in ip[illegible]oſcer[illegible]tioniſque mo[illegible]n, n[illegible]te; pro familiâ [illegible]e ità diſponi, [illegible] Paruit Oecono[illegible]nt deſiderio do[illegible]n eſt, quam ſibi Car-

Cardinales aliqui parſimoniæ maioris, & clarioris documenti Romæ præſcripſerant. Poſteà rem omnem inſtitit ad trutinam æqui librare primùm Cardinalis Bellarminus meditatione ſuâ: & de eâ etiam dein opiniones colligere à Patribus Societatis inſpectæ, ac laudatæ prudentiæ: qui officij causâ ipſum adibant; quo deprehenderet an aliquid paupertati religioſæ parùm cõgrueret. Sed nec viſa ſufficiens eſt inquiſitio ea tàm diligens; proindè cuncta, quæ domi vtenda, retulit in ſyngrapham, & ad P. Claudium Aquauiuam Generalem Præpoſitum tranſmiſit, poſtulans ab eo modum argento, ſupellectili, familiæ; vt eſſet, non tàm pro gloriâ Purpuræ, quàm pro inopię voto, quo ſe obſtrinxerat in Societate.

Ille ſingula æſtimauit, laudauit omnia; tantùm interpretatus eſt rem documenti maioris, ſi ſellas cubiculi ex holoſerico villoſo inſtrui non permiſiſſet. Cardinalis vix hæc audijt, cum imperauit, vt quatuor, quę ſolummodò erant eius ornatûs, diuenderentur ſtatim, ſedeſque aliæ cultu ſimplices, & pretij ferè vulgaris pararentur.

Exemplum ſimilis notæ, quam tradidit mihi exceptam è Cardinalis ſcripto is, qui ei à confeſſionibus, quia continet, quo pacto aleret ſe, & cum familiâ quantâ; conſultò, vti modeſtiæ parſimoniæque ipſius indicium magnum, hoc loco referam. Ità verò incipit.

Ad victum, veſtitum, ſacrificium, & quę ſunt huius

generis,

generis, ferè nihil eſt additum. In familiâ numerantur capita circiter ad triginta quinque; octo ſufficerent, vel decem: ſed quæritur, an citrà decorum Purpuræ, poſſit comitatus imminui. Ex his deni ſunt honeſtæ conditionis; quindeni infimæ ſortis; ceteri honeſtioribus famulantur.

Tres Rhedæ ſunt; nam equorum ſæpè aliquis æger eſt, & equi coniuges, planeq́ue ſuppares ægrè, ac vix longo tempore inueniuntur. Rhedæ verò minimũ duæ, vt adiri poſſit ad publica munia, requiruntur.

Supellex tota tenuis, & priuatæ elegantiæ. Nihil ex argento pręter candelabra, guttum, polubrum, coclearíola, & fuſcinulas. Cibi vaſis fictilibus miniſtrantur; ſellæ intectæ omnes corio. Æſtate pellibus pictis cubicula tria; hyeme tantùm duo belluatis periſtromatis, ſed vilibus veſtiuntur.

Annui redditus diuiduntur, vt familiam alant; vt ſalaria diſpenſentur; eos, qui à pedibus, veſtiant; ſoluant pro conductâ domo. Ex his quæ ſuperant, datur Conſanguineis aliquid, vt minùs egeant: reliqua, vel cedunt pauperibus nutriendis, iuuandiſq́ue, vel Eccleſiæ ornandæ; in ærarij cumulum ne aſſis quidem vnus aggeritur. Ex hac ſubductâ familiæ, expenſarumq́ue, & vtenſilium notâ rei, ſuæ Miniſter ſatis natus, & prouidens, rationibus tàm accuratè in codicem relatis videri poteſt. Ideò, quia cogitabat ſecum aſſiduè, nùm re aliqua poſſet carere, quadam die veſtẽ vnius

cubiculi è purpureo panno parietibus detraxit, miſitque ad Domum Profeſſorum noſtræ Societatis, nè deeſſet Patribus, quo in hyeme tegerentur: iuſſitque, vt ex eo Noſtris, ne algeant, ſubuculę thoraces aſſuerētur, quòd diceret; ſpoliati parietes ſenſum haud quaquam habent, vt frigeant, quemadmodum frigent hi, qui Deo famulantur. Imò vt ad occaſiones varias aſſeruit, detrahere voluiſſet è cubiculis veſtem omnem, vt nudis parietibus habitaret, ſi Cardinales aliqui antiquiores, & primæ auctoritatis hoc agerent: nam id ipſe veritus inchoare, nè res ea ſermones pareret, ſicut omnis nouitas ſolet, & nè ſe, vti hominem nimiâ, & fortaſsè ſuſpectâ ſeueritate aduersùs luxum inceſſerēt. Saltèm cubiculum, in quo ipſe habitabat vltimis ædibus, quia veſte nullâ parietibus conueſtiretur, ſuum appellabat, & cetera, vel hoſpitibus aiebat inſeruire, vel Purpuræ. Accidit, vt prouentus, quos è *Prioratu* habebat S. Andreæ in regione cis Alpes, poſtremis annis haud ſanè parùm imminuerentur. Quarè cùm nequiret eos ſumptus, quos anteà; quippè qui ſe iàm excederent; aliqui conſilium dedere, vt eleemoſinis faceret modum. Verùm ipſe nè vel obolo fraudaret pauperes, potiùs Rhedam vnam, vnum cubiculi adminiſtrū, vnum à pedibus, vnum à Sacris ex familiæ albo eraſit. Atque itā non deſeruit antiquam artem benefaciendi.

Domum regebat Parentis more, nunquàm vehemens in alterutram partem, aut largitatis nimiæ, aut

nimiæ

nimiæ parſimoniæ; ſalaria multò ante diem præcipiebantur ab omnibus; famuli à pedibus, in annos ſingulos, bis panno ſimili veſtiti, antiquis veſtibus donabantur. Aduersâ valetudine ſi qui corriperentur, aderat eis Medicus idem, à quo Cardinalis ipſemet curari conſueuerat; & eius expenſis quoque è Tabernâ medicamentariâ vnicuique pharmaca miſcebantur; cùm eoſdem interim ipſe commiſeratione, & caritate ſummâ inuiſeret frequenter. Donaria etiam, quæ mitterentur ex his, quę ad rem cibariam, participabat ſingulis. Exigebat ætatis meritum in his, quos in familiam aggregaret, præter mores, & virtutem annis parem. Quod cauſæ fuit, vt adnumerare inter Aſſeclas ſuos, præter alios plures, noluerit iuuenem nobili genere, quem nouerat in expeditione Ferrarienſi: vt pote cùm is ab ætate laudem non haberet. Vitia, quæ in Aulicis ſuis conſtanter abominatus eſt ſemper, præcipua fuerunt; quæ alijs palàm ſunt offendiculo; nempè in Deum, & Cœlites impiæ voces; labeculæ vel minimę contrà caſtitatem; vetitaq; alearum genera. Quæ quidem omnia exoſus eſt adeò, vt qui ſe eis propolluebant, ſcire certo poſſent, ſe ex familiâ excidiſſe. Ad hęc adiri ſe mendacijs nō patiebatur; & cauebant omnes à fallentibus etiam verborum ambagibus, quas ille conquerere, vti alienas ab ingenio ſuo, nequibat; & ab hac parte ſeuerus, erat cetera lenis, ac facilis. Modū veſtibus haud præſcripſit; ſed tantùm indicauit ſibi gra-

 tius

tius fore, ſi byſſo non induerentur. Vt autem eos magis haberet rectos, has leges propoſuit ab omnibus cuſtodiendas.

Interſint omnes Sacro quotidiè, ac Dei, Sanctorumque implorationi: etiàm quotidiè bis nixi genibus orent; manè ſemel cùm euigilant; iterùm in veſperâ, cubitum antequàm eant: interdiù Roſarium recitent, aut ſimiles preces.

Animum exomologeſi ſingulis menſibus ſemel minimùm expient: ſacram ſynaxim ſaltem ſumant feſtis diebus Chriſti Domini Reſurgentis, Pentecoſtes, Virginis Annunciatæ, Commemorationis Omnium Sanctorum, Natalis Domini, & Purificationis B. Virginis.

Doctrinam chriſtianam compendio explicatam, ſi qui non didicere, tradant memoriꝗ. Aduersùs Deũ & Sanctos atrocia dicta deteſtentur; nec ſe periurijs polluant. Omnibus ignorent modis, tàm dicere, quod turpe dictu; quàm, quod factu inhoneſtum eſt, facere; Chartis luſorijs, aut talis ne ludant; aut, quæ ſunt aleatorum irritamenta, in cubiculo habeant.

Probro neminem afficiant, aut iniurijs inceſſant, vel ſimultates diù inter ſe retineant. Amara ſi quæ fuerint clàm in alterum coniecta, ne eidem narrent, nec proſeminent ea: cum ſuſurri ex eis, & incommodꝗ ſuſpiciones excitentur, ac diſiungantur animi.

In has leges, quas trahebat prudens legiſlator ab

exemplis

exemplis ſuis, mirum erat, quàm induceret familiam ſuauiter. Quotidiè tùm rem Diuinam ipſe faciebat, cui poterant intereſſe omnes; tùm Litanijs ſupplicabundus interueniebat. Indolebat verò, ſi deſiderari quempiam aduerteret, & clarè conteſtabatur, ſupplicationem illam à ſe publicè propter ipſos inſtitutam; quippe cùm, vt vni ſibi Deum propitium redderet, Cæleſtes eoſdem ſoleret in conclaui ſuo priuatim deprecari. Has eaſdem preces, vt eorum obſequeretur commodo, Æſtate quidem horâ poſt meridiem circiter ſecundâ; Hyeme verò primis tenebris recitari voluerat. Vt infimæ conditionis famuli Symbolum, & documenta Fidei libentiùs audirent, munus hoc ipſe per ſe multis annis, quauis hebdomade, obiuit. Hortabatur omnes frequenter, qui domi erant, explanans eis vim virtutum, prauitatemq́ue vitiorum, idq́ue potiſſimùm diebus Solis in Aduentu Domini, & in alijs celebritatibus: ſicut & quatriduò, quàm ad Euchariſtiam accederent. Atque hanc ſuâ manu ſemper eis miniſtrauit, nec voluit frequentiùs eſſe communis obligationis; quòd metueret, nè quis fortè pietatem fingeret; & quòd ſciret, Aula & Religio quantùm differrent. Sic publicè inſtituebat omnes, tùm demùm ſe corũ Dominum exiſtimaturus, cùm eos Cæleſti Domino parere intelligeret. Sed & prætereà ſi cognoſceret priuatim aliquid, in quo mores labarent, emendationi incumbens, non quidem ad reprehenſionem

prælectio libelli alicuius pij, qui animæ voluptatem adferret, dùm corpus ſeruiret neceſſitati.

Attamen hoc genus vitæ vſque adeò temperans, quod etiàm duris iudicibus videri potuiſſet admirandum, ipſi Bellarmino haud viſum eſt explere menſuram votorum; quòd cuperet adhuc magis imitari Sanctos illos, qui vt vim retractantē corporis perfectè reprimerent, carnē ſuam afflictationibus aſperrimis crucifixerunt. Cœpit aliquandò ſolis innutrire ſe herbis, & leguminibus, ſed ei repentè noxij inſalubrium ciborum ſucci in venas diffuſi morbum crearunt; quarè Medici iuſſere, vt parſimoniæ priori ſe redderet, cùm interim ipſe altè ſuſpiria traheret, & ad id prȩſtandum vires maiores, ætatem verò minorem peroptaret. Hāc itaque viuendi rationem, procùl à delitijs, quibus ad ferendos labores remolleſcere animi ſolent, quia expertus in Societate, tùm ad ſtudia idoneam, tùm ad ſpiritûs vigorem, & ad corporis quoq; incolumitatem aptam; coluit deinceps perpetuò: & cùm foret genus quoddam neceſſitatis haud ſanè expers occultæ pœnæ; pœnà erat ei magis grata, quià ceteris minùs nota. Nec enim ignoramus, eius ſtudia fuiſſe ſemper, quas obiret frequentes corporis afflictationes, verbera, & ciliciorum aſperitates, eas hominum oculis cœlare, quò eſſent ſpectaculo dumtaxat Superis, ac Deo. Præter hunc modum frænos inijciendi proprijs cupiditatibus, quò faciliùs eas regeret, vt in palȩſtrâ perfectionis

nis didicerat; oſtendit etiàm, veluti iam artis Magiſter, quàm non victo eſſet animo, dùm planè potens ſui conſuefecit inferioris hominis poteſtates, vt voluntati ſubiectæ penitùs parerent. Huius indicia fuere, nihil auerſari eorum, quæ inſuauia euenirent, etiamſi forent eiuſmodi, quæ ſtatim eijcere homines naturæ abnuentis quodam impetu, & genio, vel indignato, vel nauſeabundo ſolent. Quarè non domi, non vbiuis locorum, ſi res è ſententiâ minùs fluerent, in querimonias ſolui, non inclamare famulos. Pedes fortè ei obcalluerant, & licet in dies moleſtia excreſceret, non ideò ſibi vitiatam cutim, & cum eâ dolorem ferro abſcindi permiſit: cùm diceret acerbiora eos pati, quos purgatorius ignis, & gehennæ cruciamenta, vel probant, vel puniunt. Caloris perindè patiens, atq; de frigore narrauimus, ſæpè viſus eſt in cubiculo, vbi Sol æſtiuus agebat perpetuum diem, ad meridiem ſudore fluens, æſtuq; ferè oblangueſcens cōponere, & ſcribere per horas plures; in quo tamen cubiculo familiarium eius corpora, ſi hæſiſſent paululùm, intolerantia æſtûs, ſudore perfundebantur. Culices modicellas auiculas; ſicut & alia parua naturæ incommoda, veluti à Deo traditas ad exercitium patiendi, vultu adeò miti perferebat, vt neque ipſe oppoſitâ manu, neque exciente ventulum aliquo eas conaretur abigere. Aliquandò Clementi Merlino Romanæ Rotæ Auditori, dùm ſermones familiares, vti fit, poſt deciſa ne-

gotia, ſererent; retulit, ſe nocte eius diei, qui eſt Diuæ Catharinæ Virgini ſacer, adeò ad renes à beſtiolis quibuſdam nequam, & damnificis morſu fuiſſe vexatum, vt magno ſenſu conuerſus ad Chriſti Domini præ-
» pendentis è Cruce ſimulacrum dixerit; Domine ſi
» hoc quicquid eſt damni, quod certè parũ eſt, mihi tan-
» tùm adfert moleſtiæ, ecquęnam erunt ſupplicia dam-
» natorum? ſi apud gehennam impios manent tormen-
» ta tam ærumnoſa, ne precor me in illa proijcias, ete-
» nim impar ero nimiùm ijs ſuſtinendis. Cardinalis Creſcentius etiam addit Bellarminum ità patientiæ ſe veluti victimam deſtinaſſe, vt muſcas à vultu ne depelleret quidem; tametſi odioſæ nimiùm eſſent, ſicuti Romę in ęſtu ſolẽt: cũq; hoc mirarentur hi, qui aderãt; tùm ipſe ſuauiter, haud æquum eſſe, aiebat, perturbare animantes illas, quibus non vtiq; ſupererat Paradiſus alius, quam volitandi ea libertas, ac poteſtas vbi malunt commorandi.

Capita hæc rerum in vnum cõgeſta, ſicut indicant ſatis, eum ità comparatum fuiſſe, vt quę contingerent, omnia, acciperet perindè, atque ſi à Deo prouenirent, quo poſſet vſurpare illud; *obmutui, & non aperui os meum, quia tu feciſti*: ità prudentibus rerum æſtimatoribus materiem ſuppeditarunt, vt eum iudicarent fines excedere vſitatæ virtutis, & Bellarminum tamquàm miraculum quoddam perenne ſuſpicerent. Ea verò res Societatis gloriam plurimum auxit; ſi quidem Cardinalis

nalis Bellarminus, à multis appellabatur *Ieſuita* tantũ in Purpurâ varians; videlicet quia veſtem diſſimilem, cetera Societatis retineret. Aula item vniuerſa, nata Virorum Illuſtrium factis æſtimandis, ſicut & vulgi perſuaſio, longè duxit admirabiliorem hanc innocentiæ ſemel initæ, & nunquàm declinatæ laudem, quàm aliud oſtentum virtutis magis lucidum, & excellens; & iudicium hoc ſatis egregiè in eius vltimâ ægritudine, ac funere manifeſtauit.

Quâ ratione diſpoſuerit domum, & familiam ordinarit.

CAPVT IV.

STATIM atque Bellarminus in Purpurâ fuit, adlecto in Oeconomum Petro Guidotto, quem ab integritate, atque prudentiâ ſatis norat, iniunxit ei, vt conſultor nauus & induſtrius eorum omnium eſſet, quæ neceſſaria Domui forent. Illud verò, & hoc initio, & ſemper deinceps memorauit, ſe non Dominum eſſe censûs ſui, ſed eſſe diſtributorem tantùm, atque huius negotij religionem, conſcientiamque omnem in ipſum reijcere. Pro ſe poſcere cibi, potioniſque modum neceſſitate finitum, non voluptate; pro familiâ victum decentem: & pro eâ velle ità diſponi, vt nihil abundaret, nihil deeſſet. Paruit Oeconomus & coëmendis ijs, quæ ſufficerent deſiderio domûs, imitatus moderationem illam eſt, quam ſibi

Car-

Cardinales aliqui parſimoniæ maioris, & clarioris documenti Romæ præſcripſerant. Poſteà rem omnem inſtitit ad trutinam æqui librare primùm Cardinalis Bellarminus meditatione ſuâ: & de eâ etiam dein opiniones colligere à Patribus Societatis inſpectæ, ac laudatæ prudentiæ: qui officij causâ ipſum adibant; quo deprehenderet an aliquid paupertati religioſæ parùm cōgrueret. Sed nec viſa ſufficiens eſt inquiſitio ea tàm diligens; proindè cuncta, quæ domi vtenda, retulit in ſyngrapham, & ad P. Claudium Aquauiuam Generalem Præpoſitum tranſmiſit, poſtulans ab eo modum argento, ſupellectili, familiæ; vt eſſet, non tàm pro gloriâ Purpuræ, quàm pro inopię voto, quo ſe obſtrinxerat in Societate.

Ille ſingula æſtimauit, laudauit omnia; tantùm interpretatus eſt rem documenti maioris, ſi ſellas cubiculi ex holoſerico villoſo inſtrui non permiſiſſet. Cardinalis vix hæc audijt, cum imperauit, vt quatuor, quę ſolummodò erant eius ornatûs, diuenderentur ſtatim, ſedeſque aliæ cultu ſimplices, & pretij ferè vulgaris pararentur.

Exemplum ſimilis notæ, quam tradidit mihi exceptam è Cardinalis ſcripto is, qui ei à confeſſionibus; quia continet, quo pacto aleret ſe, & cum familiâ quantâ; conſultò, vti modeſtiæ parſimoniæque ipſius indicium magnum, hoc loco referam. Ità verò incipit.

Ad victum, veſtitum, ſacrificium, & quę ſunt huius generis,

generis, ferè nihil eſt additum. In familiâ numerantur capita circiter ad triginta quinque; octo ſufficerent, vel decem: ſed quæritur, an citrà decorum Purpuræ, poſſit comitatus imminui. Ex his deni ſunt honeſtæ conditionis; quindeni infimæ ſortis; ceteri honeſtioribus famulantur.

Tres Rhedæ ſunt; nam equorum ſæpè aliquis æger eſt, & equi coniuges, planeque ſuppares ægrè, ac vix longo tempore inueniuntur. Rhedæ verò minimũ duæ, vt adiri poſſit ad publica munia, requiruntur.

Supellex tota tenuis, & priuatæ elegantiæ. Nihil ex argento prçter candelabra, guttum, polubrum, coclearíola, & fuſcinulas. Cibi vaſis fictilibus miniſtrantur; ſellæ intectæ omnes corio. Æſtate pellibus pictis cubicula tria; hyeme tantùm duo belluatis periſtromatis, ſed vilibus veſtiuntur.

Annui redditus diuiduntur, vt familiam alant; vt ſalaria diſpenſentur; eos, qui à pedibus, veſtiant; ſoluant pro conductâ domo. Ex his quæ ſuperant, datur Conſanguineis aliquid, vt minùs egeant: reliqua, vel cedunt pauperibus nutriendis, iuuandiſq́ue, vel Eccleſiæ ornandæ; in ærarij cumulum ne aſſis quidem vnus aggeritur. Ex hac ſubductâ familiæ, expenſarumq́ue, & vtenſilium notâ rei, ſuæ Miniſter ſatis nauus, & prouidens, rationibus tàm accuratè in codicem relatis videri poteſt. Ideò, quia cogitabat ſecum aſſiduè, nùm re aliqua poſſet carere, quadam die veſtẽ vnius

 cubiculi

cubiculi è purpureo panno parietibus detraxit, miſitque ad Domum Profeſſorum noſtræ Societatis, nè deeſſet Patribus, quo in hyeme tegerentur: iuſſitque, vt ex eo Noſtris, ne algeant, ſubuculę thoraces aſſuerētur, quòd diceret; ſpoliati parietes ſenſum haud quaquam habent, vt frigeant, quemadmodum frigent hi, qui Deo famulantur. Imò vt ad occaſiones varias aſſeruit, detrahere voluiſſet è cubiculis veſtem omnem, vt nudis parietibus habitaret, ſi Cardinales aliqui antiquiores, & primæ auctoritatis hoc agerent: nam id ipſe veritus inchoare, nè res ea ſermones pareret, ſicut omnis nouitas ſolet, & nè ſe, vti hominem nimiâ, & fortaſsè ſuſpectâ ſeueritate aduersùs luxum inceſſerēt. Saltèm cubiculum, in quo ipſe habitabat vltimis ædibus, quia veſte nullâ parietibus conueſtiretur, ſuum appellabat, & cetera, vel hoſpitibus aiebat inſeruire, vel Purpuræ. Accidit, vt prouentus, quos è *Prioratu* habebat S. Andreæ in regione cis Alpes, poſtremis annis haud ſanè parùm imminuerentur. Quarè cùm nequiret eos ſumptus, quos anteà; quippè qui ſe iàm excederent; aliqui conſilium dedere, vt eleemoſinis faceret modum. Verùm ipſe nè vel obolo fraudaret pauperes, potiùs Rhedam vnam, vnum cubiculi adminiſtrū, vnum à pedibus, vnum à Sacris ex familiæ albo eraſit. Atque ità non deſeruit antiquam artem benefaciendi.

Domum regebat Parentis more, nunquàm vehemens in alterutram partem, aut largitatis nimiæ, aut

nimiæ parſimoniæ; ſalaria multò ante diem præcipiebantur ab omnibus; famuli à pedibus, in annos ſingulos, bis panno ſimili veſtiti, antiquis veſtibus donabantur. Aduersâ valetudine ſi qui corriperentur, aderat eis Medicus idem, à quo Cardinalis ipſemet curari conſueuerat; & eius expenſis quoque è Tabernâ medicamentariâ vnicuique pharmaca miſcebantur; cùm eoſdem interim ipſe commiſeratione, & caritate ſummâ inuiſeret frequenter. Donaria etiam, quæ mitterentur ex his, quę ad rem cibariam, participabat ſingulis. Exigebat ætatis meritum in his, quos in familiam aggregaret, præter mores, & virtutem annis parem. Quod cauſæ fuit, vt adnumerare inter Aſſeclas ſuos, præter alios plures, noluerit iuuenem nobili genere, quem nouerat in expeditione Ferrarienſi: vt pote cùm is ab ætate laudem non haberet. Vitia, quæ in Aulicis ſuis conſtanter abominatus eſt ſemper, præcipua fuerunt; quæ alijs palàm ſunt offendiculo; nempè in Deum, & Cœlites impiæ voces; labeculæ vel minimę contrà caſtitatem; vetitaq; alearum genera. Quæ quidem omnia exoſus eſt adeò, vt qui ſe eis propolluebant, ſcire certo poſſent, ſe ex familiâ excidiſſe. Ad hęc adiri ſe mendacijs nō patiebatur; & cauebant omnes à fallentibus etiam verborum ambagibus, quas ille conqueoquerere, vti alienas ab ingenio ſuo, nequibat; & ab hac parte ſeuerus, erat cetera lenis, ac facilis. Modú veſtibus haud præſcripſit; ſed tantùm indicauit ſibi gra-

tius fore, ſi byſſo non induerentur. Vt autem eos magis haberet rectos, has leges propoſuit ab omnibus cuſtodiendas.

Interſint omnes Sacro quotidiè, ac Dei, Sanctorumque implorationi: etiàm quotidiè bis nixi genibus orent; manè ſemel cùm euigilant; iterùm in veſperâ, cubitum antequàm eant: interdiù Roſarium recitent, aut ſimiles preces.

Animum exomologeſi ſingulis menſibus ſemel minimùm expient: ſacram ſynaxim ſaltem ſumant feſtis diebus Chriſti Domini Reſurgentis, Pentecoſtes, Virginis Annunciatæ, Commemorationis Omnium Sanctorum, Natalis Domini, & Purificationis B. Virginis.

Doctrinam chriſtianam compendio explicatam, ſi qui non didicere, tradant memoriȩ. Aduersùs Deũ & Sanctos atrocia dicta deteſtentur; nec ſe periurijs polluant. Omnibus ignorent modis, tàm dicere, quod turpe dictu; quàm, quod factu inhoneſtum eſt, facere; Chartis luſorijs, aut talis ne ludant; aut, quæ ſunt aleatorum irritamenta, in cubiculo habeant.

Probro neminem afficiant, aut iniurijs inceſſant, vel ſimultates diù inter ſe retineant. Amara ſi quæ fuerint clàm in alterum coniecta, ne eidem narrent, nec proſeminent ea: cum ſuſurri ex eis, & incommodȩ ſuſpiciones excitentur, ac diſiungantur animi.

In has leges, quas trahebat prudens legiſlator ab exemplis

exemplis ſuis, mirum erat, quàm induceret familiam ſuauiter. Quotidiè tùm rem Diuinam ipſe faciebat, cui poterant intereſſe omnes; tùm Litanijs ſupplicabundus interueniebat. Indolebat verò, ſi deſiderari quempiam aduerteret, & clarè conteſtabatur, ſupplicationem illam à ſe publicè propter ipſos inſtitutam; quippe cùm, vt vni ſibi Deum propitium redderet, Cæleſtes eoſdem ſoleret in conclaui ſuo priuatim deprecari. Has eaſdem preces, vt eorum obſequeretur commodo, Æſtate quidem horâ poſt meridiem circiter ſecundâ; Hyeme verò primis tenebris recitari voluerat. Vt infimæ conditionis famuli Symbolum, & documenta Fidei libentiùs audirent, munus hoc ipſe per ſe multis annis, quauis hebdomade, obiuit. Hortabatur omnes frequenter, qui domi erant, explanans eis vim virtutum, prauitatemque vitiorum, idque potiſſimùm diebus Solis in Aduentu Domini, & in alijs celebritatibus: ſicut & quatriduò, quàm ad Euchariſtiam accederent. Atque hanc ſuâ manu ſemper eis miniſtrauit, nec voluit frequentiùs eſſe communis obligationis; quòd metueret, nè quis fortè pietatem fingeret; & quòd ſciret, Aula & Religio quantùm diſtent. Sic publicè inſtituebat omnes, tùm demùm ſe eorũ Dominum exiſtimaturus, cùm eos Cæleſti Domino parere intelligeret. Sed & prætereà ſi cognoſceret priuatim aliquid, in quo mores labarent, emendationi incumbens, non quidem ad reprehenſionem

ſtatim trahebatur; ſed temporis, ac loci captans opportunitatem, clàm ceteris, nè erubeſcerent, verbis quàm leniſſimis eos, qui peccauerant admonebat, nõ plura addens, quàm quæ rem exponerent; eaque ipſius lenitas valuit ad corrigendos ipſos plus, quàm alterius obiurgantis ſeueritas valuiſſet; præſertim cùm adderet, ſe perindè atque amicos eos velle commonitos. Ex hac modeſtiâ non modò illi vereçundabantur vehementiùs, quàm ex obiectu ipſo criminis admiſſi; ſed erudiebantur etiàm, vt certatim aduersùm ſe ipſos eſſent obſequioſi; quod Cardinalis cupere ſe omnibus modis indicauerat, & præcipuè ad occaſionem, quam narro. Eum adiuit vnus è famulis, qui Domini menſam apparant, & querimoniarum plenus doluit, datam ſibi mulctam, vt triclinio careret, & communi epulo, quaſi ergà Præfectum menſæ officij terminos exuiſſet. Cardinalis adiudicauit pœnæ, & hominem incuſans; ſi honeſtiores, inquit, Aulicos meos conſueui egomet reuereri; par non eſt, infimæ familiæ eos eſſe contemptui. Poſt, vbi culpam hâc leni obiurgatione perſtrinxit, pœnam laxauit. Queſtum verò tunc hominem reor, quia erat inuſitatum, ex eâ familiâ quemquam ità mulctari; ſiuè hoc defugeret ipſa Heri lenitas; ſiuè talia non ferret laus diſciplinæ in ijs famulis, qui cùm nihil contrà morem cuperent, nihil etiam per metum prohibebantur.

Eâ benignitate Cardinalis, & Aulæ viciſſim inſtitutione

tutione optimâ efficiebatur, vt rari dimitterentur, vel ſpontè immigrarent aliò; ſiquidem omnes cùm in familiam ſe aggregarent, certâ perſuaſione erant, viuendum in eâ perindè, ac ſi in Religioſo aliquo, & à prauis documentis alieno loco viuerent. Et meritò ità iudicabant, cùm viro deſeruirent, qui ſatis intelligeret, eſſe Domini in eo culpam, ſi domeſtici modum excedant. Imò ſi peccarent ij, fore ſuæ Aulæ mala ęquè grauia, non ęquè excuſata, propter ætatem, & Religionem, quam profitebatur. Ideò nullus ſeruorum erat in totâ domo, qui non penſi haberet, quid coràm tàm pio, & religioſo Domino aut diceret, aut faceret: dùm parte aliâ, quæ ſeruiendo quis interdùm peccaret indiligens, ipſe toleraret indulgentiâ ſummâ. Accidit anno ſeculari M. DC. vt ſolemni ritu Veſperarum in Templo S. Petri perſoluto, quadam die deberet ipſe ad Ædes in aliorum Purpuratorum comitatu deducere Pontificem. Toga requirebatur, quæ data per humerum ad talos, in ſyrma longum diſcedit (niſi cùm obtorta, & obuoluta in ſpiras brachio ſiniſteriore ſuſtollitur) & circà collum candicantibus villis decenter albicans, cetera rubens effunditur. Hanc famulus à pedibus, cùm interim obdormiſceret, poſt horę quartam partem, non priùs, ad eum tulit. Cardinalis eo ſpatio adæquè ſui potens, quaſi neſciret iraſci, vultum indicijs nullis varians, ſemel tantùm, toga vbi eſſet, interrogauit. Tùm Ioſephus Vignaneſius cubiculi Prę-

fectus,

ſectus, & eius conſanguineus, vt officij reliquos admoneret, atque in factum incogitans animaduerteret, ſtatim è familiâ hominem ſepoſuit. Ea tamen ſeueritas Cardinali parùm probata; idcircò lenitate indignationis locũ occupante, permiſit vt ille, quaſi meritus id non eſſet, poſt dies pauculos rediret; ratus eám aliquot dierum abſentiam ſatis eſſe, & ad cunctæ familiæ documentum, & ad alterius exiſtimationem tuendam, qui illum interdixerat ædibus ſuis. Verùm hæc eius patientia, in his quæ ſpectabant ad ordinaria obſequia famulatûs, Aulicos reddebat intereà aliquantulùm incurioſos; præſertim cùm non ità eſſet facilè, ſtatis momentis, & quidem aliquandò circà Auroram, adeſſe: tam ille inueniebatur paratus ad ea, quæ deliberaſſet pridiè, cum diſponeret diem. Non proindè, quoties ità eſſet neceſſe opperiri famulos, ac temporis iacturam pati, in querimonias, vel in iram laxabatur. Ex quò illi accedebant ſecuri, fore vt non ægri quicquam audirent. Aliquandò cùm Cardinalium conſeſſum neſcio quem dimitti celeriùs contigiſſet, aſſeclas ſuos expectauit diù, & poſtmodùm cum aduenerunt, neq; de abſentiæ causâ, neque de morâ poſtulauit. Quam eius patientiam, atque ſilentium, nemo in familiâ erat tàm animi hebes, qui lentæ naturæ tribueret, & non adſcriberet potiùs virtuti. Quia vnuſquiſque nouerat, eum ab ingenio præferuidum eſſe. Sæpè enim, cùm Dei, vel Eccleſiæ cauſas perurgeret, ſtudio magno accendi,

cendi, micare oculis, toto vultu ardeſcere videbatur; tametſi facillimè colligeret ſe, & iuſtiſſimam iram ſineret langueſcere ſenſim, ac redire lenitatem.

Contrà non impediti ſermonis, ſed planè diſertus, & eloquens erat; quandò eorum in ſe bene collocari officia animaduertebat: nam ea libenter commemorabat, & gratias rependebat etiam, oblitus fere ſe Dominum eſſe. Si quid aliquibus ſubindè oneroſius iuberet, eos pro inopiâ ſuâ munerabatur, ſaltem vt gratum animum exprimeret, ſi minus vt ſignificatione vteretur ad meritum pari. Affirmant generatim omnes, neminem cuiuſuis conditionis ab eo eſſe pro imperio appellatum; rogabat, aut indicabat, fore ſibi gratum, ſi hoc nimirùm, ſi illud agerent: & cùm aliquò mitteret quemquam alienis horis, ſiue imbres eſſent, ſiue æſtus nimij, pro eo ſtatim Rheda parabatur. Sacerdotibus ſi qui Templo alicui operam deberent, poteſtatem faciebat, ſuo etiam cum incommodo, ne muneri pio deeſſent. Vt ei, qui ab epiſtolis, onus litterarú minueret, ipſe magnam partem earum ſcribere, & tantùm obſignandas tradere. Latinas ferè omnes concipiebat: ex quibus relinquebat ei exſcribendas tantùm eas, quæ pingi melius debuiſſent; quoniam ad Principes deſtinarentur. Demùm aliunde ſe Dominum inter eos eſſe non probabat, quam ab excellentiæ notâ, & pręſtantiâ virtutis, quę in ipſo eminebat. In his, quæ ſunt reliqui, ſemper promptus exequendis ijs, quæ famuli ſuggererent, reperiebatur. Badinus No-

res, qui Præfecturâ Cubiculi eius vltimo ſeptennio perfunctus eſt, reputans quam ſoleret propere Cardinalis deſerere omnia, cùm admoneretur eſſe, qui ſpatium ſermoni orarent: habuit pro re compertâ, ipſum, vt obedientiæ merito non careret, deliberaſſe famulis ſuis parere; quoties ab eis pro his, quæ ad eorum ſpectarent munia, etſi non pro imperio deuocaretur. Cubiculi Adminiſter Auguſtinus Mongardius, qui ei deſeruiuit ad obitum vſque, ferè ſine obſeruantiæ modo, ſimpliciſſimèque cùm eo loquebatur; monebat moueret ſe loco, aſſurgeret, adduceret ſe aliò; expertus ad eiuſmodi nutus, & voces nunquàm lentas Cardinalis aures. A primis tenebris Aulicos ſuos voluit, cuſtodiâ cubiculi liberos eſſe; quò tùm ad ſua ſe referrent. Et ab eo tempore, ſi neceſſariò quis ipſum adiret, adpoſitum in menſâ lumen accipiens, per intermedia cubicula ipſemet abeunti prælucebat; ne is ad parietes, aut quoquàm offenderet; vtque ipſe Purpuratus, & Dominus, ex modeſtiâ, nihil à famulorum imitatione ceſſaret. Ceterùm ſperare ab eo Aulici, & Aſſeclæ eius opulentos, & magnos redditus Eccleſiaſticos non debebant; tùm quià eorum ipſe ferè indigens erat; tùm verò quià deliberauerat Capuæ beneficia nō ad alios, quàm ad ipſos Patriæ Clericos, vt infrà ſubdam, deriuare. Perparum idcircò eis conferre poterat, præter ſalarium, & cibaria, quibus ipſos domi ſuſtentabat. Quoad potuit tamen, eorū cuilibet annuè penſione aliqua conſuluit, multo antequam obiret,

proprijs exheredans ipſe ſe redditibus, vt eis quoquomodò copiam aliquam facere poſſet; & fuiſſet etiam pro eis conatus maiora, ſi par animo facultas; aut certè ſi non fuiſſet perſuaſio, viuere libenter paruo animum, cui timor Dei theſaurus eſt.

Quæ Conſilia CLEMENTI VIII. *Pontifici dederit.*

CAPVT V.

DIXERAT Cardinali Bellarmino ſępius CLEMENS Pontifex, ad Purpuram ſe illum deuocaſſe proptereà, vt haberet apud ſe vocem virtutis, à qua liberè inter voces fallentes adulantis Aulæ, quæ ſunt Principum calamitas, audiret verum. Proindè iniunxerat, moneret ſeriò, ſi quid aduerteret, pro Eccleſiæ bono, poſſe conſultiùs agi. Eas voces ipſe, ſicut & iuſſa reliqua Pontificis veneratus; quoniam ſatis intelligeret, Cardinales hoc munus cùm Purpurâ induere, vt ſuo quamque rem iudicio probare, aut improbare; non pendere ex alieno vultu, nutuq́, debeant; facilè paruit, vſuſq́; eſt hac rarâ moderatione Principis, apud quem videbatur fore gratior oratio ſingula monentis, quàm ſilentium cuncta, aut pleraque damnantis. Scripturam idcircò circà Pontificis munus præcipuum compoſuit, & eam CLEMENTI quàm demiſſiſſimè tranſmiſit. Optimi Conſiliarij monita prono, & auſcultante animo audiuit Pontifex, atque in reliquo folio puro, quod è Bellarmini ſcripto ad marginem ſupererat, per

capita ferè ſingula, ſcripto item ſuo, ipſe adiecit quædam, partim quę pro ſe rationes adferrent, partim quę oſtenderent, ſe aures monitori ſubmittere, & conteſtari anguſtias animæ ſuæ.

Quæ tùm vterquè ſcripſit, interſeram hoc loco, & quidem verbis eorum ijſdem; nè oracula contingat aliter, atque accepta ſunt, reddi; & nè priuati Scriptoris oratione emollitus videatur ſonus maieſtatis, quo egere inter ſe Viri duo ſummi; ex quibus tùm in Eccleſiâ alter neminem dignitate, alter neminem doctrinâ parem habuit. Incipit Bellarminus.

Summus Pontifex triplicem gerit in Eccleſiâ Dei perſonam: eſt enim Paſtor, & Rector Eccleſiæ vniuerſæ; eſt Epiſcopus Vrbis Romæ proprius; eſt Princeps temporalis Eccleſiaſticæ ditionis. Sed inter omnia eius officia primum locum tenet ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Hoc enim eſt primum, ſingulare, maximum. Primum quidem; quoniàm Apoſtolus Petrus multo ante factus eſt Paſtor totius Dominici gregis, quàm Epiſcopus Antiochenus, vel Romanus. Singulare autem; quoniam multi ſunt alij Epiſcopi nobiliſsimarum Ciuitatum, multi quoque Principes temporales; ſed Pontifex Orbis Terrarum, Chriſti Vicarius Generalis, Paſtor vniuerſalis Eccleſiæ, ſolus ipſe eſt. Denique maximum, quia Epiſcopatus Vrbis Romæ ſuos habet definitos limites, eoſque ſatis anguſtos, vt eſt etiam Principatus Eccleſiæ temporalis. At Summus Pontifex nullos habet in Orbe terrarum limites, niſi quos ipſe Orbis terrarum habet.

Porrò officium hoc tàm antiquum, tàm magnum, tàm

ſin-

ſingulare, tàm proprium ſibi, tàm neceſſarium Eccleſiæ, facilè poterit Summus ipſe Pontifex implere, ſi Eccleſiis ſingulis bonos Epiſcopos præficiat, eoſque ſuo muneri ſatisfacere curet, &, ſi opus ſit, cogat. Si quidem boni Epiſcopi bonos eligēt Parochos, bonos Concionatores, bonos Cōfeſſarios; itaq; animarū ſalus, niſi per ipſos ſteterit, in tuto erit.

At ſi fortè negligentiâ Epiſcoporum, vel Parochorum aliquæ pereant; ſanguis earum de manu Paſtorum particularium requiretur. Summus autem Pontifex animam ſuam liberabit; quippe qui fecit, quod ſuum erat, ne perirēt. Sin autem Summus ipſe Paſtor Eccleſiis particularibus, vel Epiſcopos dederit minus bonos; vel vt ij fungerentur munere ſuo, non diligentem operam dederit; tunc ſanè animarum illarum ſanguis de manu Pontificis Maximi requiretur.

Hæc me conſideratio ità vehementer exterret, vt nulli hominum magis ex animo compatiar, quàm ſummo Pontifici, cui plerique omnes inuidere ſolent. Nam S. Ioannes Chryſoſtomus, magno cum animi ſenſu, ſcribit; paucos ex Epiſcopis ſaluari; propterea quod difficillimum ſit tot animarum ſibi creditarum bonam rationem reddere. Neque blandiri nobis debemus de bonâ conſcientiâ, de rectâ intentione, de ſanctis operibus: cùm Apoſtolus Paulus dicat; nihil mihi conſcius ſum; ſed non in hoc iuſtificatus ſum. *Quarè fretus Apoſtolicâ benignitate deponam in ſinum pientiſſimi Patris, ſeu potiùs ad pedes eius, ſcrupulos meos, qui me, vt verum fatear, quieſcere non ſinunt.*

Ad hoc exordium Bellarmini Pontifex. *Hoc quo-*

què nos terret, inquit: *ſed cum corda hominum ſoli Deo pateāt, nec poſſimus nos niſi homines eligere: duo interdùm exempla nos conſolantur. Primùm, quando Dominus Noſter Ieſus Chriſtus elegit duodecim Apoſtolos, præuiâ pernoctatione in Oratione: quod neſcimus, an in aliâ occaſione fecerit, & nihilominùs inter illos electos vnus fuit Iudas. Aliud exemplum eſt, quòd duodecim Apòſtoli, pleni omnes Spiritu ſancto, ſeptem elegerunt Diaconos, inter quos vnus fuit Nicolaus, tàm inſignis poſteà Hæreticus. Quæ exempla pro ſuâ infinitâ bonitate putamus Deum Omnipotētem, prò conſolatione Eligentium, in Eccleſiâ reliquiſſe.*

Pergit Bellarminus. *Videntur igitur mihi ſex quædam res eſſe, quæ reformatione indigeant, nec ſine periculo negligantur. Prima res eſt diuturna vacatio Eccleſiarum; de qua re extat Epiſtola S. Leonis ad Anaſtaſium Epiſcopum Teſſalonicenſem, in qua iubet ſinè morâ prouideri Eccleſijs, nè gregi Domini diù deſit cura Paſtoris. Extant quoq; plurimæ apud S. Gregorium epiſtolæ, in quibus admonentur ij, ad quos ſpectat electio, quamcitiſſimè Paſtorem vt eligant. Et ſi fortè neceſſaria fuiſſet aliqua mora, conſueuerat idem Pontifex vacantem Eccleſiam commendare vicino Epiſcopo, non ad fructus percipiendos, ſed ad ſollicitudinem eius Eccleſiæ interim gerendam. Itaq; ſtudebant ſanctiſſimi illi prudentiſſimiq; Pontifices continuò vacantibus Eccleſijs prouidere, ne Rei efficerentur animarum, quas ob defectum Paſtoris perire contingeret. Difficile enim eſſet paucis explicare, quantum detrimenti capiant Eccleſiæ viduatæ; in quæ vitiorum abrupta ſe Grex præcipitet, dùm caret Paſtore;*

ſtore; quantũ ſilueſcat Vinea Domini, dùm caret Agricolâ.

Pontifex ad hæc. *In hac primâ re*, inquit, *ſiue in hoc primo capite fatemur nos peccaſſe, & peccare. Sed plerumq; in causâ eſt difficultas inueniendi viros idoneos. Et quãuis ſæpe multi nobis proponantur, cùm per nos ipſi nequeamus ſumere informationes, & cùm aliquando experti ſimus illos, quibus hanc curam demandauimus, nos decepiſſe, vel ipſos ab aliis deceptos fuiſſe, tutius interdũ putauimus, memores ſententiæ S. Pauli*, Citò cuiq; manus non imponas, *differre, ne deciperemur. Tamen recordamur tempore Magni Gregorij fuiſſe Eccleſias, quæ diu vacabant; & hac de causâ ſolitum fuiſſe vni Epiſcopo aliam Eccleſiam non ſuam commendare, vt interim curam illius haberet.*

Rursùs Bellarminus; *Secunda res eſt*, inquit, *promotio minus vtilium Prælatorum; deberent enim prouideri Eccleſiæ de bonis perſonis, non autem perſonæ de bonis Eccleſijs. Fateor tamen optimam illam eſſe prouiſionem, cùm vtrumq; ſimul fieri poteſt, vt & perſonæ benè merenti, & Eccleſiæ vacanti vtiliter prouideatur. Ac vt alia nũc prætercam, Concilium Tridentinum affirmat, peccare mortaliter eos omnes ad quos quocumq; modo ſpectat Epiſcoporum promotio, niſi eos præficiendos curauerint, quos Eccleſiæ magis vtiles ipſi iudicauerint; quæ eſt cõmunis Doctorum ſententia. S. Gregorius rectum ordinem eſſe dicit, vt quærantur homines ad Epiſcopatum, nõ vt quærant homines Epiſcopatum: & S. Bernardus*, qui pro ſe rogat, *inquit*, iam iudicatus eſt; *& infrà*, cunctantes, & renuentes coge, & compelle intrare.

Subiun-

Subiungit Pontifex. *Scimus hoc; & quantum in nobis eſt, ſemper præ oculis habemus, prouidere Eccleſijs, non autem perſonis; niſi quando & Eccleſiæ, & perſonæ æquè nos prouidere putamus. Sed prima, & maxima ratio Eccleſiæ habenda eſt. Sententia, quã affert, vera eſt; ſed ſi de dignioribus eſt agendum, nunquàm prouidebitur Eccleſiæ; quià neſcimus modum, quẽ tenere poſſimus, vt ſciamus, quis dignior ſit. Quoad ipſos Epiſcopos, hoc etiam nos torquet, quià ſi nolimus dare Epiſcopatus petentibus, vel his, qui nobis ab alijs proponuntur, neſcimus quomodò poterimus Eccleſijs prouidere, præſertim Eccleſijs nõ ità magnis, & modici redditũs. Si Dominatio veſtra ſcit aliquem modum, libenter audiremus, & amplecteremur. Multa enim poſſunt, & quidem verè dici; ſed cùm ad praxim deuenimus, in magnas incidimus difficultates.*

Bellarminus item. *Tertia res*, inquit, *eſt abſentia Paſtorum ab Eccleſijs; quid enim prodeſt idoneum eligi, ſi non reſideat? nam oues ſuas agnoſcere, eaſq; Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum operum exemplo paſcere non poſſunt, qui gregi ſuo non aſſiſtunt, vt per ſe notum eſt. Inter hos numerantur Epiſcopi, qui Nuncios Apoſtolicos agũt, quorum aliqui per annos multos Eccleſias ſuas non viderũt; Nonnulli, relicto miniſterio paſcendi animas ſibi creditas, Magiſtratum politicum gerunt. Multi relictis ouibus ſuis, Romæ ijs in rebus occupantur, quæ per alios commodè fieri poſſent. Fateor quidem aliquos Epiſcopos à reſidentiá per ... excuſari, neque illud inficior, Summum Ponti... de cauſis, atq; ad tempus Epiſcopos aliquos à re-*

ſidentiâ

ſidentiâ eximere; ſed neſcio an Deo placeat, vt tantus numerus Epiſcoporum, tàm longo tempore cum tanto animarum detrimento, à proprijs Eccleſijs abſit; quos certè ſuo muneri ſatisfacere non poſſe perſpicuum eſt.

Pontifex ad iſta. *In hoc fatemur*, inquit, *nos peccaſſe, quià nimis facilè indulſimus Epiſcopis, vt poßint Romam venire, & difficilè Româ dimittuntur. Anteà, ſi Dominatio Veſtra velit recordari, longè pauciores reſidebant. Quoad Nuncios; putamus decentiſsimum eſſe, vt Nuncij ſint Epiſcopi, quia Epiſcopis imperant, & maioris auctoritatis ſunt, quam Principes, & Populus: & niſi tantâ hominum penuriâ laboraremus, citiùs eos mutaremus. Quoad eos, qui politicos Magiſtratus gerunt, non eſt hoc tempore in Statu Eccleſiaſtico niſi vnus, aut alter, & tam propè ad ſuum Epiſcopatum, vt quouis die, nedùm quauis hebdomadâ poßit eſſe in ſuâ Eccleſia, & ferè quauis horâ in ſuâ Diœceſi. Reuerà nos non niſi Nuntios diù abſentes retinemus, quorũ mutatio ob magna, & periculoſa negotia facilè fieri nõ poteſt.*

Bellarminus iterùm. *Quarta res*, inquit, *eſt polygamia Spiritualis; cùm videlicet vni perſonæ plures Eccleſiæ committuntur. S. Bernardus in Epiſtolâ ad Comitẽ Theobaldum rem totam tribus verbis abſoluit, cum ait, id non eſſe licitum, niſi diſpenſatoriè ob magnam Eccleſiæ neceßitatem. S. Thomas ſcribit beneficiorum præſertim Curatorũ multiplicitatem, non ſolùm contrariam eſſe Iuri Canonico, ſed etiam Iuri naturæ: non quòd ità ſit intrenſecè mala, vt nullo modo honeſtari poßit; qualia ſunt adulteria, mẽdacia, & ſimilia: ſed quòd abſolutè mala ſit; poßit tamen ob certas*

circumſtantias honeſtari, vt ob Eccleſiæ neceſsitatem. Ex quo colligit idem S. Thomas, eum, qui ex diſpenſatione duas Eccleſias habet, non eſſe tutum in conſcientiá; niſi cauſa illà adſit, nempe Eccleſiæ neceſsitatis, vel certe maioris vtilitatis; quoniam diſpenſatio non tollit, niſi vinculum Iuris poſitiui: & hanc S. Thomæ doctrinam omnes Theologi probant. Quàre timendum eſt, nè fortè non ſint in conſcientiâ tuti, qui aliquando duas Eccleſias habent, vnam Cardinalitiam, alteram non Cardinalitiam. Cauſa enim, cur Epiſcopis Cardinalibus duæ permittantur Eccleſiæ; non videtur eſſe neceſsitas, vel vtilitas Eccleſiæ; ſed maior perſonæ dignitas, vel commoditas.

Denuò Pontifex. *Quoad iſtam polygamiam,* inquit, *ea interdùm eſt ſolùm in iſtis ſex Epiſcopatibus Cardinalitijs, circà quos nihil mutandum duximus, cùm à Prædeceſſoribus noſtris, etiam poſt Concilium Tridentinũ, res hæc examinata fuerit; & ità conſtituta. Et turbare ordinẽ Collegij, & redarguere facta Prædeceſſorũ noſtrorum, & tot Cardinalium, nõ viſa fuit nobis res, quæ ſine ſcandalo fieri poſsit.*

Quinta res, inquit idem Bellarminus, *eſt facilis tranſlatio Epiſcoporum de vnâ Eccleſiâ ad aliam. Tranſlatio enim Epiſcoporum, ſecundùm Canones, atq; vſum veteris Eccleſiæ, nõ debet fieri, niſi ob Eccleſiæ neceſsitatem, vel maiorem vtilitatem. Neq; enim inſtitutæ ſunt Eccleſiæ propter Epiſcopos, ſed Epiſcopi propter Eccleſias. Nunc autem quotidiè tranſlationes fieri videmus, eâ ſolùm de cauſâ, vt Epiſcopi, vel honore, vel opibus augeantur. Propterea notũ eſt* ex cap. inter corporalia de trãſlatione Epiſcoporũ, *vinculum*

culum matrimonij Spiritualis eſſe aliquomodò maius, quàm vinculum matrimonij corporalis; & ideò nõ poſſe ſolui, niſi à Deo, ſiue à Vicario Dei declarante voluntatem Domini ſui. Quis autem credat velle Deum, vt ob ſolùm temporale lucrum, vel honorem vinculum huius Sancti coniugij diſſoluatur. Præſertim cùm id ſine detrimento animarum fieri nequeat, vt experimentum ipſum docet. Neque enim Epiſcopi Eccleſias diligunt, quas breui ſe deſerturos ſperant, vt ad alias commodiores tranſeant.

Nos, inquit prætereà Pontifex, *cum difficultate transferimus, & non defuimus monere Principes per Nos, & per Nuncios noſtros.*

Sexta res, ſubdit vltimo capite Bellarminus, *eſt Epiſcopatuum reſignatio ſine legitimâ causâ: nam ſi tam eſt arctum, ac penè inſolubile vinculum inter Epiſcopum, & Eccleſiam, vt Canones docent; vnde fit, vt tam facilè vinculum iſtud quotidiè reſolui videamus? Alij retentis fructibus Eccleſiam reſignant? ac ſi quis vxorem repudiet, & dotem retineat. Alij diuites ex redditibus Eccleſiæ effecti, renunciant Epiſcopatui; vt ad maiora ſibi viam aperiant; Alij nepotibus Sedem renunciant, vt ſpecie renunciationis poſſideant Sanctuarium Dei. Alij malunt in Romanâ Curiâ Referendarij eſſe, vel Clerici, quàm extrà Curiam Sacerdotes Magni. Deniq; alij cauſantur aëris inſalubritatem; alij prouentus exiguos; alij populi proteruiam. Sed Deus nouit, an iſtæ iuſtæ ſint cauſæ reſignationis, & vtrũ eiuſmodi Epiſcopi quærãt, quæ ſua ſunt, an quæ IeſuChriſti.*

Nos, vltimò itẽ inquit Põtifex, *reſignationes difficillimè*

 admit-

admittimus, non niſi examinatis cauſis in Cõgregatione rerum Conſiſtorialium, & aliquando admittimus ob ineptitudinem reſignantium.

Demùm addit in fine Bellarminus. *Hæc ſunt, Beatiſſime Pater, quæ mihi hoc tempore ſuggerenda Sanctitati Veſtræ eſſe videbantur; vt conſcientiā meam hac in parte exonerarem. Quæ ſicut à me ſincero animo ſcripta ſunt; ità benigno vultu vt à Beatitudine Veſtrâ legantur, cùm omni reuerentiâ, & demiſſione etiam atq; etiam precor.*

Poſt hæc CLEMENS etiam ipſe in verba deſinens, quibus videtur è Majeſtate deſcendere ad Chriſtianá, ac Pontifice dignam humilitaté. *Hæc paucula*, inquit, *ità curſim diximus, non ad excuſandas excuſationes in peccatis: ſed vt ipſa potiùs miſereatur difficultatibus, quibus impliciti in has ærumnas incidimus. Fatemur enim, nedũ in iſtis, ſed in alijs multis nos, imò in omnibus peccaſſe, & in nullâ re muneri noſtro ſatisfeciſſe, nec ſatisfacere. Roget igitur Deum Omnipotentem, vel vt ſuâ diuiná, & efficaciſſimâ gratiâ nobis opituletur; vel, quod magis optamus, nos ab hoc mortali vinculo abſoluat, aliumq; ſubrog[...] omnibus numeris officium ſibi iniunctum abſoluat.*

Sic ambo per Scripturam ſunt alloqu[...]
cem: & iàm hiſtoriæ beneficio aud[...]
rum, fortaſsè imponent Hæretic[...]
de Bellarmino ſpargunt, [...]
culosâ libertate deterri[...]
gà Pontifices: ſed [...]
fortunâ ipſoru[...]

uiſſe, vel Pontificem, & Cardinales traducũt; primiſq; Eccleſię luminibus nituntur fœdam, quam ex proprio cœno exhalant, caliginem offundere. Diſcent, opinor, nec à Bellarmino ſolitum diſſimulanter agi, nec poſſe vitia, quæ contrà Pontifices ipſi fingunt, vſpiàm, præterquàm in ipſorum diris, inueniri. Certè in ſcripturâ, quæ debebat fide literarum ſecretò adire Pontificis ſolius aures, ſi grauiora fuiſſent, quę ſtylo perſtringeret, cur ea ſupprimeret is, qui perſequitur leuiora tàm ſanctè; tametſi quædam ex eo genere ſint, quę humanus animus nũquàm ſatis, in tàm vaſtâ gubernatione, defugiat? Scripturam hanc verò, cùm adiectis à Pontifice in puro ſpatio reſponſis, vt fuit vtriuſque manu picta, accepit ab ipſo Cardinali Bellarmino P. Stephanus de Bubalis, apud quem extat hodieque futura poſteris monumentum.

Ferè per id[illegible]m tempus c[illegible] Romę agitari controuerſia eſt i[illegible]ligioſ[illegible]inem S. Dominici, & Soc[illegible]m c[illegible]ones P. Ludouici Moli[illegible] G[illegible]*beri Arbitrij*. Quã ſen[illegible]i, [illegible]ius priuati Scriptoris na[illegible]le[illegible]enſebant defendendam à [illegible]ij, qui tùm præerant, aliter [illegible]ià noſtrorum Profeſſorum [illegible]eam tuebatur; tùm verò quià [illegible]onea ad obluctandum Hęre[illegible]oniá itaq; materies erat magni [illegible]biliendâ tot olim Patres, & Cõ-

cilia deſudarunt, CLEMENS Pontifex partis vtriuſq; merita in cœtu Theologorum proponi voluit; & interim ſpatia temporis varia inſtitit ipſemet ſuper ea meditari, frequenteſq; cum viris doctiſſimis miſcere ſermones. Idcircò Cardinalis Bellarminus, cùm quo itē ſæpè diſſeruerat, commentarium de rebus his compoſuit; in eoq; primùm controuerſię totius deſcripſit quaſi faciē, partis vtriuſque in breue coactis rationibus; ac pòſt adiunxit, quid demùm ipſe ſentiret. Opuſculum hoc acceptū æſtimauit Pontifex: ſed cùm aduerſæ partis homines vrgerent contrà, nouas difficultates coagmentando, aggerendoque incommoda plura, quæ denaſci exindè poſſe, ipſi ominabātur; Bellarminus adhùc Tractationes alias duas celerrimè confecit, ſoluitq; argumentationes obiectas; & has item accipiens Pontifex, arriſit erudito labori. Verùm ſpatio dein cœpit in cōperto eſſe, quàm non ex æquo diſceptatio futura eſſet: paulatim enim ità flexit Pontifex, vt cum primo, neq; magna, neque nulla ſpes eſſet Pontificem ei aſſentiri velle; minùs deinde in dies ſperaretur: cùm eius obſideri aures ab aduerſâ parte viderentur: donec eo res demùm deducta eſt, vt retulerit ad Cardinales diuerſos, deſtinatū ſibi eſſe, de Controuerſiâ decernere. Attamen ea res haud propterea Bellarminum expaueſecit; ſiquidem cœpit candidè, atq; liberrimè auctor eſſe Pontifici; in negotio, ex quo multa & ſumma penderent, feſtinandum lentè; imò ne feſtinandum quidem. Sed Pontifex, qui in re expendendâ haud ſibi fuiſſe videbatur

debatur indiligens, facturum ſe propediem quęſtionis eum finem, quem apud ſe diſpoſuerat, repromiſit: & tùm Bellarminus clarè futurũ dixit, vt de eâ non vtiq; definiendo pronunciaret. Quoniàm verò Pontifex retulit ſe ad eadem, quæ ſemel dixerat, Bellarminus rurſùs pari conſtantiâ negauit fore vnquàm, vt de re illâ decerneret. Atq; hoc totũ exceptum codice, Cardinalis ipſius manu, cuſtoditur in reconditorio Scripturarum, Societatis. Neq; hoc Pontifici modò, verùm & Cardinali à Monte adhùc maiori firmitate prędixit, vt alibi cõſtabit ex huius atteſtatione, quam referam. Libertas hęc ſentiẽdi aduersùm ea quę Pontifici prima erãt, fuit aliquibus occaſio interpretandi Bellarminum ex eo tẽpore ſpeciem magis in amicitiâ Pontificis, quàm vim tenuiſſe; nec viguiſſe, ſicuti priùs æquabili apud ipſum gratiâ: creuitq; rumor in Aulâ (quæ eſt rimandis offenſionibus nimis interdùm ſagax) tùm maximè, cũ viderunt non multò poſt, eũ, Capuæ Archiepiſcopum renunciatum, Româ emigrare; tanquàm Pontificis abalienatâ mente diſcederet, amotuſq; de induſtriâ, ne ea, quæ ſentiret, præſens diceret, ſpecie reſidendi in Ciuitatem illam obliquè ſeponeretur. Verùm hi ſermones Bellarmini animum haud induxerunt, vt quod ſemel, ſicut exiſtimabat ipſe, veritati dederat, reuocaret. Angebatur animi tantummodò, dùm reputabat nata opinionum diſſidia inter Religiones tàm egregias; & tametſi ſciret vtrimq; neminem offendi decere, cùm in comperto ſit, Controuerſiarum huius modi legem-

eſſe,

eſſe, iudicium animi citrà damnum affectûs proferre; nihilominùs, ſi fortè quid in affectu immutaſſet ingenium; optabat, vt ambę in gratiam redirent, quò in Eccleſiæ vtilitatem vnà fortiùs incumberent.

Sanè, quàm ergà eum Ordinem fuerit propēſus, Deſiderij Scagliæ, Cardinalis eiuſdem Ordinis, verba ſatis » indicarūt, dùm de eo; Religionem meam, inquit, ſum» mè veneratus eſt, & Sanctos, ac Beatos eius apprimè » coluit. Hiſtorias quoq; legit frequentiſſimè, affirma» uitque ſe indè præclarè incitari ſolitum ad perfectio» nem omnem. Ex quo decere exiſtimabat, vt alia quæ» libet benè inſtituta Religio antè oculos perpetuò eas » haberet, & exempla inde ſibi gubernationis, doctrinæ, » ſanctimonięque ſumeret. Quoad diſceptationem verò illam; totum triennium, quo Cardinalis Bellarminus aberat, CLEMENS Pontifex negotij molē ſentiens, vti erat optimæ mentis, coràm ſe, & Cardinalibus aliquot diſceptari de eâ re voluit, ac morte demùm impeditus, ſpatium PAVLO V. Pontifici Succeſſori ſuo reliquit, vt, commiſsâ ſubindè diſputantium acie, iudicauerit tempori aptum, integro certamine rem ſedare, & linquere ſuſpenſa omnia, neutro inclinatis ſentētijs. Vetuit tantùm, nè alterutra pars cenſuris in ſe inuicem agat: placuitq; vt pari exitu exarmarent ambæ, aut ſaltem receptui canerent, rediretq; ab eo congreſſu certamen ad exedras Academiarum, vbi ſit integrum cuique ſentire, quæ velit: vti fieri iàm, ignotum eſt nemini: quoniàm in Theatro ſit Orbis terrarum.

VI-

VITÆ ROBERTI CARD. BELLARMINI E SOCIETATE IESV LIBER IV.

Capuæ Archiepiſcopus renunciatur, cum inſigni totius Prouinciæ vtilitate.

CAPVT I.

TRIENNIVM circumegerat ſe, ex quo ei purpuram (de quâ alij ambitione certant) Pontifex quieſcenti dederat. Necdum tamen prouentus vllos perpetuos ei contulerat; alebatque ſe interim Bellarminus eo cenſu breui, qui annuè in Cardinales pauperes diſtribui ſolet. Obſtupuit verò Pontifex, & Aula vniuerſa, ipſum adeò propoſiti tenacem, nec redditus poſcere, vel ideò, vt cum familiâ tantâ ſe ad decorum purpuræ ſuſtentaret. Cardinalis Baronius, præ alijs, demiratus hominem eſt,

qui ità deſpicatui diuitias haberet, quas è ſapientibus etiàm plures vituperant, quàm faſtidiunt; & ſponte ſuâ (vt erat incenſo erga ipſum ſtudio) quoties vacaret Sacerdotium aliquod, Pontifici toties inſtitit BELLARMINI merita memorare, ſubſidium inopiæ petere, rogareque; vt, qui euexerat ad purpuram, abſolueret beneficium ſuum, & adderet purpuræ cenſum. Ea res Pontificem, vt excuſationibus cum BELLARMINO vteretur, induxit; ipſe verò tum hæc audiens, gratias primò referre; dein cum Pontificiâ munificentiâ certare, ne quid vltra vſum neceſſarium ſumeret. Ad excuſationem illam faſſus, ſibi conſultum bene; cui nimirùm, etſi parum habenti, nihil deeſſet. Sed excepit Pontifex, quæ à me habes, hæc admodùm exigua ſunt, cùm plerique haud artibus tuis pares, maiora his acceperint. Tibi, quamdiù me ſeruauerit Deus, prorſus nihil defuturum ſcio, at non vtique viuam ego perpetuus. Tum BELLARMINVS iterum: Profectò mihi neque caſus hic in mœrorem, aut in damnum euaderet: ſi aliquando deſtituant me, quæ neceſſaria; vt dignitatem ſuſtineam, quam gero. Occaſio id erit, vt poſtulem meum mihi reſtitui nomen, & ad Religionem meam reuertam: vbi, neque cubiculi, neque panis me copia deficiet; quæ duo eſſent abundè deſiderio meo, vt tenuis vita, quam ducerem, non mihi pudori, non cuiquam oneri foret.

ret. Modeſtiam hanc animi,tam alieni ab opibus appetendis, aggerendiſque, etſi ſuſpexit & commendauit intereà Pontifex, deſiderauit nihilominùs occaſionem obuenire; quà ei poſſet Sacerdotijs de melioribus citò conſulere. Idcircò, quia, paulò poſt, diem obijt Cæſar Coſta Capuæ Archiepiſcopus, cùm non quærendus eſſet qui eligeretur, ſtatim huius Antiſtitem Eccleſiæ BELLARMINVM elegit. Qui oneri nouo ac magno auſus refragari. Quoniam, tametſi ab eiuſmodi gradibus amplitudinum ſponte reprehenderet pedem, ratus quantò plus aſcenderet, tantò ſe magis in lubrico ſtare; nihilominus per purpuram excuſſus à ſtatu priuatæ ſecuritatis, ex ſe propior gerendo quàm petendo Epiſcopatui ſperat; quia ſuo mori, qui & Societati vniuersè communis eſt, iudicabat accommodatum, ſi pro Dei obſequio in ſalutem animarum incumberet, ſeque ad ſimile vitæ genus deſtinaret, atque illud eſt; quod in pijs expeditionibus, quas miſſiones nominamus, homines Societatis vbique terrarum obeunt.

Capua Vrbs eſt in pulcherrimâ Campaniæ plagâ, vetuſtate originis, & crebrâ fortunæ varietate apud hiſtorias celebris, exactiſque ſæculis, in Prouinciâ totâ etiam Vrbium Caput. Ædes eius maxima, extructa magnificè; & ab antiquitate ipsâ venerabilis, pijs Sanctorum Reliquijs, & rei ve-

circumſtantias honeſtari, vt ob Eccleſiæ neceſsitatem. Ex quo colligit idem S. Thomas, eum, qui ex diſpenſatione duas Eccleſias habet, non eſſe tutum in conſcientiá; niſi cauſa illà adſit, nempe Eccleſiæ neceſsitatis, vel certe maioris vtilitatis; quoniam diſpenſatio non tollit, niſi vinculum Iuris poſitiui: & hanc S. Thomæ doctrinam omnes Theologi probant. Quàre timendum eſt, nè fortè non ſint in conſcientiâ tuti, qui aliquando duas Eccleſias habent, vnam Cardinalitiam, alteram non Cardinalitiam. Cauſa enim, cur Epiſcopis Cardinalibus duæ permittantur Eccleſiæ; non videtur eſſe neceſsitas, vel vtilitas Eccleſiæ; ſed maior perſonæ dignitas, vel commoditas.

Denuò Pontifex. *Quoad iſtam polygamiam,* inquit, *ea interdùm eſt ſolùm in iſtis ſex Epiſcopatibus Cardinalitijs, circà quos nihil mutandum duximus, cùm à Prædeceſſoribus noſtris, etiam poſt Concilium Tridentinū, res hæc examinata fuerit; & ità conſtituta. Et turbare ordinē Collegij, & redarguere facta Prædeceſſorū noſtrorum, & tot Cardinalium, nō viſa fuit nobis res, quæ ſine ſcandalo fieri poſsit.*

Quinta res, inquit idem Bellarminus, *eſt facilis tranſlatio Epiſcoporum de vnâ Eccleſiâ ad aliam. Tranſlatio enim Epiſcoporum, ſecundùm Canones, atq; vſum veteris Eccleſiæ, nō debet fieri, niſi ob Eccleſiæ neceſsitatem, vel maiorem vtilitatem. Neq; enim inſtitutæ ſunt Eccleſiæ propter Epiſcopos, ſed Epiſcopi propter Eccleſias. Nunc autem quotidiè tranſlationes fieri videmus, eâ ſolum de causâ, vt Epiſcopi, vel honore, vel opibus augeantur. Propterea notū eſt* ex cap. inter corporalia de trāſlatione Epiſcoporū, *vinculum*

culum matrimonij Spiritualis eſſe aliquomodò maius, quàm vinculum matrimonij corporalis; & ideò nō poſſe ſolui, niſi à Deo, ſiue à Vicario Dei declarante voluntatem Domini ſui. Quis autem credat velle Deum, vt ob ſolùm temporale lucrum, vel honorem vinculum huius Sancti coniugij diſſoluatur. Præſertim cùm id ſine detrimento animarum fieri nequeat, vt experimentum ipſum docet. Neque enim Epiſcopi Eccleſias diligunt, quas breui ſe deſerturos ſperant, vt ad alias commodiores tranſeant.

Nos, inquit præterea Pontifex, *cum difficultate transferimus, & non defuimus monere Principes per Nos, & per Nuncios noſtros.*

Sexta res, ſubdit vltimo capite Bellarminus, *eſt Epiſcopatuum reſignatio ſine legitimâ causâ: nam ſi tam eſt arctum, ac penè inſolubile vinculum inter Epiſcopum, & Eccleſiam, vt Canones docent; vnde fit, vt tam facilè vinculum iſtud quotidiè reſolui videamus? Alij retentis fructibus Eccleſiam reſignant? ac ſi quis vxorem repudiet, & dotem retineat. Alij diuites ex redditibus Eccleſiæ effecti, renunciant Epiſcopatui; vt ad maiora ſibi viam aperiant; Alij nepotibus Sedem renunciant, vt ſpecie renunciationis poßideant Sanctuarium Dei. Alij malunt in Romanâ Curiâ Referendarij eſſe, vel Clerici, quàm extrà Curiam Sacerdotes Magni. Deniq; alij cauſantur aëris inſalubritatem; alij prouentus exiguos; alij populi proteruiam. Sed Deus nouit, an iſtæ iuſtæ ſint cauſæ reſignationis, & vtrū eiuſmodi Epiſcopi quærāt, quæ ſua ſunt, an quæ IeſuChriſti.*

Nos, vltimò itē inquit Pōtifex, *reſignationes difficillimè*

 admit-

admittimus,non niſi examinatis cauſis in Cõgregatione rerum Conſiſtorialium, & aliquando admittimus ob ineptitudinem reſignantium.

Demùm addit in fine Bellarminus. *Hæc ſunt, Beatiſſime Pater, quæ mihi hoc tempore ſuggerenda Sanctitati Veſtræ eſſe videbantur; vt conſcientiã meam hac in parte exonerarem. Quæ ſicut à me ſincero animo ſcripta ſunt; ità benigno vultu vt à Beatitudine Veſtrâ legantur, cùm omni reuerentiâ, & demiſſione etiam atq; etiam precor.*

Poſt hæc CLEMENS etiam ipſe in verba deſinens, quibus videtur è Majeſtate deſcendere ad Chriſtianá, ac Pontifice dignam humilitaté. *Hæc paucula*, inquit, *ità curſim diximus, non ad excuſandas excuſationes in peccatis: ſed vt ipſa potiùs miſereatur difficultatibus, quibus impliciti in has ærumnas incidimus. Fatemur enim, nedũ in iſtis, ſed in alijs multis nos, imò in omnibus peccaſſe, & in nullâ re muneri noſtro ſatisfeciſſe, nec ſatisfacere. Roget igitur Deum Omnipotentem, vel vt ſuâ diuinâ, & efficaciſſimâ gratiâ nobis opituletur; vel, quod magis optamus, vt nos ab hoc mortali vinculo abſoluat, aliumq; ſubroget, qui omnibus numeris officium ſibi iniunctum abſoluat.*

Sic ambo per Scripturam ſunt alloquuti ſe inuicem: & iàm hiſtoriæ beneficio auditi in Orbe terrarum, fortaſsè imponent Hæreticis ſilentium; dùm vel de Bellarmino ſpargunt, eum fuiſſe veri conſilij periculosâ libertate deterritum, nè Monitorem ageret ergà Pontifices: ſed & infractum vitio aſſentandi, cùm fortunâ ipſorum potiùs, quàm cum ipſis loqui conſueuiſſe;

uiſſe, vel Pontificem, & Cardinales traducũt; primiſq; Eccleſię luminibus nituntur fœdam, quam ex proprio cœno exhalant, caliginem offundere. Diſcent, opinor, nec à Bellarmino ſolitum diſſimulanter agi, nec poſſe vitia, quæ contrà Pontifices ipſi fingunt, vſpiàm, præterquàm in ipſorum diris, inueniri. Certè in ſcripturâ, quæ debebat fide literarum ſecretò adire Pontificis ſolius aures, ſi grauiora fuiſſent, quę ſtylo perſtringeret, cur ea ſupprimeret is, qui perſequitur leuiora tàm ſanctè; tametſi quædam ex eo genere ſint, quę humanus animus nũquàm ſatis, in tàm vaſtâ gubernatione, defugiat? Scripturam hanc verò, cùm adiectis à Pontifice in puro ſpatio reſponſis, vt fuit vtriuſque manu picta, accepit ab ipſo Cardinali Bellarmino P. Stephanus de Bubalis, apud quem extat hodieq́ue futura poſteris monumentum.

Ferè per idem tempus cœpta Romę agitari controuerſia eſt inter Religioſum Ordinem S. Dominici, & Societatem noſtram circà opiniones P. Ludouici Molinæ, *De Concordiâ Gratiæ, & Liberi Arbitrij.* Quã ſententiam etſi aliqui, eoquòd vnius priuati Scriptoris nata ex ingenio eſſet, minimè cenſebant defendendam à Societate vniuerſâ: attamen ij, qui tùm præerant, aliter ipſi deliberarunt; tùm quià noſtrorum Profeſſorum pars maior in Academijs eam tuebatur; tùm verò quià iudicabatur imprimis idonea ad obluctandum Hęreſibus Seculi noſtri. Quoniã itaq; materies erat magni momenti, & in quâ ſtabiliendâ tot olim Patres, & Cõ-

cilia deſudarunt, CLEMENS Pontifex partis vtriuſq; merita in cœtu Theologorum proponi voluit; & interim ſpatia temporis varia inſtitit ipſemet ſuper ea meditari, frequenteſq; cum viris doctiſſimis miſcere ſermones. Idcircò Cardinalis Bellarminus, cùm quo itẽ ſæpè diſſeruerat, commentarium de rebus his compoſuit; in eoq; primùm controuerſię totius deſcripſit quaſi faciẽ, partis vtriuſque in breue coactis rationibus; ac pòſt adiunxit, quid demùm ipſe ſentiret. Opuſculum hoc acceptũ æſtimauit Pontifex: ſed cùm aduerſæ partis homines vrgerent contrà, nouas difficultates coagmentando, aggerendoque incommoda plura, quæ denaſci exindè poſſe, ipſi ominabãtur; Bellarminus adhùc Tractationes alias duas celerrimè confecit, ſoluitq; argumentationes obiectas; & has item accipiens Pontifex, arriſit erudito labori. Verùm ſpatio dein cœpit in cõperto eſſe, quàm non ex æquo diſceptatio futura eſſet: paulatim enim ità flexit Pontifex, vt cum primo, neq; magna, neque nulla ſpes eſſet Pontificem ei aſſentiri velle; minùs deinde in dies ſperaretur: cùm eius obſideri aures ab aduerſâ parte viderentur: donec eo res demùm deducta eſt, vt retulerit ad Cardinales diuerſos, deſtinatũ ſibi eſſe, de Controuerſiâ decernere. Attamen ea res haud propterea Bellarminum expaueſcit; ſiquidem cœpit candidè, atq; liberrimè auctor eſſe Pontifici; in negotio, ex quo multa & ſumma penderent, feſtinandum lentè; imò ne feſtinandum quidem. Sed Pontifex, qui in re expendendâ haud ſibi fuiſſe videbatur

debatur indiligens,facturum ſe propediem quęſtionis eum finem, quem apud ſe diſpoſuerat, repromiſit: & tùm Bellarminus clarè futurũ dixit,vt de eâ non vtiq; definiendo pronunciaret. Quoniàm verò Pontifex retulit ſe ad eadem, quæ ſemel dixerat, Bellarminus rurſùs pari conſtantiâ negauit fore vnquàm, vt de re illâ decerneret. Atq;hoc totũ exceptum codice,Cardinalis ipſius manu,cuſtoditur in reconditorio Scripturarum, Societatis. Neq; hoc Pontifici modò,verùm & Cardinali à Monte adhùc maiori firmitate prędixit, vt alibi cõſtabit ex huius atteſtatione,quam referam. Libertas hęc ſentiẽdi aduersùm ea quę Pontifici prima erãt,fuit aliquibus occaſio interpretandi Bellarminum ex eo tẽpore ſpeciem magis in amicitiâ Pontificis, quàm vim tenuiſſe; nec viguiſſe, ſicuti priùs æquabili apud ipſum gratiâ:creuitq; rumor in Aulâ (quæ eſt rimandis offenſionibus nimis interdùm ſagax)tùm maximè, cũ viderunt non multò poſt,eũ,Capuæ Archiepiſcopum renunciatum,Româ emigrare;tanquàm Pontificis abalienatâ mente diſcederet, amotuſq; de induſtriâ, ne ea,quæ ſentiret,præſens diceret, ſpecie reſidendi in Ciuitatem illam obliquè ſeponeretur. Verùm hi ſermones Bellarmini animum haud induxerunt, vt quod ſemel, ſicut exiſtimabat ipſe,veritati dederat, reuocaret. Angebatur animi tantummodò, dùm reputabat nata opinionum diſſidia inter Religiones tàm egregias, & tametſi ſciret vtrimq; neminem offendi decere, cùm in comperto ſit, Controuerſiarum huius modi legem-

eſſe,

eſſe,iudicium animi citrà damnum affectûs proferre ; nihilominùs,ſi fortè quid in affectu immutaſſet ingenium;optabat,vt ambę in gratiam redirent,quò inEccleſiæ vtilitatem vnà fortiùs incumberent.

Sanè, quàm ergà eum Ordinem fuerit propēſus,De-
ſiderij Scagliæ,Cardinalis eiuſdem Ordinis,verba ſatis
» indicarũt,dùm de eo; Religionem meam, inquit,ſum-
» mè veneratus eſt , & Sanctos , ac Beatos eius apprimè
» coluit. Hiſtorias quoq; legit frequentiſſimè, affirma-
» uitque ſe indè præclarè incitari ſolitum ad perfectio-
» nem omnem. Ex quo decere exiſtimabat,vt alia quæ-
» libet benè inſtituta Religio antè oculos perpetuò eas
» haberet,& exempla inde ſibi gubernationis,doctrinæ,
» ſanctimonięque ſumeret. Quoad diſceptationem verò illam; totum triennium , quo Cardinalis Bellarminus aberat, CLEMENS Pontifex negotij molē ſentiens, vti erat optimæ mentis, coràm ſe,& Cardinalibus aliquot diſceptari de eâ re voluit , ac morte demùm impeditus , ſpatium PAVLO V. Pontifici Succeſſori ſuo reliquit,vt,commiſsâ ſubindè diſputantium acie,iudicauerit tempori aptum,integro certamine rem ſedare, & linquere ſuſpenſa omnia,neutro inclinatis ſentētijs. Vetuit tantùm,nè alterutra pars cenſuris in ſe inuicem agat : placuitq; vt pari exitu exarmarent ambæ,aut ſaltem receptui canerent , rediretq; ab eo congreſſu certamen ad exedras Academiarum , vbi ſit integrum cuique ſentire,quæ velit: vti fieri iàm, ignotum eſt nemini: quoniàm in Theatro fit Orbis terrarum.

VITÆ ROBERTI CARD. BELLARMINI E SOCIETATE IESV

LIBER IV.

Capuæ Archiepiſcopus renunciatur, cum inſigni totius Prouinciæ vtilitate.

CAPVT I.

TRIENNIVM circumegerat ſe, ex quo ei purpuram (de quâ alij ambitione certant) Pontifex quieſcenti dederat. Necdum tamen prouentus vllos perpetuos ei contulerat; alebatque ſe interim Bellarminus eo cenſu breui, qui annuè in Cardinales pauperes diſtribui ſolet. Obſtupuit verò Pontifex, & Aula vniuerſa, ipſum adeò propoſiti tenacem, nec redditus poſcere, vel ideò, vt cum familiâ tantâ ſe ad decorum purpuræ ſuſtentaret. Cardinalis Baronius, præ alijs, demiratus hominem eſt,

qui ità deſpicatui diuitias haberet, quas è ſapientibus etiàm plures vituperant, quàm faſtidiunt; & ſponte ſuâ (vt erat incenſo erga ipſum ſtudio) quoties vacaret Sacerdotium aliquod, Pontifici toties inſtitit BELLARMINI merita memorare, ſubſidium inopiæ petere, rogareque; vt, qui euexerat ad purpuram, abſolueret beneficium ſuum, & adderet purpuræ cenſum. Ea res Pontificem, vt excuſationibus cum BELLARMINO vteretur, induxit; ipſe verò tum hæc audiens, gratias primò referre; dein cum Pontificiâ munificentiâ certare, ne quid vltra vſum neceſſarium ſumeret. Ad excuſationem illam faſſus, ſibi conſultum bene; cui nimirùm, etſi parum habenti, nihil deeſſet. Sed excepit Pontifex, quæ à me habes, hæc admodùm exigua ſunt, cùm plerique haud artibus tuis pares, maiora his acceperint. Tibi, quamdiù me ſeruauerit Deus, prorſus nihil defuturum ſcio, at non vtique viuam ego perpetuus. Tum BELLARMINVS iterum: Profectò mihi neque caſus hic in mœrorem, aut in damnum euaderet: ſi aliquando deſtituant me, quæ neceſſaria; vt dignitatem ſuſtineam, quam gero. Occaſio id erit, vt poſtulem meum mihi reſtitui nomen, & ad Religionem meam reuertam: vbi, neque cubiculi, neque panis me copia deficiet; quæ duo eſſent abundè deſiderio meo, vt tenuis vita, quam ducerem, non mihi pudori, non cuiquam oneri foret.

ret. Modeſtiam hanc animi, tam alieni ab opibus appetendis, aggerendisque, etſi ſuſpexit & commendauit intereà Pontifex, deſiderauit nihilominùs occaſionem obuenire; quâ ei poſſet Sacerdotijs de melioribus citò conſulere. Idcircò, quia, paulò poſt, diem obijt Cæſar Coſta Capuæ Archiepiſcopus, cùm non quærendus eſſet qui eligeretur, ſtatim huius Antiſtitem Eccleſiæ BELLARMINVM elegit. Qui oneri nouo ac magno auſus refragari. Quoniam, tametſi ab eiuſmodi gradibus amplitudinum ſponte reprehenderet pedem, ratus quantò plus aſcenderet, tantò ſe magis in lubrico ſtare; nihilominus per purpuram excuſſus à ſtatu priuatæ ſecuritatis, ex ſe propior gerendo quàm petendo Epiſcopatui ſperat; quia ſuo mori, qui & Societati vniuersè communis eſt, iudicabat accommodatum, ſi pro Dei obſequio in ſalutem animarum incumberet, ſeque ad ſimile vitæ genus deſtinaret, atque illud eſt; quod in pijs expeditionibus, quas miſſiones nominamus, homines Societatis vbique terrarum obeunt.

Capua Vrbs eſt in pulcherrimâ Campaniæ plagâ, vetuſtate originis, & crebrâ fortunæ varietate apud hiſtorias celebris, exactisque ſæculis, in Prouinciâ totâ etiàm Vrbium Caput. Ædes eius maxima, extructa magnificè; & ab antiquitate ipsâ venerabilis, pijs Sanctorum Reliquijs, & rei ve-

ſtiariæ ornatu vario abundat. Sanctus Protomartyr Stephanus eſt eius tutelaris, atque ab Ioanne Pontifice XIII. erecta in Metropolim, & complexa tum Epiſcopos Suffraganeos nouem, habet in dotem annuè vberes redditus, vt Clerum copioſum alat. Canonici vnà cum Archipræſule, quaterdeni numerantur, & ex his dignitate cæteris præſtant; Decanus, Archidiaconus, Primicerij duo. Parœciæ in Vrbe ſunt fermè numero viginti; præter cœnobia propè Religionum omnium, Sacrarum Virginum ſepta, Clericorum Seminarium, & Templum Annunciatæ Virginis ponè publicum Xenodochium, in quo ægri nitidè, ſumptuoſèque procurantur. Diœceſis tamen Vrbi circumiecta, non diſcedit in longos limites, nec habet defenſa mœnibus Oppida; ſed multitudinem innumerabilem Pagorum; in quibus Aræ, & Templa prouentibus instructa non contemnendis. Inter hos nonnulli ſunt frequentiſſimorum capitum, vti Pagus S. Mariæ Maioris, in quo, cum inſigni Collegio Clericorum, ſunt pluſquam octingentæ, aut circiter mille domus.

Idem ipſemet Clemens Pontifex, qui Bellarminum inter Auguſtos Patres adlegerat, honoris causâ, voluit ſacris eum ritibus inaugurare, ſecundo die Dominico, à celebritate Chriſti Domini reſurgentis, quo die ad aras ex Euangelio prælegitur, *Ego ſum Paſtor bonus.* xj. Kal. Maij, anni M. D C. II. Approbata hæc Electio omnium Ordinum plauſu fuit, vt potuerit meritò Cardinalis

dinalis Cæſar Baronius, in Annales Eccleſiaſticos eam inſerere; occaſionem arripiens haud ita temerè natam: nempe referens, poſtulatum Othonis Imperatoris, cùm à Ioanne Pontifice XIII. obtinuit, vt Capuanam Vrbem, in quâ tunc ambo erant, nouo titulo Eccleſiæ Metropolitanæ augeret. *His diebus*, inquit, *quibus hæc ſcribimus (quod non tacendum) maximum acceſſit eidem Eccleſiæ ornamentum, dum vacante eadem Sede, obitu Cæſaris Coſtæ Archiepiſcopi, delectus eſt, à Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente Papa* VIII. *ad nobiliſſimæ Eccleſiæ regimen, vir doctiſſimus, ac religioſiſſimus, Robertus Bellarminus S. R. E. Cardinalis, virtutum meritis toti Chriſtiano Orbi conſpicuus, exoptatus votis, collaudatus ſuffragijs, atque exceptus plauſu; illud ſacro Collegio acclamante.* DIGNVS, DIGNÆ.

Copia, his peractis, Bellarmino fuit, exprimendi in re iam ſua quod in aliena expetiuerat, nempè vt Epiſcopi, cùm Romæ ſunt, reuerſionem ad Eccleſias non differant. Triduo, quam hæc contigerunt, ex Ædibus Pontificijs, cùm pridie diſceſsûs, ſacrum pallium accepiſſet, in Collegium Romanum immigrauit; tùm, vt denunciato iam itinere, domeſtica ſupellex commodiùs anteiret; tùm, vt crebra officia adeuntium, quò ei bene precarentur, euitaret: atque ad Sponſam Amicam, & Columbam ſuam citò (quemadmodum admirante Româ fecit) proficiſceretur. Salutauit verò dulciſſimos ſocios, & mutua eorum officia admiſit iucundè;

cundè; quippè in loco degens, vbi adulatio, veri affe-ctus venenum, metui non poterat; cùm inſuper ſextâ feriâ piam exhortationem ad eos habuiſſet.

Interim audita Capuæ fama Paſtoris egregij, & ſigna publicæ lætitiæ varia, ſed vnum ad Cardinalis BELLARMINI gloriam imprimis glorioſum, excitauit. Quod ea auditio, formæ optimæ inducendæ moribus multorum, initium fuerit; qui eo accepto nuncio, antiquius nihil habuere, quàm vt ſemet à fluxioris licentiæ extraherent cœno, inirentque conſilia vitæ honeſtioris. Prorsùs vt ſperari deberet, cùm adeſſet, virtutis prouentus maior, quandoquidem ita incaleſcerent ad nomen abſentis: vſque adeò ad morum diſciplinam trahit, allicitque virtus, & opinio Paſtoris. Venia abeundi igitur à Pontifice, & fauſtâ precatione impetratâ, Capuam, intra paucos dies, itinere proſperrimo, peruenit; eratque Ciuitas in expectatione magna, cùm nulli dubium foret, meditatum ad eam Prouinciam illum accedere, qui inſtruere conſueuerat Antiſtites alios, & quem Pontifex non tamquam Epiſcopum faceret, ſed tamquam cùm facto ageret, ad ipſos deſtinauerat.

Bonus Paſtor, vt, in primo ingreſſu, pabulo animas pio recrearet; antemiſerat Indulgentiam plenè piacularem, pro his qui exomologeſi caſtè, ſanctèque animum expiaſſent, & nemo ad eam non ſe perſtudiosè diſpoſuerat. Atquè hunc apparatum, has opes, cogi-

cogitationesque ſecum deuehens, Calendis Maij ſolemni pompâ Vrbem intrauit. Ei tùm Ciuitas omnis obuiam effuſa, Sacerdotesque, cum inſignibus ſuis intrantem, ac diui propè ipſi tutelares exceperunt; & qui antiquiores erant, non recordabantur in re ſimili vndam populi adeò frequentem. Fruebatur nouus Paſtor conſpectu ouium ſuarum, quarum inter vota, & preces, & laudes ibat, in eisque virtutes varias diſtinguebat. Ad Templum verò accedebat: perinde, atque ſi manum ingredienti daret Sanctus Stephanus fortiſſimus Protomartyr ac Patronus, quem veluti præſentem intuens, animo motus eſt, & indutus habitu pomparum, Sacrum Eccleſiaſticâ Maieſtate decantauit. In fine demùm voce, ac manu populo bene precatus, pias Indulgentias (vt dixi) omnibus impertiuit. Hæc animorum iucunditas producta eſt in diem proximè conſequentem, inſtructoque pio agmine, eiuſdem Sancti Protomartyris brachium ſupplicatione perlætâ tráſlatum eſt. Quæ res populum biduò exhilarauit, & ea oportunitate Cardinalis BELLARMINVS; vt inde ſibi & cunctæ Ciuitati ominari poſſet, patrocinium Sancti eius tutelaris.

Ex eâ die, vt operarium exhiberet ſe in vineâ Domini nauum & laborioſum, ſtuduit imitari: quicquid optimus Paſtor animarum noſtrarú nos docuerat, de quo dictú eſt. *Ante eas vadit, & eum oues ſequuntur, & audiunt vocem eius*. Factis nimirú prædicás, &, quæ præſtare alij debe-

deberent, exemplo manifeſtans. Ad diem ſanctum, & triumphalem Chriſti in cælum aſcendentis, cœpit dicere ad populum pro concione; viſaque eſt res inuſitata, audiri quemquam è ſuggeſtu, extra Aduentus, & Cineralium ferias. Sed vt ad id Vrbem conſuefaceret, tametſi primis congreſſibus, haud ita confertum auditorium fuerat, non propterea intermiſit Apoſtolicum ſonum, quem Epiſcoporum eſſe proprium nôrat: ſed quamdiu ibi moratus eſt, extrà tempus ſolemnium ieiuniorum, concionatus eſt Dominicis ac Feſtis diebus, ſemper auctiore Ciuium numero. Vix credi poteſt, quàm admirandos effectus pepererit ſermo,de ore fluens Paſtoris adeò vigilantis; qui audiebatur, modò commonefacere omnes de his, quibus inſiſtendum, vt Deo quiſque placeat; modò precibus, monitis, obiurgationibus perurgere ſingulos, vitium vt fugerent, virtutes vt perſequerentur; & re,ac voce illud præſtare, ad quod ſacri Oratores ab Ieremia inſtituuntur. *Ecce conſtitui te ſuper gentes, & ſuper regna; vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſsipes, & plantes.* Quæ res, cùm ſuccederet optimè, induxit etiam, vt poſtremis litteris,ad Clementem Pontificem datis, quò illi per officium, vti fit, recurrentes anniuerſariè dies diuinorum Natalium, fauſtos ominaretur; eidem valdè auctor fuerit, & deprecator, ne cum Eccleſijs Antiſtites nouos præficeret, inter virtutes alias, de quibus cognoſci lex iubet, crederet minùs eximiam eſſe facul-

facultatem ipſam concionandi. Meminit, inquit, Sanctitas tua, Epiſcopos olim primos abieciſſe temporarias procurationes, ac ſtatuiſſe de ſe illud: *Nos autem verbo Dei, & orationi inſtantes erimus.* Hunc morem docuit nos Chriſtus Dominus, Epiſcoporum omnium Epiſcopus, quem & ſequuti deinceps Sancti Paſtores alij; ac poſtremò Carolus Boromæus, de quo id veriſſimè vſurpauerim. Non eſt inuentus ſimilis illi, noſtri æui temporibus. Is enim cùm ſæpiùs rogaretur (quemadmodùm retulit mihi Epiſcopus Auerſæ) vt. N inter Epiſcopos adſciſcendum proponeret Gregorio Pontifici XIII. conſtanter abnuit, quià minimè idoneum nôrat, vt ad populum verba faceret. Sanè hoc eſſe munus in Epiſcopo pręcipuum; tùm ex Concilij Tridentini pręſcripto; tùm ex ritu ipſo Epiſcopos inaugurandi manifeſtum eſt. Sacrum Euangeliorum librum in eorum humerum collocamus: vt agnoſcant, ſtudere Euangelio, hoc demùm onus ipſorum eſſe. Pòſt, idem liber ab eis inter manus accipitur, auditurque ſingulis, intereà dici. *Accipe Euangelium: & vade, prædica populo tibi commiſſo.* Atque ea videtur forma propria, & neceſſaria inaugurationis Epiſcoporum. Aptitudo hęc verò ad concionandum, in amplis Vrbibus, vti ſunt Roma, Neapolis, Mediolanum, quibus Concionatorȩs ſuppetunt, & plurimi, & optimi, haud requiritur perindè, atque in ſecundis Ciuitatibus, quarum eſt tàm ingens nu-

 merus.

merus. In his, Epiſcopus ſi non loquitur, extra Cineralium dies, tacent omnes. In Cineralibus quoque ſępè Concionatores audiuntur, quos merces, quàm caritas conduxit; & qui æris, quàm animarum, inhiant lucro. Itaque ſunt hæ miſeræ Ciuitates, quaſi ſolent infœlices agri, quos Cęlum, vbertim irrigans cætera, menſem vnum dumtaxat, in annos ſingulos, aſpergit imbribus; à quibus proindè colligas nihil, præter dumos, & ſteriles herbas. Sic in epiſtolâ ipſe.

Ex repurgatione morũ, pro ſuggeſtu generatim obitâ, vt deſcenderet ad ſingularia, quæ euelleret; inquirere primùm, quid in totâ Ciuitate, & Prouinciâ validum, quid ægrum eſſet; vt, ſi quę in publicis moribus labarent, corrigeret, ſanaretq́;. Dein prudens vſpiam ęgrotare mores, tantùm illa medicamina præparare, quę paterna eius pietas duceret ex ratione opportuniora. Plurimus fuit, in extirpandis ijs, quę vitiorũ perenne plãtarium erant. Reperit in vrbe Capuâ, & foris ad eius pagos, in quibus magis frequẽs populus; non in angiportis modò apertis: ſed, quod multò pernicioſius erat, ſeceſſione, occultisq́; cõuentibus iuuentutem aggregari, ibique talis, chartiſque luſorijs (aduerſus quæ duo alearum genera leges omnes armantur) penè ad inſaniam furere: facinus augebat; quia, pręter poſita ibi omnia incitamenta ludi, alia indè gliſcerent flagitia; execrationes in Deum; rei alienæ direptiones; familiarum damna; & probra libidinum diuerſa, quæ moribus

bus corruptis circumdabat illa colluuies. Porrò,cùm intelligeret, tametſi vetarent eos ludos Regni edictiones, ab Regijs adminiſtris permitti,causâ emolumenti,neſcio cuius, quod indè miſerè colligebant; ſatis agnoſcebat, abſque brachij ſecularis complexu haud poſſe ita validè morem deijci, vt non ſurgeret denuò, imperantique obluctaretur. Ideò, qui anteà deliberauerat, authoritate propriâ, & ſolitariè, licentiã illam profligare, ac detonare cenſuris aduersùs omnes, qui tam improbè operam,atque animam luderẽt; exiſtimauit fore conſultius, ſi vnà in id conſpirarent Regij,& coniunctim imperium, quâ ſacrum, quâ publicum, inficientem conſuetudinem labefactaret, eliminaretque. Ad eum finem, quia etiam potentius iam eſſet id malum, quàm vt minores per magiſtratus ſedarentur, Neapolim amico ſcribit, vt Proregem ſuper eâ re, & Capuæ Patronos adeat: & is nactus ſecundas aures, cùm Proregis, tum Regentis Martos,qui Patronus vrbis erat, facilè legem impetrauit; quâ ea gymnaſia,corruptelæ omnis generis vetarẽtur. Interim Cardinalis hoc accuratè egit,nè res emanaret; atque vt Capuæ Magiſtratus omnibus ignoraret modis,ſe auctorẽ Legis fuiſſe; quippè cùm putaret, multùm conducere communi rei, ſi ſtudeant Epiſcopi à Miniſtris Laicæ poteſtatis, amorem, fauoremque colligere; aiebatque, animarum gubernationẽ neceſſariò peſſum ire, ſi à Paſtore,is cui publica auctoritas,

abalienetur. Edictione Neapoli tranſmiſsâ, & re ab Vrbis Gubernatore ſtrenuè ſuſceptâ, nihil tempori datum; ſed ſtatim ardore magno cœptæ interdici aleæ, & in aleatores pœnæ propoſitæ; tùm quæ corpus; tùm quæ animam affligunt; breuique, nemine aduersùm nitente, omnes ab ludis abactos eſſe, & conciliabulum praui moris diſſolutum, ciues viderunt, ſummâ cum laude Gubernatoris, publicâ vtilitate, & Dei etiam inſigni cum gloriâ.

Dum ſenſim his artibus ad modeſtiam Ciuitas reducebatur, corrigebanturque in populo, quæ irrepſerant peſſimi exempla; haud neglecta interim Cleri repurgatio: cùm conſtet in his, quæ ad virtutem, aut contrà, grande reliquis documentum eſſe populorum capita, Sacerdotes. Ex eorum numero vnum offendit aleæ infamiâ notatum, & tali: vt ſanaret igitur affectam ouiculam, & ad caulas reduceret, ſtatuit vlcus premere parciùs; veritusque, nè, ſi dolores coorirentur, plus remedium, quàm morbum timeret, Primò verbis leniſſimis interrogat, cur Eccleſiaſticus, & Sacerdos aleæ rumorem non expauerit, luſeritque palàm, ſiue oblectamenti causâ, ſiue indecori quæſtus? Reſpondit, ſe à re familiari deſtitutum, vitam, niſi per ludum, ſuſtinere haud nimirùm poſſe. Tùm Cardinalis, pręſenti pecuniâ, ſtatim ei quęſtum omnem aleę repręſentauit, adhortans, vt quoties referre tantundem, aut plus vellet, toties ad ſe cum illâ innocentiâ rediret, nec depuderet honeſtè accipere quod alioqui per nefas quęſiuiſſet.

uiſſet. Hoc facto, ille commutatus eſt in virum alterum, redditusque ex aleatore Sacerdos, is, qui tam impotenter ad alueum ab aris, &. ſacrificio rapiebatur, & toti Ciuitati miraculum fuit. Sed vt ſingularia omittam, cùm primùm ſacri regiminis clauum accepit, cunctos Sacerdotes, quibus demandatæ Tribus animarum, nùm doctrinæ idoneæ, ac vitæ integræ forent, accuratè pertentauit. Orſus viſitationem ab Æde primariâ, reperit multa in eo Collegio Cleri perperàm agi, notabilemque irrepſiſſe deſuetudinem ſolemnium cęremoniarum. Prætereà plurimos in Templo obambulare ſolitos, & negotia tranſigere adæquè, ac in foro: quin etiàm per portas ipſas Templi, geſtores, non abſque loci ſacri iniuriâ graui, onuſtos, vltrò, citroque commeare. Occaſio erat mercatus, qui in eius exteriore areâ, cum incondito vulgi ſtrepitu, ſępè diuinos modos interturbante, celebrabatur. Hoc indigniſſimè factum iudicans, breui effecit vt omnia ſilerent: portam Ædis, quâ ita commeantibus aditus pateſceret, muro impediuit, in eâque aram dedicauit. Ex quo, diuiſis ſacris locis, & negotioſis, domus Dei reſtituta eſt, vt iam domus tantùm orationis videretur.

Pro Clero deindè prohibuit, nè qui Sacris erant initiati, inter infimos Miniſtros templi, quo ſuus ordini eſſet honos, haberentur; ratus dedecere eos, qui in Eccleſiâ ſunt primi gradus, vltima procurare. Iuſſit

ſit Theologicam prȩlectionem, & alteram, quȩ eſt de rebus conſcientiȩ, frequentari ſȩpiùs; neque raro vtriuſque auditorijs ipſemet interfuit. Quoties conuentus Cleri, ſeu Capitula, vt vocant, cogi oporteret, interueniebat perpetuò; & pro eis ſancita ab ipſo vtiliter multa, hodieq́ue cuſtodiuntur. Cæremonias, iuxta prȩſcripta in Romano codice, redintegrauit, vtq́ue rectiùs vſurparētur, effecit. Si qui ex certamine dignitatis contendiſſent, vter alteri prȩſideret, hos cōciliare, ac reducere ad officia certa, dexteritate mirabili. Concilij Tridentini decretum, nempè vt inter Canonicos ſit Sacerdotum numerus maior, idem induxit: & cùm eſſent deni Presbyteri tantùm, Diaconi totidem, viginti verò Subdiaconi; tametſi antiquȩ taxationes, & emolumenta aliter non permitterent, negotium ita flexit eius caritas, ingenioſa, quia amor eſt; vt diſſentiente nemine, deliberatum de Sacerdotibus fuerit, vt eſſent minimùm viginti. Ad Canonicorum ſubſellia, quemquam è Laicis aſcendere, lege vetuit; ab Odeo vniuerſo ſubmouit, priſtino Eccleſiæ more, profanos omnes: Pòſt, cùm vir primarius ſedem, ſicuti ſueuerat, eò inferri mandaſſet, prohibuit pari conſtantiâ, atque olim Sanctus Ambroſius magnum Theodoſium, & homini ſignificauit, per internūcios, ſtationem illam dumtaxat eorum eſſe, qui aræ miniſtrant: cæterum Templum vacare Laicis. Vt in functionibus ſacris obeundis augeretur Maieſtas, primò

cantum

cantum inducere,modulatum & grauem,& quo Cęleſtium laudes animum peruaderent efficaciùs; vti fit, quando ſuauior eos harmoniæ deuehit ſonus. Deindè Odeo ipſemet intereſſe quotidiè, etiàm in matutinis precibus : Feſtis verò diebus aſſidere ceteris Horarijs Laudibus. Nimirùm,in eo Cleri Collegio,ipſe Archiepiſcopus ſimul , inter Canonicos adnumeratur , eiq́ue propterea cedit pars communiũ diſtributionũ,dũmodò ſacris officijs interueniat. Cardinalis Bellarminus idcircò; partim,vt hâc tametſi tenui ratiunculâ,ditaretur, eam poſteà acquiſitam incõmodo ſuo , cũ voluptate maiori,erogaturus in pauperes;partim verò,vt pręſentiâ ſuâ Canonicos cõdocefaceret cãtica & hymnos piè,decenterq́ue modulari,ſemper circa primã lucẽ,cũ eis in Odeo erat,vt concineret matutinas preces, poſtquàm in conclaui,nixus genibus, eas perſoluerat: Expertus verò eſt,ſuauem iuxtà,& efficacem artẽ eſſe, ab alijs impetrandi,quæ vellet; ſi eadẽ ipſe prior exequeretur. Hyeme, quia templum erat præfrigidũ, & quia conſuetudo ferret,vt matutinę laudes priuſquã dilucularet, inchoarentur, enimverò à frigore præclarè tùm exercebatur; nam intererat,more Pontificũ,linteatus cũ tenui & albo lino criſpioris elegãtiæ,& plicamẽtis apto,quod in appẽdiculã deſinit è filo artificiosè, per apices acuminatim pẽdulos,relicto;& pręter ſuperius amiculũ ex purpurâ giro breui, æquabiliq; ſucciſum cui adaptatus capiti galericulus,adnectitur, neque cũ

inſtru-

inſtructâ pellibus veſte, neque cum manicâ ſuffultâ villis, aut chirothecis in manum inductis adfuit vnquam. Rogârunt amici ſæpiùs, vt ſe inſtituto illi negaret ſubindè: præſertim cùm à præſentiâ eius videretur iam redacta res in formam optimam: ſed ipſe abnuere, qui, nimirùm, eo labore illud aſſequi ſibi videretur, quod Apoſtolus præſcribit, inquiens: *Laboret, operando manibus ſuis, quod bonum eſt; vt habeat, vnde tribuat neceſsitatem patienti.* Ob eam cauſam OEconomum admonuit, nè rationibus inferret ſummam aureorum triginta, quam in menſes ſingulos indè lucrabatur: ſed ſibimèt in conclaui daret cuſtodiendam. Etenim, erogandæ per honeſta pecuniæ cupidus, (quam virtutem perpetuò tenuit, ex quo paupertatem neceſſariò exuit) manû ſuâ, eam in opem honeſtiorum quorundam ſepoſitam diuidere optabat, ſolitus propriam vocare, & factam priuato nomine largitionem; cùm Archiepiſcopatûs largitiones ceteræ, pauperibus, vt aiebat, non tam ſponte, quàm ex obligatione deberentur. Præterire non poſſum in hâc re ſpecimen ingẽs modeſtiæ eius, quâ ſibi religioni duxit, primo anno, dum Odæum frequentaſſet, quòd alternante choro, vti fit, Pſalmos, & Hymnos, cum cęteris in vicem non ceciniſſet: vt is, qui officij penſum in cubiculo anteà perſoluerat. Diſtributiones ergò tamquam immeritò accepiſſet, voluit Romæ de re viros prudentes conſulere; & quamuis ab his audiret,

haud

haud religione vllâ obſtringi ſe, vt pecuniã renumeraret; nihilominus in conuentu Canonicorum dixit, redditurum ſe vtique ſummam omnem; ſi non eam ipſi condonârent; ac meritum piæ largitionis, quam anno illo erogauerat, vltrò illis concedere, qui nihil pro ſe repeterent. Fecit hoc, ſoluitque non nemini, qui de obligatâ ſibi ſummulâ ipſum poſtulârat. Deinceps, & cecinit perſeueranter; & feſtis ſemper, ac religioſis diebus, poſt ſolemnia ſacrorũ, è ſolio in ſuggeſtum migrans, etiã quando ipſe rem ſacrã decantauerat, horarium ſpatium concionabũdus expleuit. Tam cordi ſemper habuit, vt retineretur ordo, ac dignitas in domo Dei. Hanc formam in Eccleſiaſticos Ædis primariæ, conſtantiâ & labore vim aduerſam omnem ſuperante, induxit tandem: pro quâ, vt eſſet perpetua; apprimè ſtuduit, vt educaret perbenè primam indolem: eligeretque eos, qui muneri, cui deſtinabantur, animo eſſent, & virtute pares. Idcircò in ſeminario Clericorum auctior tùm Alumnorum numerus, quàm vnquam aliàs; neue eis quid ad diſciplinam deeſſet, dabat operam; tùm vt litteras, & mores bonos, atque vnà timorem Domini docerentur; tùm vt redderentur exercitati, & pro munere quiſque ſuo, in Templo miniſtrare aris modeſtè, grauiterque condiſcerent. Si certò intelligeret, adoleſcentes ingenio eximios, rei familiaris anguſtijs arctari, atque impediri; nè, poſt primæ litteraturæ diu trita limina,

 ad diſ-

ad diſciplinas grauiores niterentur, Neapoli eos velificaturos ſupremis facultatibus alebat. Sed, nè in hâc parte operam luderet, ac inopes alios fraudaret, præter induſtrias plures; vt eſſet de ipſorum neceſſitate certior, morem habuit, illos ad Sacramentum adigere, à quibus proponerentur; quò in hunc modum, fidelem diſpenſatorem ageret, & in eos beneficium conferret, de quibus perſuaſio, fore vt in Eccleſiæ commodum euaderent. In ſacrorum inaugurationibus] parcior, id honoris non indulſit, niſi ſpectatâ peritiâ; &, ſi inſignis aliqua, aut vtilitas exigeret, aut neceſſitas. Res enim rara virtus eſt, & fit modici pretij, quicquid nimiò citiùs impetratur. In reliquis, nihil quicquam decreta Sacræ Tridentinæ Sinodi declinauit. Cùm Eccleſiæ Paſtore deſtituebantur, ſubrogabat eos, qui in certamine ſapientię documentũ ſui darent, digniſſimique inuenirentur, inuitatũ alio nullo, pręterquã doctrinę, grauitatis, & adultę virtutis. Cætera beneficia, quibus implicita non foret animarũ procuratio, ſolis ciuibus, non aſſeclis ſuis, diuidebat: quippè, cùm prouentus eos diceret, à majoribus conſtitutos, vt in commoda Ciuium irent perpetui: & hinc haud ita æquum exiſtimabat, eos aliò deriuare. In Eccleſiaſticum Collegium adlecti ab eo nobiles viri, aut præſtantes commendatione illuſtrium meritorum; nec Ciuitatem adeò ægram inuênit, vt Clerum Templis ſuis ſuppeditare non poſſet. Quòd ſi opulentum

lentum ſacerdotium alteri conferret, idq́ue ſacros iuxta Canones, oneris alicuius capax, citra ſui iacturam eſſet; penſionem pro clericis pauperibus, de quibus expectatio foret, imponebat; idq́ue egit, etiam poſtquàm Eccleſiâ ſe abdicaſſet, menſibus ijs, quibus beneficia ipſe alternatim diſponeret. Quoniam verò pauperum neceſſitates, & merita tum ignoraret abſens, per epiſtolas iudicium aliorum, & notam inopum flagitabat. Idcircò viris religioſis ſcribebat ſubinde, vt adoleſcentes tres, quatuorve, laudabili vitâ, honeſtis natalibus, ingenio fœlici, & à ſolâ re familiari miſeros nominarent, quò aliquam ei copiolam conficeret. Interdum de his percontari inter Capuanos ciues, ſi qui Romæ degerent: quemadmodum Pompeio Garigliano eiuſmodi album imperauit, monens, vt eos, quibus domi anguſtiæ maiores, ſubditâ lineolâ diſtingueret; ijsq́ue gratuitò penſiones ad triginta, ad quadraginta, interdum etiam ad quinquaginta aureorum annuè; quas nec rogauerant quidem, inutiliter verecundi, diſtribuebat. Hos effectus paternæ caritatis odorati deinde plures, inuitarunt ſe, vt quæ opus haberent, ea fiduciâ grandi peterent; & tùm, ſi quando ei haud ita integrum foret, poſſe omnibus, qui ſupplicauerant, gratificari, nimiùm excedente votorum numero beneficiũ vnum, aut alterum, quod petebatur: trahebatur vehemens in dolorẽ, mœſtitiamq́ue; præſertim ſicubi deberet meritũ, aut

neceſſitas præteriri.

Capuæ, anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo, Eccleſiaſticum beneficium vacauerat; & ideò Sacerdos quidam inops, affinis alterius demortui; Romam indè, ipſo Quintili menſe, præcipitauit, à Cardinali penſionem poſtulaturus. Ita vt appulerat anhelus in eius conſpectu ſtetit, & cùm vix ferret auram; ſiquidem æſtas erat, & calores, vt in Vrbe, maximi. Cardinalis ſupra modum eo triſti vultu flexus ad commiſerationem, amplexatusque hominem: hoccine, inquit, temporis, & auræ, ac vitæ cum periculo tanto, huc penſionis vnius deſiderio aduenis, qui de re ſcribere poteras, nec ego abnuiſſem. Poſt hæc monuit, eâdem veſperâ ex Vrbe pedem efferret, ne ab hauſtu Cœli grauioris, eo tempore anni, in quo ingruere morbi vulgò ſolent, periculum adiret; & tractatum tempeſtiuo cibo, inſtructumque viatico, cum penſione annuâ aureorum triginta, ſatis egregiè ſe parentem oſtentans inopum, tutoremque dimiſit. Hinc oriebatur, vt quoniam ita beneficiorum eſcâ delectabili omnium animos ceperat, liberrimè poſſet Eccleſiaſticos exigere ad eam rationem honeſtatis, quæ condecet ipſorum dignitatem, & vt in cæteris virtus, quam ita munerando lactauerat, creſceret, ac reſponderet eius nutriciæ caritati. Mœrebat tamen, & angebatur animi, quotieſcumque (vt ſunt ſæpè fallentes hominum ſpes) fraudaretur ſummâ votorum: dum in commune bonum minùs exiſterent ij, quos beneficijs nutriuerat. Apud omnes denique,

denique, quà ſupremos, quà infimos pro comperto erat, BELLARMINVM Capuæ morari; non vt ſe, vel ſuos opimaret; ſed vt, quaſi cœlum ſolet, cœleſtis eius animus incumberet perpetuò alienæ vtilitati, foueretque ſingulos præſentiâ ſuâ, opibus ſuis.

De Viſitationibus, Synodis, Ædificijs, & Cœnobiorum repurgatione.

CAPVT II.

QVAMDIV in Eccleſiâ ſuâ ſedit Cardinalis BELLARMINVS, hęc habuit, ex deſtinatione, præcipua; vt nō ſegni ſitu innocens, labori parceret; ſed ſtrenuè ſe per Epiſcopalia exercens munia, quoad poſſet, ſubditos ſuos in ſplendorem daret, & gloriam filiorùm Dei, prorſus etiam ipſe eos iterùm parturiens, donec formaretur in eis Chriſtus. Bonus Paſtor propterea extra ouile ſuum vix vnquam inuentus; ſemel tantùm, ad dies pauculos, PROCIDAM, vbi Abbas erat; bis NEAPOLIM migrauit; primò vt Cardinalem Geſualdum Archiepiſcopum, officij viciſſitudine, reſalutaret, apud quem bidui moras non exceſſit; iterùm obſcuro habitu, non purpureo, vt ignotus intereſſet pompæ obitæ in eâ Ciuitate, dum ad Sanctos tutelares Diuum Thomam Aquinatem aggregaret. Preter eas occaſiones, etſi rogatus precibus multo-

multorum, haud vnquam induci potuit, vt illò ſæpiùs rediret. Amabat enim ſuos, & ipſum hi viciſſim; qui amor omnium eſt cultu optimus, redamabant. Commoratio eius in Vrbe Capuâ, viſitatio quædam perennis erat, cùm indidem, velut è communi ſpeculâ, exploratum haberet, quicquid in Prouinciâ vſpiam ageretur: nihilominus, quia ſubibat animũ cogitatio, nauos Paſtores ſuis magis oculis, quàm alienis gregem luſtrare; expeditionem hanc adeò impigrè ſuſcepit, vt triennio diœceſim totam tertiùm obierit, circũſpexeritque per ſe omnia; quo etiam in munere ſemel administros ſuos circumdùxit, vt, quæ opus forent, meliùs decerneret. His verò perfunctus, quãdo intelligere non poterat, num in exequendis his, quæ iuſſa fuerant, ſubditi animo fuiſſent languido, ac remiſſo; tunc eò deſtinabat, qui inquirerẽt, & de re dein renũtiarent.

Dum diœceſim luſtrabat, non diſſimili formâ vſus, atque olim Chriſtus Dominus, duobus diſcipulis antemiſſis ad loca, in quæ profectionem adornabat. Vt enim probè intelligebat, Epiſcopis, ad Eccleſiæ adminiſtrationem, multis & manibus, & oculis opus eſſe: Patres Societatis duos habuit perpetuò, in partem huius adiumẽti. Itaq; P. Simon Francus, quem nouerat operariũ induſtriũ, & indeficientem in ſuſcipiẽdis laboribus piarũ expeditionũ, quas ex inſtituto noſtra Societas obit, vnà cum altero comite, ac ſocio, iuſſus antecedere, ac parare plebem perfectam, quâ concionando paſſim, explicãdoque doctrinam Fidei, quâ myſterijs

ſacris

ſacris animas repurgando, vt præbere Paſtori poſſent diſpoſitas aures, & vocem eius audire. Ipſe mox aderat à loco ſancto viſitationem auſpicaturus. Vbi ſuis téporibus è ſuggeſto, vel è ſellâ ſuper aræ gradũ, concionibus populos inſtruebat; præbebat Euchariſtiæ Sacramentũ; Eccleſiæ nouellos milites ſacro Chriſmate inungebat. Ad quę munera interim cõfluere videbatur multitudo ingés, pietate ſummâ, atque amplis in eum ſtudijs: eâ verò perſuaſione, quaſi adeſſet Cœlo miſſus, & aliquãtò auguſtior humano viſu. Patrum Societatis excurſiones quęrentiũ, quos ab ſe dimitterét meliores, fuêre in diœceſi perénes; eratque, & mittéti, & miſſis, ea lęta expeditio. Eos alebat Cardinalis impédio ſuo; néve parochis, aut populis oneri eſsét; in méſes ſingulos eis erogabat aureos decem, annonam, videlicet, ambulãtis caritatis. Item ex his etiam ad vrbem euocabat, relinquebatque, veluti vicarias voces, dum eſſet abiturus: vt concionarentur interim, & ſacra miniſtrarent, dum foris procuraret ipſe minores greges, templaque, quę pagatim ſacrata habebãtur, inuiſeret. In eâ porrò diœceſis recognitione adducebat comites expeditionis paucos, vehiculis ad profectionem proprio ęre comprehenſis, & imperato etiam, vt quę ipſis hominibus, iumentiſque vſui eſſent, ab Vrbe Capuâ ſubmitterentur; vt nemini per oppida, quâ iter faciendum erat, in vllâ re oneri, aut ſumptui foret. In eodem itinere aſſeclis, & familiaribus interdixit muneribus quibuſcumque; ſibi verò, vti erat rei

nullius

nullius perindè, quàm quietis propriȩ impatiens, omnia poſtputauit, præ illorum commodo, ad quos iret; ſpatium omnibus erat, vt neceſſitates ei proprias narrarent; cùm exciperet ſingulos verbis compoſitis, ad omnem humanitatem; nemoq́ue adibat cum inopiâ, qui non aliquâ inſtructus copiâ ab eo rediret. Reperit Eccleſias plures, re veſtiariâ, & vaſis ſacris adeò indigentes, vt alicubi venerabilis Euchariſtia in ligneâ pyxide cuſtodiretur: calices autem, operis antiqui, malèq́ue fuſi, vix aut ægrè myſterio apti iudicarentur. Hos expenſis ſuis, in aliquam elegantiæ formam, refuſos inaurauit; argenteas pyxides coëmit; inſtaurauit omnia, quæ ad decorum, & ſpeciem deſiderabantur. Liberalitate ab iſtâ, ſicut ab aditu facili ad aures eius paternas, haud promptum explicatu eſt, quàm ad ſe frequentes eleëmoſinas vbique, quidquid erat pauperum, corriuarent. Eſſet ſatis, ſi dicerem; ordinario Diſpenſatori adfuiſſe ferè momentis ſingulis, qui libellos darent, & mox eoſdem, cum notâ largitionis à Cardinali ſcriptâ referrent. Addam vnum, ex quo conijci ſimilia plurima poterunt, quæ ſileo.

Miles, qui Regis caſtra deſeruerat, petijt à Cardinali, oblato libello, aureos triginta, quibus transfuga noxam redimeret apud adminiſtros regios; quorum interim ſe iuſtæ iræ ſubtraheret; ac eius non deſperandæ liberalitati ſeſe ita ſubmitteret. Impetrauit ſtatim; ſed Prȩfectus rationum, cuius erat ſoluere, hominem

conſpi-

conſpicatus, qui vt remigrare ad aciem, & rurſus merere in caſtris poſſet, adeò inſignem poſceret largitionem; primò auditam inopiæ cauſam ſuſpectam habere; deinde rem trahere, & conteſtari, eſſe prorſus excedens, ſi ad perſimiles quoque mulctas exoluẽdas debeat manus in procliui eſſe; & de benignitate, vt ſit perennis, parcè hauriendum. Attamen Cardinalis negauit decens eſſe eleëmoſinas tam attentè examinari; proindè exhiberet ſe hilarem datorem, quem diligit Deus: addiditque, is efficiet, vt de paupertate ſecuri ſimus: & ego me, non mercatorem memini eſſe, ſed Epiſcopum, atque ab Epiſcopi conſpectu, pauperum quemquam triſtem diſcedere facinus eſt. Si prompta pecunia non ſuppetit; aut commodatò eam accipe: aut oppignerato aliquid ex vaſis argenteis, veſtibus, & cæterà ſupellectili. Sic ipſe. Nimirùm proprium hoc ſemper habuit, vt mallet decipi; quàm odioſè nimis, inquirere de neceſſitate; cùm eligeret potiùs, cui non oporteret dare, quàm non perindè, cui oporteret. His exemplis, idem Præfectus rationum Petrus Guidoctus, aiebat, opus iuſti voluminis impleri poſſe; ſi ea memori animo retinuiſſet: at, quia quotidiana erant, menti ferè aſſiduitate ipsâ voluerunt. Neque mirùm, proindè, ſi dum abſcederet communibus lacrymis, dum reuerteret, gaudio eum proſequerentur, qui veniebat in nomine Domini; & Paſtoris, ac Patris viſcera ſingulis afferebat.

Ad viſitationes adiecit Synodos, quas Epiſcopis tantoperè ſacri Canones commendãt; & in hãc etiam parte ſtuduit S. Caroli veſtigia conſectari, de quo, tanquam de Paſtorum raro nimirùm exemplo, dicebat ſubinde, *Non eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret legem Epiſcopalem.* Sicut luſtrauit ter diœceſim omnem; ita ex eâ, ter, hoc eſt, quotannis Synodum coëgit. Tum, inquirere primùm in eâ, vt quiſque vitam honeſtè, aut ſecùs ageret; &, ſi quid in moribus labaret, adeſſe corrigendi auctor; prauos vſus tollere; ſanare affectas animas; euertere peccati documenta; impudicitiæ probra, famoſa præſertim extinguere; inducere mores optimos: cùm in ijs præceptor electiſſimus, veluti faciem virtutis, ad imitationem præſtaret omnibus, exemplum ſui.

Præcipuum conſilium tamen, Clero formam, inſtitutionemq́ue concinnâre: ideò, quia compererat crebris experimentis, quæ fuiſſet incuria Parochorũ, ruralium præſertim, in his euoluendis, explicãdisq́;, quę neceſſariò credi debent; adeò vt ex Chriſtianis multi indigniſſimè Chriſtum ignorarẽt; ~~opus eſſe~~; declarationem vberem Symboli Apoſtolorum Italico idiomate compoſuit, ediq́ue ſtatim voluit; quo Rectores animarum, quibus ad concionandum facultas nulla ſuberat, feſtis diebus haberent, quę populo lectitare potiſſimùm in celebritatibus anniuerſarijs Chriſti Domini, circa earum myſteria poſſent, atque in

hunc

hunc modum ſcriptura ſaltem Antiſtitis, quò vox eius non pertingeret, audiretur. Munus hoc tradendę Chriſtianę doctrinæ &, alijs demandauit, & per ſe obiuit etiam; ad feſtos, ac religioſos dies, deſcendere ſolitus in Ædem Sacram, rudioresque inſtruere, is qui Magiſtros erudierat; ac manu ſuâ prçmia diuidere: prorſus, vt dignitate maximus, adhuc exemplo maior appareret.

Prouinciale Concilium, Eccleſię Metropolitanę deſuetum ab annis duode-viginti, Epiſcopis Suffraganeis indixit, initumque eſt adprobatione mirâ, & omnium ordinum cõmuni beneficio. Quoniam tamen de anteacti Concilij ſanctionibus relatum ad Pontificem, factaque Romę earum recognitio cum laude fuerat; ſed non promulgatas, nec vſui datas meminerant; cùm placere magis vetera decreta oſtendiſſent, quàm decreuiſſent noua, ne nimiùm leges creſcerent: itum in eam ſententiam eſt, vt ederetur antiquum Concilium, modicâ cum acceſſione capitum aliquorum, quę ad pręſens tempus profore credebãtur, illiſq. exequẽdis penitus inſiſteretur. Iudicium quoque habitum eſt ſuper quędam geſta perperàm, in diœceſi duorum Suffraganeorum, non abſque iacturâ Eccleſiaſtici prouentus, & Templorũ damno. Viſę proptereà concurrere conditiones, ob quas Tridentina Synodus, ei, qui Metropoli pręeſt, poteſtatem facit cognoſcendi ea, quę ſunt huiuſ-

modi; quò dein re perſpectâ ſanctam Sedem condocefaciat, cuius vtique intereſt, ſupremæ auctoritatis oculo in ea Eccleſiarum incommoda deindè proſpicere. Id muneris tantùm non ſtatim abnuit Cardinalis Bellarminus; quoniam inter reliquos ſua ipſius dignitas emineret. Cœterùm pluris animarum ſalutem æſtimans, quàm propriam dignationem, ad Alexandrum Mediceum Cardinalem ſcripſit, (qui tùm ſacræ Congregationis caput, & pòſt, Leo Pontifex XI.) ſignificauitque futurum opportuniùs, ſi negotij arbitrium permitteretur alteri, cui plus experientiæ eſſet, & minùs operæ, quàm ſibi; & ex hoc numero recenſuit Epiſcopum Calui, Epiſcopum Sinueſſæ, vel etiam Epiſcopum Caſertæ. Adiecit, non hoc ſcribò à ſe modeſtiæ causâ, aut per ſpeciem officij; ſed quia ea ſibi ſententia coram Deo, pro Eccleſiæ ſuæ bono. Porrò gratam eam rem fore ſibi, & annixurum, vt benè cumulatam gratiam Pontifici, atque ipſi referret. Pontifex, & ſacra Congregatio, propoſitum eius allaudârunt, & deſtinârunt arbitros cauſæ Antiſtites duos, Calui, & Sinueſſæ; qui, vt erant, integerrimi ambo, atque antiquâ prudentiâ: ſic rem adiudicarunt, vt cederet in Eccleſiaſtici cenſus, rerumque ſacrarum reparationem, & emolumentum.

Verùm, hâc occaſione Concilij, Cardinalis Bellarminus, haud omninò erga Epiſcopos, dum Capuæ aderant, officia hoſpitis cuncta præſtare potuit; ita vt domi eos attineret omnes: nam domus Epiſcopalis anguſtior, quàm pro hoſpitum copiâ, non

æquabat,

æquabat, quæ in ipſo inerant ſpatia caritatis. Menſç tamen eius accubuêre perpetuò; apparatis epulis pro conditione, quam principio purpuræ iniuerat; vt is, in quo, tametſi pecunioſum ad ſacerdotium peruenerat, manebat parſimoniæ prior animus. Cœtero anni tempore, quotquot Capuam aliò ituri commearent, præſertim Antiſtites, & Religioſi viri, hos è meritoriâ domo, per idoneos homines, benigno vultu, & ſermone inuitatos, adduci ad Ædes ſuas hoſpitij causâ iubebat; S. Pauli præcepto morem gerens, qui ab Epiſcopo virtutem exigit hoſpitalitatis. Conclauia ad hunc finem vacua, & ornata in Ædibus erant, in quæ hoſpites immigrarent; in eiſque è ſupellectili nitida omnia. Hîc eos tempore ſuo interuiſere humaniùs; proſpicere, ne quid deſit; tractare in menſâ, vt non nimio ſumptu, ita ſummâ comitate; nec intermittere interim ſacræ ac piç lectionis vſum, qui epulum animis miniſtraret. Cùm ad negotia quemquam acciret in domum ſuam, ei, aut venienti, aut manenti nihil non hoſpitaliter ac benignè fiebat. Sic Patres Societatis apud ſe frequenter habuit, quibus Collegium Capuç nondum erat. Ijs verò ſemper aditus in domum familiarior; excipiebanturque, tamquam ex eâdem matre nati. Reficiebat eos cibo: & cùm iam principium ſomni appeteret, ſublatis menſis, ipſemet in hoſpitale cubiculum ſe ducebat veſperi: manè verò, ante primam lucem

lucem, eorum excubitorem, importato, vt ſurgerent, lumine, agebat: ſeruitutem pro Chriſto ſibi, etiam in purpurâ, decoram ratus. Efficiebat hoc ſimul, nè famulis incommodum crearet; ſimul, nè ſibi exercitium humilitatis, hoſpitibuſque ſpatium deeſſet, vt tranquillè (quod ſub exordium diei ſolent) ſe in preces darent.

Domum Epiſcopalèm (vt veniam ad expenſas ædificiorum, de quibus ſacri Canones quoque præcipiunt) malè materiatam, ſquallore obſitam, nec ferè habitabilem inſtaurauit, haud ſanè mediocri ſumptu. Nam conclauia plura, atque percommoda, vt in familiam totam, ad habitandum ſufficerent, exſtruxit; gradus ſtrauit, vt honeſtior in templum eſſet deſcenſus; & supernè, aduerſus imbrium iniurias, contexit; quò ita liceret quâuis illàc horâ commeare.

Sacellum, ſancto Paulo dicatum olim, reperit, in domeſticum penuarium deſciuiſſe; & hoc, vt indigniſſimè factum doluit: ita non ferens locum diutiùs profanari, aram ibi denuò conſecrauit, omniaque iuſſit perpoliri nitidè, atque in elegantiam dari, adſcripto Hebraïcè epigrammate. Pro foribus inſuper S. Pauli iconem, caſuſque eius picturâ expreſſit, quando ſpirans minarum in diſcipulos Domini, cecidit, excuſſus tonitru diuinę vocis. Pòſt ibidem Deo aſſiduè perlitauit. In Æde Vrbis maximâ Sacellum

ſan-

Sanctæ Agathæ, caſtę Martyris, Archipręſul ei proximè ſuperior, inchoârat: id ipſe, non piè magis, quàm amplè, inaurato albario, ſectoque, & illuſtri lapide abſoluit: eiuſdemque defuncti Archipręſulis Cęſaris Coſtę, ſepulchro honorifico ibidem, oſſa tumulauit. Suggeſtum, vt viſitur in Templo iam, non obſcuri operis; atque ſegmentis inſititijs colorati marmoris pulchrè varians, fecit: Odæum, Cœnobitarum in morem, operâ rudi in Æde mediâ ſitum, loco ſummo ſtatuit, atque ad ęui ſui redegit ingenium. Denique, quę in Ædibus proprijs, quę in Templo reconcinnari; ſiue neceſſe; ſiue conueniens fuit, expenſarum impauidus reſtituit. Auxit Eccleſię veſtiarium, atque Æedituo largè omnis generis ornamenta, ſimul pro Sacerdotibus, ſimul pro aris coëmit.

Sed magis fuit in ędificij alterius extructione vehemens, quod pro morum inſtauratione ſuſceperat. Erat Capuę domicilium Virginum, ad Sancti Ioannis, in quod, propter aliqua, quę perperàm euenerant: ſacra Cardinalium congregatio pro poteſtate vetuerat, Virgines alias admitti, ac religioſę vitę ponere tyrocinium. Quę ſupererant, ſic imminutę numero; vt ſex non excederent. Ergo deſiderio familię auctioris, & haud parùm abhorrentes veterem famam, Cardinalem BELLARMINVM, ſtatim atque in

eam

eam Ciuitatem venit, vnum iudicârunt, qui ſui ipſarum, quamuis inclinatas res, poſſet reſtituere. Rogant ſemel rem diuinam, apud ipſas celebret; annuit: dein eâ perſolutâ, tempus ſermoni orant, impetrant: ac manantibus lacrymis flagitant, patronus earum vt ſit apud Cardinales Romæ, vtique vitæ normam quamcumque, & ſub Antiſtitâ, quam eis præficeret, inituræ. Acceſſêre, vt in re diſpoſitâ, precatores, honeſti viri, delecti à Ciuitate, vt nomine publico vrgerent gratiam; cùm inſignis probri loco duceretur, Romæ iudicari, Virgines illas ad vitæ formam ſanctioris haud poſſe recolligi. Atque hi poſt ſupplices preces, oſtenderunt in commune detrimentum hoc euadere, cùm puellæ primæ nobilitatis, paſſim intrà ædes paternas hærerent, deſiderijs illæ quidem nubiles Deo; ſed minimè compotes voti; quoniam in alijs cœnobijs haud eis vacaret, tam erant conferta omnia; & in eo non liceret: quod tamen diues admodum, in cenſu annuo aureorum ad tria millia numerabat. Cardinalem hi ſermones, hæ preces facilè induxêre, vt negotium ſuſciperet; præſertim quia cùm ab aliquo iam tempore, Virgines eędem, quę ſuperabant, optimâ famâ vixiſſent: erat, cur moueret eum magis pręſens pietas, quàm vetus demeritum. Scripſit proindè ſacrę Congregationi ſępiùs, rogauitque, ne clauſę aures forent rediturę virtuti, & vt citiùs nouis Virginibus denuò aditus ad eas impetraretur,

œcono-

Oeconomum ſuũ ad Vrbem miſit, iniunxitque, daret negotio laxiorem diem, nec rediret: niſi priùs difficultates omnes peruinceret, Cardinales circa cauſam inſtrueret, & quæ præſidia rei oportuna, adhiberet omnia. Haud in procliui res fuit: multa audita pridem, nec vt ſacras Deo Virgines decet, animos inclinabant in ſententiam aduerſam: ſed conceſſère demùm, moti magis petentis pietate, quàm earum, pro quibus peteret, meritò. Itaque eſt facta eis poteſtas plures alias admittendi, modò earum mores, & ædes quoque ipſæ corrigerentur.

Re intellectâ, Cardinalis Bellarminus ſtatim, vt Cœnobium ipſarum ab ædibus reliquis viciniæ obiacentis, quaſi inſulæ ſolent, ſegregaret, domicilia coëmit, quæ intra ſepta nouæ deſcriptionis excurrebant; ac pòſt circumſurgentibus muris clauſtra vndique concluſit. Ædificauit intùs dormitorium, tranſitu communi patens, cum lectis ſtratis atque diſpoſitis; ac, prout vſus fert, extruxit officinas varias; foris locum aptauit, in quo fieret eis, atque externis copia ſermonis mutui, ita vt adſtent ferrea lamina diſcretæ, quæ tantùm auditum non adimat, & paruis foraminibus, non toto ſpatio adaperto ſpectent, nec ipſæ videantur vllâ parte oris, quæ impleat aſpectum, haud minùs honeſtâ latebrâ, quàm tutâ honeſtate: Denique non ceſſauit, antequàm omnia pudori ſepta eſſe animaduerteret. Impoſito fabricæ ſupremo lapide,

pide, aggreſſus eſt mores inſtruere, & aliundè magno natu Virgines, ac virtutis antiquæ religioſas deuocauit, quibus nouæ familię ſoboles cõmitteretur. Binæ Surrento Capuam aduenêre, ętatis honore, & probitatis famâ inſignes ambę; atque hę leges à Cardinali acceptas, in eam domum intulerunt primę. Eędem ad tyrocinium alias, ſpem ſtirpis, admiſêre, prorſus lętitiâ communi, & euentu felici: cùm creſceret in dies fama virtutis, Deoque recèns dicatę Virgines ità viuerent, vt fręno quàm ſtimulis indigerent. Veteranę etiam, vt ignes intermortui ſępè maiore flammâ reuiuiſcunt, ſic illę deintegrò; atque ita penitus exuerunt antiquos mores, vt cœtus Virginum nullus totâ Ciuitate haberetur ſanctior: allaudantibus vniuerſis vigilantiam, atque prudentiam Paſtoris; qui non expenſis parceret, non labori, non induſtriæ, cùm res offerret ſe; quę verti poſſe, tùm ad Numinis gloriam, tùm ad commune commodum ſperaretur.

Peracta hęc euentu ſecũdiſſimo, inuitârunt eum, vt ad ſimilem laudem, cõmuniter viuendi, Cœnobium aliud Sacrarũ Virginũ, quibus à IESV Nomen, inſtituti ratio eſt S. Franciſci, ac S. Clarę, perducere conaretur. Earũ plęręque, ex proprio laxiùs cenſu ſuetę viuere: quas meditabatur proindè ſic inſtituere, vt impoſterùm ſingulę nihil haberent. Senſit verò moliri ſe rem perdifficilem, cùm in cõmuni re eſ-

rę eſſent arctiora omnia. Attamen interritus animi inſtitit diuerſa circumſpectare conſilia, ſi quomodò poſſet ea neceſſitas ſubleuari. Intelligebat enim,tunc illis Virginibus fore pronius,vt complexæ paupertatem, quàm inſtitutũ ipſarũ exigit, viuerent, ex penu nihil habentium, quibus & pariter nihil deeſt. Ad eum finem quædam propoſuit Ciuitati; nam ſuccedere res abſque eius ſubſidio haud ità percommodè potuiſſet.

Primum erat,vt numerus earum Virginum augeretur;& hę quibus daretur aditus ad eas, ſuprà reliquam ſupellectilem, adferrent pro dote minimùm aureos quadringentos; quam ſummam ſtatuerat ſacra Congregatio. Alterum erat, vt quia domi non ſuppeteret locus pluribus aggregandis;niſi ſpatia ędium laxarent, ædificium amplificaretur. Tertium, vt Præſides Cœnobij annuos eius prouentus exigerent tempore ſuo: nam poſſent res coëmere tempeſtiuè, & quãdo minoris veneunt: ideoque in hac parte eos attentos perindè, atque ſunt in re propriâ, peroptabat. Quartum, vt parentes Virginum, quæ eſſent certis inſtructæ redditibus, mallent ex his etiam Cœnobij cenſum vniuerſum conflari: neque enim par,aut conueniens videbatur,imperfectè formam optimam induci; vt dùm aliæ omnibus abdicant ſe, aliæ multa poſſideant. Poſtremum, vt in Cœnobio ipſo, quę valerent proſperè, texerent plagulas, aut alia textilia:

lia; ſubtegmina nerent; acu pingerent; de lanificio, ac cœtero opere muliebris ingenij, in commune iuuarent; & repræſentarent Antiſtitæ, vel Præſidibus loci, quicquid lucrarentur, iuxtà præceptum Apoſtoli, laborantes manibus ſuis. Ad hęc, vt Ciuitas proptereà frequenter mitteret materiam ad eas, cui operam adderent; vel, vti res poſceret, cocinnarent. Sic euenire poſſe cenſebat, vt partim ſummâ aureorum circiter mille, qui cenſus annuus Cœnobij erat; partim priuatis quarundam prouentibus; ſi conferrentur etiam operarum pretia, dotes, & eleëmoſinæ (quam copiam ſuis pauperibus nunquam parcè erogat Deus) tantundem in publicum redigeretur, quantum eſſet ſatis ad naturæ deſiderium: quò fieret, vt dum omnia de publico, cum curâ, ac quàm æquiſſimè diuiduntur, ſingulæ colere paupertatem, ſanctè conſpicerentur.

Capita hæc ad illos Cardinalis miſit, quos pro eâ re Ciuitas deſtinârat; néve conſilia tantùm, non ſubſidia ſuggereret, ad finem adiecit. Ego quidem of-
„ fero aureos centum, vt ſpatia dormitoria laxiora in-
„ choentur; dummodò, quicquid erit reliqui, Ciuitas
„ ſuppleat; ſed & in menſes ſingulos addam aureos
„ ſex perpetuos, præter incerta plura, quę conferam
„ ſubindè, ſi voto reſpondeat reformatio. Maiora ne
„ exhibeam, vetant inopes, tum alieni; tum indige-
„ nę, qui premunt me multitudine ſuâ: vt ſileam inte-
rim

rim impenſas Eccleſiæ primariæ, quæ Archipræſuli im- „
minent omnes. Deus vobis injiciat mentem cupidam „
exequendi eius diuinam voluntatem, atque impertiat „
idem, Cœli vberes gratias. Sic ipſe; nec promiſſum id „
benigniùs, quàm præſtitum. Ciues adprobârunt omnia. Ex quo facilè potuit ſacris illis Virginibus victus de publico ſtatui: quas Cardinalis induſtriâ ſuâ, paupertate, alijsque virtutibus venerabiles, ac ſanctas fecit: prorſus, vt imitari viderentur Seraphicos ſuos inſtitutores, qui ſeſe, dum in terris viuerent, eâdem paupertate tantoperè nobilitârunt.

Hâc prudentiâ, ſtuduit Cardinalis Bellarminus materiam lenire, ac diſponere, vt acceptaret formam virtutis, quam in eas Virgines inducere adnitebatur: nec interim deſtitit vnquam, veluti cor, vitam, & cœleſtem ſpiritum, quem ipſe prior duceret, affundere ſuæ Diœceſis corpori vniuerſo.

De Epiſcopalibus functionibus, Eleëmoſinis, & exemplis reliquæ eius Caritatis.

CAPVT III.

DEVOCATVS à Deo, per interpretem vocem Vicarij eius, ad Eccleſiam Vrbis Capuę Cardinalis Bellarminus, ſtatim hoc propoſuit, vt Archiepiſcopus Sanctus euaderet; cœpitque propterea, vt abundaret exemplis optimis, vitas euol-

uere

uere Pręſulum quorumcũquè Sanctiſſimorum. Hoc liquet imprimis ex epiſtolâ eius ſcriptâ, poſtquam abdicauerat ſe Archiepiſcopatu, ad Franciſcũ Archipręſulem Rothomagẽſem, anno milleſimo ſexcenteſimo decimo ſeptimo. Quippè rogatus, vt formam optimi Paſtoris deſcriberet, teſtatus initiò eſt, ſibi clarè Deum indicauiſſe, vt Archiepiſcopi munere defungeretur, vt qui nequiuiſſet indagare modum, quo ſanctus effici poſſet: atque addens idcircò, haud ſe idoneum, vt doceat, quę non didiciſſet: tandem, Si adigis me, inquit, vt
„ exprimam, quę propoſita mihi ratio, vt Archiepiſco-
„ pus bonus efficerer, triennio illo, quo Capuę in anti-
„ quâ, & diù principe vrbe vixi; dicam equidem. Ea fuit,
„ vt tanquam ad ſpeculum quoddam nitens conuerte-
„ rer animo aſſiduè ad vitam, ad mores omnium,
„ quotquot extitêre Epiſcopi laudatiſſimi; annixurus,
„ quoad indulgeret Deus, extinguere imperfectum
„ meum, vt induerem vultus ſimillimos ijs, quos in eo-
„ rum rebus geſtis contemplabar. Quarè ſanctorum
„ Epiſcoporum hiſtoriæ ſuper menſam aderant perpe-
„ tuæ; atque ita euoluẽs ordinatim Surij volumina om-
„ nia, legi Sanctorum Pontificum, Ambroſij, Martini,
„ Auguſtini, Germani Antiſiodorenſis, Anſelmi Can-
„ tuarienſis, Antonini Florentini, Laurentij Veneti Pa-
„ triarchę, aliorũq; vitas; & fructu delectabili illas duo-
„ rum ſanctiſſimorum Pręſulum, qui ~~me Capuæ~~ te ante-
„ ceſſerũt, Ansberti, atque Audomi: nam hi Paſtoris no-
men

men,& munus impleuêre penitùs, ſubditorum; quâ »
animos, prędicatione aſſiduâ verbi Dei; quâ corpora »
effuſis largitionibus; ſemet verò ſupplicatione prefer- »
uidâ nutriendo. Si tu in hęc ſpecula inſpicere, ſi firma »
re animũ his conſtantibus exemplis volueris; horum, »
inquam, qui non virtute minùs, quàm ęuo nos antei- »
uerunt; haud dubitem, quin Epiſcopus ſanctus eua- »
des; ſicut nec ſcribere conſilia meliora poſſum. »
Chriſtus IESVS Princeps Paſtorum, concedat ſanctę »
animę tuę, quod piè adeò deſiderat; & tu diuinam »
ores Maieſtatem pro me homine nihili, ac famulo »
tuo, qui hęc pia ſubſidia tantò ęquiùs flagito, quantò »
me viciniorem video, vt ex hac vitâ, in alteram, quam »
ſpero, migrem.

Hac piâ exercitatione, factus aliorum exemplis, Epiſcopus talis, qui & ipſe deinceps inter exempla erit, à ſacris functionibus nunquam ceſſauit, declinãs omne laxamenti genus, etiã honeſti, & quod ſępe ad virtutem inſtaurat. Quippè ſuberat ei perſuaſio, nauum Agricolam ab agro vix, aut ęgrè ſubmoueri, in eoque adlaborare ſtrenuè, atque aſſiduè, vt fructum inde exoptatum referat. Sic decêre, Eccleſias ab Epiſcopo non deſeri, ſed excoli prępete induſtriâ. Hinc inuitatu facili ad templa ire, in quibus eſſet celebritas, ibique rem ſacram facere; populis cœleſtem alimoniam miniſtrare, ad dies feſtos primarios, ſolemnibus myſterijs, habitu Põtificum, interuenire, ſacro

Chriſ-

Chriſmate, fidei teneros athletas inungere. Ad ieiunia verò quatuor temporum, celebraturus Sacrorum ordinum inaugurationes, ad quas, tum Religioſi, tum Clerici etiam alienæ diœceſis (quę de ipſo apud omnes illuſtris opinio erat) confluebant plurimi, cùm dies inſtabat, affigi publicè codicillos, eoſque, qui cuperent initiari, priùs coram ſe arbitria ſubire pręcipiebat. Attamen quamuis admitteret raros, & tantùm ex graui causâ, iuxta Eccleſię canones; nihilominus quoties oportuit, occupari libens in hoc munere conſueuit; tum in Archiepiſcopatu, tum Romę deinceps in omni vitâ; & pręſertim, ſi quando id expeterent, vel homines noſtrę Societatis, quibus denunciata ad Indos, ad Sinas expeditio; vel quiuis alius, qui ipſo Antiſtite initiari, venerationis ergò, peroptaret: hodieque inſcriptam ſibi à Bellarmino animam, diuinumque ex eius manu ſe duxiſſe characterem, Cardinales quoque aliqui gloriantur. Poſtremò, quicquid poſſet diuini cultus augere ſplendorem, in eo impendebat ſe, non decenter modò, & cum meditatione rituum Eccleſiaſticorum: ſed tanto inſuper cum ſenſu, atque ardore pietatis; vt cuilibet intuenti, vel extimam ſpeciem eius, potiùs initiatus in Cœlo Sacerdos Magnus, quàm inauguratus Antiſtes in terris videretur. Accedebat denique ad Deum pro populo ſuo deprecator; pro illo, ſępè ieiunijs, afflictationibuſque ſemet

immo-

immolans Deo, ſimul victima, ſimul Sacerdos. Interim velut elata montibus ſuis Roma ſpectaculo intereſſet: dum hæc ipſe omnia Capuæ, tantâ cum gloriâ, gereret; Pontifex, boniique omnes in vrbe plaudebant; ex quo Clemens VIII. vt currentem greſſu apoſtolico adhuc magis incitaret, ita caracthere ſuo ad ipſum ſcripſit.

Venerabilis Frater, Sanctam, & Apoſtolicam benedictionem.

„ LIbenter vidimus Angeluccium, Vicarium olim
„ tuum, qui mirificè nos conſolatus eſt, dum nar-
„ raret de te, deque virtutū documentis, quæ edis
„ in Prouinciâ iſtâ, concionibus, ieiunijs, ſupplicatio-
„ nibus, & ſacrorum myſteriorum frequentatione.
„ Hinc verò agnoſcimus, diuinæ Maieſtati quales gra-
„ tias debeamus, quæ tibi tam adeſt feliciter, & vim
„ ſuam cœleſtem præbet, vt poſſis ſuſtinere paſtora-
„ le onus, atque implere miniſterium tuum. Et ſanè
„ nimiò nos æquiùs neceſſitatem habemus poſtulan-
„ di à te ſubſidia votorum, & preces ad Deum; quàm
„ vt tu indigeas, in his quæ agis laudabiliter, vt proue-
„ haris à nobis in meliùs. Nihilominus confugiamus
„ ad Deum omnes, quàm demiſſiſſime, fiduciâque ma-
„ gnâ; cognoſcentes & illud ſeriò, quòd reuerà, cùm hæc
„ fecerimus, ſerui inutiles ſumus. Atque, vt hîc ſcriben-
„ di finem faciamus, impertimur tibi Apoſtolicā bene-

 dictio-

„ dictionem. Dat. in Palatio noſtro Apoſtolico XIIII.
„ Cal. Maij M. D. C. III.

Inter has laudes eius, haud erat ſpectaculum minùs dignum, cui plauderetur, commiſeratio erga inopes. Statim Capuę cùm fuit, iuxtà priſcum morem Sanctiſſimorũ Antiſtitum, in album excipi voluit Ciuitatis familias omnes ære alieno demerſas, aut à re domeſticâ deſtitutas; tùm quę dites olim (vt varia vita eſt) prolapſæ ad inopiam erant; tùm quę ſe diuites nunquam meminerant: atque harum ipſę ſubſidium vnicum fuit. Ob hanc cauſam Alexander Iacobillius, qui ei ab eleëmoſinis, & è Canonicis duo, circumire ſimul ad ædes eorum, qui indigerent: & ubique aureos binos, ternos, & quaternos, aut plures relinquere: referentibus de inopiâ Ciuibus aliquot nobilibus, quibus illorum perſpecta neceſſitas erat; & hoc ſubſidium exactis quibuſque menſibus, denuò in orbem per omnes ibat. Hac porrò diligentiâ, ſicut innocentium ſubleuabatur honeſta paupertas; ita eraſi ex albo prodigi, & ob flagitia egentes. Ad Palatij limina, quantùm aduentaret pauperum, referebant, quod ſufficeret, ne quis reuerteret indè triſtior. Tantummodò ipſes nummatos in copiâ dimitti nolebat; quia, præterquam quod id è re cenſus ſui breuis non foret, hac ratione quodammodò ſibi videbatur ergà eos Parentis, & Oeconomi functus officium; dum hoc pacto ſimul ſedaretur in eis quotidi-

ma fames; ſimul euitaretur, ne (quod ſępè ſolet miſerorum ea natio) caritatem copiosè acceptam temerè prodigerent: Conſuetudinem hanc pro foribus annonam pauperum diſtribuendi cuſtodiuit conſtanter, quamdiù vixit; atque inueniebat, quoties domum rediret, ante veſtibulum ipſum, in areâ, perque gradus confertim diſpoſitam neceſſitatem. Imò in Aulâ etiam nõ deerant, qui libellos ſupplices, in quibus hiſtorias inopię legeret, intranti offerrent: nec eos citiùs obtuebatur, quàm iuberet eorundem ſatisfieri poſtulatis; & dolebat tantummodò, quia conari plura interim nequiret. Hic fuit comitatus Aulicorum multò nobilior, qui aſſueuerat domum eius frequentare; ventitantem excipere; ingreſſibus adeſſe; deducereq; prorſus vt Conſulem inopię, ac Tutorem egeſtatis. Fruebatur verò eorum ipſe conſpectu, ſalutabatque lętiſſimè, adſpiciens ſingulos vultu pleno benignitatis, vt Chriſtum Dominum imitaretur, de quo inter vaticinia ſua Vates Regius olim fore prædixit, vt ſibi honori duceret pauperũ patrocinia, *Animas*, inquiens, *pauperum ſaluas faciet: ex vſuris, & iniquitate redimet animas eorum; & honorabile nomen eorum coram illo.*

Aliquando, quia tantus concurſus ad veſtibulum Ædium erat factus, vt ei aditus prępediretur, quidam è familiâ, nixus turbam illam inopum ſubmouere, fortè ex eis vnũ ad terram dedit. Nimirùm Cardina-

lem quoquè ſupramodùm ea res afflixit,& ideò ſeuerè hominem increpans, verbis monuit grauiſſimis, nè ſuum impoſterùm ità perturbaret animum, néve inopes, quos vtique non ignoraret, eſſe pupillam oculorum ſuorum, ità contemptim acciperet.

Sed quia in hac laude piarum largitionum, multa ſuppetunt argumenta non obſcura eius paternæ caritatis, quà erga inopes in purpurâ vſus eſt, præter ea, de quibus memini, ne ſit neceſſe ad hoc idem redire ſæpiùs; congeram in hunc locum cumulatè, quæ huius rei ſuppetunt, plura documenta. Ante omnia illud affirmare ſit, annui prouentûs ipſius partem ferè tertiam corrogari ſolitam quotannis in pauperes. Cùm enim, ex quo Capuæ Archipræſul deſierat eſſe, ad ſex, ſeptémve millia aureorum eius cenſus redactus, & ſæpè etiam, annos in alterutrum ſi conferas, minor foret, aureos bis mille pauperum in penu (quod apparuit rationes dum colligerem) diſtribuebat. Tertia hęc pars tamen Capuæ multò erat copioſior, quãdo tota ſumma redditutũ eius numerabatur, ad aureorum circiter duodecim millia. His addo, quę diuidebat clanculùm, & manu ſuâ, Diſpenſatori ſępenumerò repetens illud: *Colligite fragmenta, ne pereant*: atque his vocibus adhortans hominem; vt, ſi quid ſuperfuiſſet, etiam è diſpoſito in alia cenſu, id ad pauperes quoque deriuaret. Sanè cùm pro iure, atque ex obligatione id à ſe fieri crederet, genus hoc eſſe quod-

dam

dam interpretabatur, reſtituentis aliena veriùs, quàm ſuamet erogantis; ex quo, & ſubindè citrà meritum id à ſe fieri pronunciabat. Locis ijs omnibus, è quibus ad ſe penſio aliqua proueniret, iuxtà ipſorum ſummam, aut pinguem, aut tenuem eleëmoſinas corrogabat. Capuæ itaque Benefactore abſente haud beneficium aberat. In partem venit etiam huius largitatis Politiana Ciuitas, nè in patrio ſolo deeſſet, quod in alieno efficiebatur. Procidæ inſuper, quamdiu ibi Abbas fuit, ſicut & Taurini, vbi erat Prior, fructus huius beneficentiæ pauperes acceperunt. Verùm quia prolixa narratio de ſingulis videretur, ex his, quæ P. Ioſephus Alemannius è Societate noſtrâ ſcripſit: (erat is in procuratione aliquâ redditium, quos Cardinalis colligebat è regione ſubalpinâ) cognoſci de reliquis poterit. Exiſtimauerat ipſe prò more, ac voto eius fore vtique abundè, ſi aureos ſexaginta in pauperum leuamen annuè daret: nam ædificia inſuper plura collapſa reparari, & reſtitui eius generis alia debebant. Cardinalis tamen, vt ea taxatio ad aureos octoginta quatuor augeretur, imperauit: neque ſummam hanc permiſit deminui, etiam anno, in quo ijdem illi redditus, inſtaurandis calamitatibus ædium dirutarum, omnes abſumpti ſunt. Siquidem aiebat, qui liberalis erga Deum eſt, Deum is ergà ſe multò liberaliorem experietur. Eadem porrò mens illi, cùm redditus hi deinde extitere dimidio minores; maluit enim, vt indicauimus, familiæ numerum, quàm ſalarium inopum arctari.

In

In Vrbe Capuâ, Scribæ publicò iniunxerat, nomina & conditionem notaret obæratorum omnium, qui coniecti propterea in carceres; vt merſos, & obrutos alieno ære ipſe impēdio ſuo, in libertatem, ac lucem extraheret. In eâdem Ciuitate aliquando, ſiuè quòd aduerſus frugibus annus: ſiuè, quia Præfecti annonæ, rei frumentariæ coëmerant minùs, quā requirebatur pro pauperum penu, ventum ab his ad vltimum inopię foret, niſi Cardinalis Bellarminus, rogatus à Primoribus Vrbis, tritici *tumulos* mille, (tot enim deſiderabantur) pretio, non eò, quòd Ciues publicè fecerant, nempè argenteis denarijs triginta in ſingulos *tumulos*; ſed viginti, nihilo pluris, vendidiſſet; iacturam aureorum mille ſpontè ferens, vt famem ab ore pauperum propulſaret, quorū hoc facto non mediocriter annona cōualuit. Ad hęc omnia Cœnobia, & piorum domicilia, certam pecunię rationem ab eius liberalitate; menſe quouis accipiebant. Miſeris egenis quoque detrita veſtium tegmina, & nuda corpora deprecātibus, ſępè rei veſtiariæ copiam fecit; quâ pretia exoluendo, vt lacernas emerēt; quâ ſuas ipſemet veſtes, ſi quidem illę ſuppeterent, participando. Ijſdem conceſſę lodyces, ſtragula, aliaq; è cęterâ ſupellectili, adeò perennui largitione, vt paritura ipſimet egeſtatem metueretur.

Quę facilitas omnibus benefaciendi, aliquos reddidit intereà nimio ſanè audaciores, & tantę cōfidentię,

vt

vt peterent plus quàm liceret, & quàm deceret. Auditus quidam, ſi non ſicut optauerat, in ſuâ calamitate tegeretur, ſubſidiũ orare, minaciter magis, quàm ſuppliciter, & quaſi fugeret eum ratio, Cardinali inclementer loqui. Cùm ipſe non indignari, quod flagitaretur ſubſidium procaciùs, quàm ex more, & modeſtiâ pauperũ: ſed perindè, ac famuli ſoleant, videretur; per pacem eũ alloqui, ac demiſſione incredibili ſuadere, vt animũ induceret, quam daret ei ſummam, iuſtam, & neceſſitati parem eſſe; quia curãdum ſibi, ne, niſi cautim, & paulatim daret, faceret pręter aliorum neceſſitates. Sępe tamen hos etiam, qui nõ vt mendicum, & ſupplicem animũ decuit, egere cum ipſo, haud triſtes ab ſe dimiſit: ſiuè quia efficacior ad perſuadendum omni arte, tametſi fortè modum excedat, neceſſitas eſt: ſiuè quia homini liberaliter pio religio erat, re, & pręſidio non eſſe beneficum adęquè, atque oratione, verbis ipſos leniſſimis conſolando, foret.

Alius eò euaſit improbus, ac temerarius; vt ſibi ipſemet conſuluerit. Exactam pecuniam ex frequentatione Odei Cardinalis, vt dixi, attinebat apud ſe, vtpote quàm corrogaret manu ſuâ in viros honeſtis natalibus, paſſos infortunia rei familiaris. Cùm enim ĩtelligeret, quàm illi defugerent coràm alijs ex inopiâ verecũdari, nolebat, largiẽdo per alios, inuiſam facere, & illorũ pudori grauem liberalitatẽ ſuã. Adſeruabat illam itaque in pluteo conclauis, intra loculamenta

menta librorum: quod aduertens neſcio quis, vt clàm eam ſurriperet, quodam die, dum abeſſent, qui vices obeunt ante cubiculi fores, ſuſpenſo gradu occultans motum ad locum adijt, pecuniæque potitus, pariter ſine ſtrepitu exinde ſe protinus dedit. Ex eâ re Cardinalis mœrere animi haud ſanè mediocriter cœpit. Nam orta ſuſpicio, ne manus furti rea familiaris eſſet: ſed triduo pòſt à Religioſo viro intellexit, pecuniam clàm indè ſublatam ab homine egeno, pro quo rogabat, vt ei ſummam illam remitteret; fatenti nimirùm, ſe in lubrico inopiæ ſtantem, conſilium accepiſſe à præſenti neceſſitate. Tum Cardinalis, vt qui quærere maluit, quis eam abſtulerat, quàm arguere; tantùm inquit, & cur non eam petijt, quam conceſſiſſem vtique, ſicuti iam libens concedo? Significauit dein Oeconomo, ad quem pertineat facinus, veſtigia iam extare, in rem propterea vlteriùs ne inquireret. Cœterum id ſibimet gratulatus eſt, tamquam factum ex voto animi ſui, quòd ea pecunia pauperis in ſubſidium ceſſiſſet; præſertim ex quo audierat, hominem conſcientiâ adductum, poſſe iam pecuniam eandem, Deo, aut propitio, aut non irato poſſidere.

Haud diſſimilis liberalitas, quam expertus eſt Materiarius quidam pauper. Huic opera vita erat, quam Sacello S. Agathæ locauerat. Sed inopiâ tentatus elaboratos lapides aliquot, politos, & eidem

Sacello

Sacello iam aptos, diuendere meditabatur. Hoc vbi agnouit Cardinalis, queſtus eſt, quòd ſibi animæ adeò graui cum damno proſpicere, ſilentiumque, & paupertatem, cuius vtique pudor peſſimus eſt, poſtulationi, ac beneficio præponere maluiſſet. Dein aureis decem inſtructo ſpem fecit, fore, plura vt acciperet, quàm optare auderet, modò beneficium petere non verecundaretur. Sed mens optimi parentis adhuc minimi ducebat, domi opperiri perpetuò inopes, vel demandare alijs curam eos peruenandi, perquirendique. Statuit proindè, quicquid ægrorum in Ciuitate eſſet, viſitare; egitque hoc libentiùs, ſicubi audiret in valetudinario, dum eò ſe conferret, è Clero quempiam decumbere; cui & eleëmoſinas largè diſtribuebat. Inuitatu etiam cuiuſuis, & ſi non primæ ſortis, ac notæ, ad Ædes Ciuium ibat, vbi quis æger eſſet. Quæ facilitas eò demùm euaſit, vt iam ferè domus tacta febrium lue in Vrbe Capuâ ſupereſſet nulla, ad quam non veniſſet ſuper affectos ritè precaturus. Promptiùs inferebat ſe in tuguriola pauperum, ſingulos, vt ſeſe haberent, rogitans; & pòſt, curam eorum prefectis inopum demandabat. Quam ipſe rem per ſe popularem ità dexter agebat, vt ſimul medendo corporibus, animis multo priùs mederetur. Grauis enim eum commiſeratio angebat illorum, qui in periculo verſabantur, metuebatque, ne deberet reus expoſtulari ad tribunal Dei, ſi non moliri

cuncta ſatageret, quò è faucibus lupi Paſtor ouiculas vindicaret. Dùm ità circumiret etiam; abſtergere inter familias odia inueterata; inclinare ad concordiam; & ſi quos magnis nominibus premi, nec eſſe tamen ſoluẽdo audiret, adniti, vt ſi quo modo poſſet, ijs, & creditoribus conueniret. Demùm, ſi quem ſpes reliquerant omnes, hunc adſpicere tamquam filium, & infortunium eius tam ferre familiariter, quàm ſi ferret non alienum, ſed ſuum. Prorſus, vt cum Apoſtolo poſſet vſurpare illud: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?*

Hę res geſtę, ſicut Spiritûs ſancti miniſtrum, & interpretem decuit, ipſum ęſtimatione omnium reddidêre virum non ſęculi ſui, & tantùm non ęuo ſimilem claris Eccleſiæ luminibus, Gregorio, Baſilio, Ambroſio, Auguſtino. Hinc erant multi eâ perſuaſione, vt impetrari poſſe à Deo crederent, ſi quæ peterentur vi meritorum eius: quod & viri laudatę fidei ſacramento affirmârunt. Puellę geminę obſeſſę à Dęmone, ex hac opinione in Templum inductę fuerunt, vt à Cardinali, ad robur animæ, Chriſmate ſacro illinerentur; eoque veſtigio eſt vtrique ſolutum hoſtis praui fœdum illud obſidium. Sed vt fœminam aliam Cardinalis ſimili ab ęrumnâ liberaret, neceſſe habuit nimirũ induere arma virtutis Dei. Adduxerant è vicino pago fœminam ruralem, nomine Baroniſſam Prateliam. Agnouit Cardinalis energumenam

nam eſſe, monuitque reuerteret ad ſuos. Pòſt ratus omni ope adnitendum, vt aliquâ tandem ratione ſanaretur; vti obſidentium non ignorabat ingenia, & Chriſti Domini peritiam, traditamque ab eo curationis artem callebat; inſtitit auſteriùs, quàm ſoleret etiam, ieiunijs, ſupplicationibuſque eorum impetum frangere. Hoſtibus ea res flebiles breui clamores gemituſque excitauit, & ſenſêre vim illicò indignabundi, fortes armati, ac arcis illius præſidiarij
» nequam. Ex quo auditi ſunt clamare: Ecquid
» nobiſcum habet Cardinalis Bellarminus? torquet
» nos nimio ęquiùs; hinc faceſſere iubet; cogit nos im-
» migrare aliò; vtique immigrabimus. Hęc iterando rabidè, abſque Eccleſię alijs amuletis, exceſſêre gemebundi, ac mulierem reliquêre, ab omni iactatione conquieſcētem. Quod beneficium hodieque multi, ſancti Paſtoris meritis iurati, acceptum referunt; & fama etiam publica ſuffragatur. Alię item ægritudines ab eo ſedatæ, quas ingenioſè pius, vt ad velandam gloriam, ſupprimendamque laudem ſuam, aliò deriuaret; hac induſtriâ potiſſimùm vtebatur. Ad affectorum corpora fruſtulum chartę, è S. Ignatij litteris interciſum, cum ſubſcriptione illius, ferebat, ex eoque conualuêre permulti. Sed notabilis imprimis res, quę ſubſequitur.

Filiã duodénem maló dęmoni mater improba deuo-

uerat, & in oculis eius, ærumnoſam, ac miſeriarum compotem puellam vexator ſæuus cruciamentis, verberibuſque ità accipiebat, ac ſi veram ancillam Herus aliquis immanis verberaret. Factum indigniſſimum vix audijt bonus Paſtor, cùm reputans ſua intereſſe crudele iugum infelici adimere, ſingrapham, ſacræ inſtàr edictionis, exarauit. Imperabat in eâ Dæmoni, deſineret puellam exagitare, ſibi vtique traditam à Deo, tamquam tutori animarum, cuſtodiendam. Ad hæc, Matrem aſſerebat Dei ius impiam violaſſe, nec potuiſſe ità filiam prodigere. Tum voluit ſingrapham collo puellæ adalligari vnà cũ Sancti Ignatij, quam dixi, litterarum ſubſcriptione, quæ paulò pòſt, quia ægro cuidam alteri mederi debuit, iuſſu Cardinalis recepta; cùm diceret puellæ ſatis remedij in ſingrapha eſſe. Res mira: ex eâ die impius exagitator ad puellam nunquam acceſſit propiùs: ſed à longinquo loco tantùm ad initia ei oſtentare, & offerre torques, gemmas, aurum, eaque polliceri, modò abijceret, proſcinderetque ſcripturam illam, quâ ſe ab acceſſu prohiberi dictitabat. Itaque eſt adactus, non ſua ſponte, ſed eius occultâ vi, niſi ſublata ſingrapha, non remeare. Atque hæc aliqua ſunt ex his, quæ Capuæ cũ admiratione geſſit, dùm proſpiceret, tùm animarum, tùm corporum indemnitati.

Romæ totum illud ſpatium, quod ibi exegit, poſtquàm Archiepiſcopatu abdicauerat ſe, in menſes ſingulos, aliquot Religioſorum Domicilijs certam ſummam perpetuò diſtribuit; præter alia, quæ frequens eroga-

gabat in pauperes, tranſalpinos præſertim, qui ad ipſum, tanquam ad parentem fidei ſuæ conueniebant: aluitq́ue interdum ex eis quoſdam, vel communicato illis proprio ſuæ familiæ penu, vel pręsẽti pecuniâ.

Primi generis largitio vna, & præcipua fiebat ad S. Vitalis, in quod Vrbis templum pauperes, quâuis hebdomadâ, congruere ſemel, atque à candidatis Societatis, qui ponunt ibi Tyrociniũ in Chriſtianâ doctrinâ erudiri ſolent. Poſteaq; pane vno triticeo, nummulisq́ue pauculis donantur; &, vt experimentis cõſtat, hâc inſtitutione iuuatur plurimùm infelix illa mendicitas. Panis dedit ſimilem annonam Eccleſiæ olim tituli ſui, S. Mariæ in Viâ, vt ibidem alij ediſcerent fidei documenta, continuauitq́ue, poſtquã titulum S. Praxedis à Paulo V. Pontifice, inductus veneratione, ac ſtudio ergà S. Carolum, impetrârat. Et verò Ædes S. Praxedis meritò id ſibi gloriæ tribuere poteſt, quòd ad S. Carolũ Boromęum, Robertum Bellarminum Cardinalẽ titulo cognominem, & per virtutes geminum adiungere potuerit. Reperit in hoc templo ferè nudatũ tectum patere imbribus putrefaciendum; quare ſtatim reſtituit ſumptu ſuo, & pro loci dignitate reparauit. Expenſis adhuc maioribus ad Ædem S. Mariæ in Viâ, ære item ſuo Ædificium Templi, & veſtium Sacerdotalium Ædiculam abſoluit, conſecrauitq́ue Aram eius maximã. Nam Cœnobitę loci hoc ſubſidij maluerunt; quàm

quod

quod Cardinalis meditabatur, vt veſte biſſinâ Templi parietes, quaquà circumeunt, conueſtiret. Primis purpuræ annis, in hac ipſa Æde, horis pomeridianis cõcionatus eſt ad dies feſtos omnes, tùm Cineralium, tùm Aduentus Domini, & ſemper in auditorio freq̃ẽtiſſimo. Egenis item, qui in eâ Tribu, atq; viciniâ verſabantur, benefactis haud vnquam defuit; ne quidem hunc ſterilem Titulum ſufferens eſſe abſque penſione beneficentię ſuæ. Et fuit ſanè adeò ad rem attentus, quò, in gratiam pauperum, plura ſeponeret, vt niſi hac vnâ illecebrâ ſanctè adigi ad parſimoniã viſus eſſet, potuiſſet adire notam ſordidi hominis, atque deparci.

Cùm habitauit ædibus propè ad S. Mariæ Trans Tyberim, qui olim locus celebris olei perẽnitate fuit, habuit in propinquo muro horologiũ ſolare, in quo gnara cœleſtium rerum ingenia, quę ſol ſpatia immęſa peruoluitur, ea exiguum in locum arctant, & colligunt; vt cùm libet rationes diei, quę pereãt, quę ſuperent, mortales, certi de iacturâ, incerti de luce reliquâ ſubducant. Sed ſtilus ferreus, qui ambulantem vmbram ſuper diſpoſitas lineas, indices horarum, immotus trahit, erat ſede aliquantulum excuſſus, in quâ ſitus oraculum eſt diei. Ergò, quia nequior factus ipſius vſus, oculos conſulentes de die, ac de luce fallebat. Cardinalis de ipſo reſtituendo cogitauit: ſed retardatus eſt, cùm rei pretium indicarunt,

dena-

denarios argenteos duos. Æſtimauit enim ęquiùs eos ſeponi pauperibus, quàm in rem inſumi haud omninò neceſſariam. In hoc ſenſu abundauit adeò; vt qui tam perfectè præſtò egenis foret, planè deeſſet ſibi. Hinc factum eſt, vt veſtes ſuas detritas reſarciri ſemper curaret. Et aliquando, quia ei crura defluxu vitiati humoris ſolito grauiùs intumuerant: medici verò ſuaſerant, tibialia compararet ſibi laxiora: ipſe tametſi horum pretium, quòd ex panno ſolerent fieri, perpaucorum eſſet argenteorum, ſubdidit etiã tùm pecuniam illam qualemcũq; congruere meliùs pauperibus, & tibijs ſuis abundè fore, ſi quoquo modo illæ tegerentur. Quare laxari par tibialium, quę domi erant vſus antiqui, eiſque medijs aſſui fruſtulum è ſimili panno ad eum finem, imperauit. Dum ita igitur de hoc veteramenti genere rarò, ac vix audito in purpurâ ſtatuitur, obijciuntq́ue familiares, prorſus operam ludi, tibialia reconcinnando, quę haberet ab annis iam duodeviginti; interim ad vela cubiculi foribus prętenſa adſtat ex inopinato Adoleſcens, cum epiſtolâ ſupplice, ac eleëmoſinam pro Genitrice petit, quam ſe in itinere deſtituiſſe, nec eſſe modum eam indè auehendi, dictitabat. Qui aderant Aulicorum, interpretati ſunt commentum illud ſabricatum graphicè, vt referret pecuniam veram ficta narratio. Idcircò, tamquam ſi compoſitis mendacijs aduenieſſet, denun-

nunciandum homini iudicârunt, vt abiret ſtatim, neque ſe inuerecundè adeò inopem adſimularet. Sed Cardinalis, cui pro tibialibus religio fuerat, denarios argenteos ſex, in ſui commodum exponere, duos aureos ei, cętera defugiens quærere, largitus, voti compotem dimiſit. Sic ipſum idem amor erga pauperes, omnium, quæ eſſent domi, diuitem, pro ſe omnium inopem effecerat.

Fœmina item honeſta, ſed ſita inter anguſtias arctiſſimæ neceſſitatis; quia dum perquireret notitiam Præſulum, de quorum erga pauperes liberalitate opinio Romę foret, Cardinalem Bellarminum audiuerat in hac parte primum eſſe, auſa eſt ęrumnoſam cōditionem ſuam ei exponere; neque irritis votis. Nam Cardinalis eam, quamdiù vixit, in menſes ſingulos aliquot aureorum cenſu perpetuo ſuſtentauit: in hoc genere erga alios plurimos eò progreſſus, quò progredi benignitas poteſt. Copiam ſermonis, dum mēſę accumbere vellet, rogauit Britannus neſcio quis pauperrimus, & tantùm non fame enectus. Cardinalis continuò, ſicuti S. Martinus togam olim, obſoniolum ſuum, quod vni ipſi, nec ſanè lautè famuli parauerant, cum eo diuiſit; & in hunc modum fraudans ſe victu ſuo, ſępè pauperes partibus de mensâ dignatus, proprias eis epulas diſperſit. Ad inopem alium ęgreſcētem, qui pro foribus domus eius emendicaret, aliàs proprię paropſidem offulę de prandio miſit.

miſit. Quandò circà viam affecta pauperum, & omnium egena corpora proſtrata offenderet, aut ſciret propè Ædes ſuas decumbere; ſtatim, vel manu, vel geſtatoriâ ſellâ, ad commune hoſpitium ægrorum, eos deuehi iubebat. Sunt qui referunt, cùm ſimilem ægrum inueniſſet in loco, vbi geruli haud in promptu forent, à quibus in valetudinarium aſportaretur, miſerum hominem pannis, & morbi lue deterrimum, ab ipſo in Rhedâ collocatum, & abductum directè ad Xenodochiũ. Prorſus, vt in his Chriſtum latentem ab eo cerni oculis quodammodò exiſtimares, ac illi obſequia deferri, qui, cùm è cælo ius in causâ generis humani poſtremum dicet, denuò vſurpaturus eſt illud. *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*. Vſus verò eſt manibus pauperum, tanquam naui gerariâ, vt antemitteret theſauros ſuos in loca, vbi neque tinea corrumpit, neque fures prędantur, & inde fortaſſis nata ei cupiditas illa migrandi, vt frequẽs dictitabat Cęlum innuens, in domum ſuam. Nam eam inſtruxerat [illegible] ſupellectili variâ, alteram, quam habebat in terris, cò vſque deſpolians.

Non omittam, ipſum ſic affici ſolitum, hac erga inopes commiſeratione, vt ad eam alios prorſus conaretur inducere. Nobili viro, qui Venetijs librum, de quo errorum ſuſpicio, Romam ad ſe miſerat, reſcripſit: quoniam volumen illud vulgo erat venale, futurum fuiſſe magis è re pauperum, ſi eis denarios tres

argenteos erogaſſet, quos impenderat, vt liber ſoluto precio ad ſe deferretur. Capuę Præsbyteri, & Clerici Archidiœceſis, veluti iam inducto more, quibuſdam anni celebritatibus Archiepiſcopum muneribus colere pridem inſueuerant. Cardinalis, cui ſtabile ſemper fuit, manus haud vllius doni contactu polluere, literis datis ad omnes Archipresbyteros obiacentium pagorum, quod per internuncios, Eccleſiaſticis omnibus ſignificauerat Capuæ; idem in verba hęc
„ fermè perſcripſit. Decretũ eſt mihi, proximis Nata-
„ libus, & deinceps perpetuò, à noſtris Presbyteris, &
„ Clericis munuſculi loco nihil accipere. Proinde à te
„ commonitos eos, qui in tuo ſunt Archipresbyteratu
„ velim, vt nihil quidquam adferant. Si enim ipſi ſunt
„ pauperes, ſemet inuitent, ac tractent potiùs ijs do-
„ nis, quorum eſſe me participem voluiſſent. Sin di-
„ uites, & copioſi; in pauperes munifici ſint: & mate-
„ ria erit vtique clarioris meriti, mihi quàm ſi dediſ-
„ ſent. Dominus noſter ſit tibi Deus totius conſola-
„ tionis, &c.

Prætereà quia obſtrictum ſe magnis obligationibus dicebat Petro Cardinali Aldobrandino; huic haud aliâ ſignificatione conteſtari gratum animum ſuum, aut poſſe ſe, aut debere intelligebat, quàm ſi adhortaretur, Deo vt ſe totum permitteret, dicaretque. Inter præcipua verò, quę ſuaſit, officia pietatis, imprimis fuit, vt ſtabiliret, deſtinaretque diutur-

nam

nam aliquam, atque manſuram in pauperes opem, aut annonam. Epiſtolam legi ab eodem Cardinali Aldobrandino Taurini datam, Prid. Idus Ianuarij M. DC. IX. in quâ reſponſio eſt ad capita duo, ei Cardinali Bellarmino propoſita. Nempè, vt foueret amplexibus beneficentię ſuę illos, quos ad Chriſti ſigna ſubindè nupera fides adducit: & pręterea, vt regioni ſuę, atque viciniæ aperiret tabernam Medicamentariam pauperibus gratuitò, cùm oblangueſcerēt, adeundam: Medicíſque ad eum finem ſalaria ſtatueret. Ad quę ille, tùm habere ſe quidem animi pronitatem faſſus eſt: ſed ob neceſſitudines alias Eccleſiæ diſtrahi, ne quod ſuaſerat ipſe, ſtatim exequeretur. Et ſanè, quoad ęgrorum procurationem, haud diù Romę fuit eius deſiderata liberalitas. Denique, vt data in loco Principibus viris conſilia plura ſileam, Cardinali Montalto, quem nouerat ad benefaciendum ſatis procliuem eſſe, per idoneos interpretes mentem hanc inijcere ſtuduerat, vt vel in Vrbe Româ, vel in Ciuitate quâuis aliâ, vbi tamen Academia non deeſſet, Collegium pauperum Clericorum ruralium, & ex obſcuris pagis, fundaret: vbi victu, & veſtitu haud ità multùm diſſimili, atque ſoleant domi ſuæ, vtpotè tenues animæ, educarētur, donec ſtudijs humanioribus, & præceptis ijs, quæ ad conſcientiæ iudicia pertinent inſtructi, patrium ſolum repeterent, & Domini vineam excolerent. Etenim exemplis plurimis,

 planèque

planeq́ue conſtare aiebat, ex eo genere non paucos, poſtquam fuêre in Seminarijs iuuenum nobilium, verecundari, atque ægrè induci, vt inter abiecta Pagorum ſuorum denuò ſe infelicitent.

Qualis in eo fuerit amor Iuſtitiæ, ac tutela Iuriſdictionis.

CAPVT IIII.

TImore Domini ſancto, caſtoq́ue, vſus Cardinalis Bellarminus eſt, tùm in omni vitâ, tanquam primo lapide, ſuper quem incumbit vera virtus; tùm præcipuè in æquitate adminiſtrandâ; vt eo quaſi ſtamine, ne deerraret vijs in ambiguis, duceretur. Proindè, quæ Diuinæ Maieſtati honorem augerent, ſæculi rationes omnes ſegregans à conſpectu animæ, ea ſequi ſemper; & quia antè conſcientiæ, quàm famæ conſultum vellet, hoc tantummodò putare glorioſum, quod eſſet tutiſſimum. Itaque proprium ei fuit, inter agendum, conſectari opiniones ſecuriores, quæq́ue duris tantùm iudicibus probarentur. Sed arduum imprimis eſt, poſſe rem ità æquis ponderibus librare, cùm ad exercitium ipſum deuenitur, tuendæ nimirùm æquitatis. Si enim ad hoc Iudices cœteri ægrè ſufficiunt; quid Eccleſiaſtici, qui propterea Paſtores nominantur, & Patres, quià ipſis temperandum ingeniú eſt, & eius virtutis amarities præparanda; quaſi melle, aut argento ſolent; dulcedine,ac

ne, ac nitore caritatis?

Hæc Bellarminus cùm probè intelligeret, fuit in gubernatione ſummæ æquitatis, ſummæ lenitatis: coniecti ab eo in carceres pauci; nulli æternis addicti vinculis; neque timendum in eius Tribunali erat, nè; aut cauſæ fierēt perpetuæ; aut gratiâ vim æqui haberet; aut culpa auro redimeretur. Quicquid monendo corrigere poterat, non id animaduerſione aliâ puniebat; quippè qui nollet mortem peccatoris, ſed magis, vt melior, innocentiorque viueret. Nemini magis iudicabat ſeueritatem miſcendam eſſe lenitati, quàm Epiſcopo, cui quærendū vtique aiebat, quemadmodū cœteris exemplo ſit: ſed non, quemadmodū oporteat reo inijcere catenas; ad triremes damnare; aut adiudicare ſuſpendio. Hæ res alienæ ab ipſo, niſi perpelleret neceſſitas: illudque ſemper æquè ſollicitum habebat, nè, aut Clerus peccando, aut ipſe puniendo modū excederent. Non ideò dedidicêre ſubditi parere, vel metuere; quia conſtans opinio erat, nullo diſcrimine inopis, aut potētis; ſed omnibus ſummis, infimiſque iura æquando, ſolitū eum allaudare probos, malos corripere; itàque lenitatem Paſtoris, & Iudicis auſteritatem temperare, vt hę ſibi mutuò exceſſum adimerent: ſed alterutram neutra deiuuaret. Quarè cuncti magis metuere voces, ſi quid moneret ipſe; quam exhorreſcere in alio Tribunali pœnas. Erat tamen aduerſantibus, & his, qui correptioni ob-

ni obluctarentur, aſper; neque fauore vllo inclinari poterat, vt cum eis, perfecto odio incitatus, rediret in gratiam. Sed ſi cederent, erat idem placabilis, & clementioris ſententiæ: cuius ſemper vtilem eſſe famam, docuit exemplo ſuo.

Simultates concoquere non poterat, quibus Eccleſiaſtici, vel de iuriſdictione certant, vel vter alteri loco, ac dignitate ſit anteferendus: cùm has controuerſias vix duceret poſſe agitari, quin populis offendiculum creent: dùm Pręlatos adſpiciunt, inſtitutos à Deo in procurationem pacis; fouere contentiones perpetuas, & videri hoſtibus ſimiliores, quàm fratribus. Admonebat verò, ea diſſidia finirent penitus, tollerentque; ſi qui è ſubditis in id certamen dignitatis fortè incurriſſent. Aliquando etiam viro illuſtriſſimo ſcripſit; Iuſtitiam, & Caritatem ſorores ambas eſſe, & curandum, vt perindè ac ſorores decet, ſi lites oboriuntur, viuant, nec, adiudicatâ re, diſiungantur. Sed non tulit propterea in re quâpiam ſui præiudicium fori: vt videre fuit, cùm vnus è Canonicis ipſius vocaretur in ius à Cardinali Geſualdo Archiepiſcopo Neapolitano. Etenim neque ire permiſit, & ad Cardinalem ſcripſit, ſuâ nimirùm intereſſe, cauſæ illius arbitria ſtatuere, proindè rogare, vt cauſam ad ſe reijceret: & quia nihil non ſtatim impetrat vera humilitas, cùm prudentia, & ratio illam acuit; facilè impetrauit, quod in

re præ-

re præſertim liquidâ petebatur. Contrà ſi quæ inciderent dubij iuris, mirè tùm aliorum ſe iudicio fingebat.

Satis exemplum dedit litis in materiâ iuriſdictionis citò dirimendæ, cùm controuerſia nata ſuper Abbatiam S. Michaëlis Procidæ, quam ei Clemens Pontifex ab exceſſu Cardinalis de Aragoniâ, contulerat. Illam is, tamquam *Nullius Diœceſis* rexerat perpetuò; neque Cardinalis Geſualdus Archiepiſcopus Neapolitanus, quamuis hoc tentauerat ſæpiùs, potuerat iura ibidem vlla exequi: altero id prohibente, ac tranſmittente etiam Eccleſiaſticos ſuos, vt ſacris initiarentur, ad finitimos Epiſcopos Ænariæ, ac Puteolorum. Nam primus ex his ſecundo, alter quarto tantùm aberat indè lapide. Poſtquam verò Cardinalis Bellarminus Antiſtes eius loci renunciatus eſt; noluit impendio inutili, & cum iacturâ caritatis, diutiùs eam litem alere. Ergò cùm Cardinali Geſualdo ad colloquium veniens, ei auctor fuit, vt finiri iudicio rem conſentiret; &, annuente Pontifice, arbiter, qui litem æſtimet, poſſeſſoremque conſtituat, electus eſt Camillus Burgheſius Cardinalis, qui & ipſe deindè Paulus Pontifex eius nominis v. Is merita, & rationes vtrimquè verſans in animis ſecum, cenſuit eam Inſulam Neapolitanæ Archidiœceſis partem eſſe, & iuriſdictioni huius, quod indè fit, clericos illius, ſubiacere. Itaque gauiſus Cardinalis Bellar-

Bellarminus litem extinctam eſſe, Procidam contulit ſe, atque ad adeundam poſſeſſionem loci Cardinalem Geſualdum ipſemet Neapoli tranquilliſſimè deuocauit.

Sed acerbiores cõtrouerſiæ in ijs locis, neque perrarò, innaſcuntur, vt Eccleſiaſtica auctoritas vindicetur, ſicubi eam ſæculi forum inuadere non reformidet: ex quo ſeminaria diſcordiarum exiſtunt ſępè, atque ærumnoſi caſus. Ab hac parte Cardinali Bellarmino fœlicitas ſumma fuit: &, vt appareat, quâ flexione vſus ſcopulum hunc declinârit; illud dici poteſt: nempè ipſum priùs facto impleuiſſe, quod poſteà ſcripto docuit, commonitione ad Angelum de Aciariâ Sororis filium, cùm is inauguratus eſt Epiſcopus Theani. Partem eius commonitionis, hoc loco intexam, in quâ planè viſus eſt exprimere perfectam imaginem ſui. Dum appoſitis commentationibus, eum ad tantæ prouincię molem inſtrueret, vt paratus accederet, meditareturque per otium, quę deinde vſui forent: Septimo cap. circà modum, moremque agendi erga ſæculi Principes, vt Eccleſiaſtica libertas „ aſſeratur; fermè hæc habet. Iuriſdictio hæc videtur „ noſtro æuo lapis offenſionis, & petra ſcandali; nec „ facilis eſt ipſius tutela, quin Principum incurratur „ offenſio. Et tamen negligi nequit, quin Deus, & Vi„ carius Dei negligantur. Subeunt animum imprimis „ duo, & vtrumque ad rem hanc arduam conducibile

vide-

videtur. Primùm, ne in hoc genere rem vllam aggrediamur temerè, aut ſine antiquis conſilijs. Quod ſi nobis prę ſtò non ſint viri ſpectatæ ſatis, ac celebratæ prudentiæ, quos conſulere poſſimus, debemus ſciſcitari ſaltem per interpretes litteras doctos homines, & probos. Alterum; ſi in eum modum viuamus, vt fiat perſuaſio, tùm Principibus; tùm eorum Adminiſtris, nos occaſiones rixarum haud peruenari; & controuerſias exuſcitare dumtaxat, profeſſione obſequẽdi Deo, & ex deſiderio ſimplici tuẽdæ Eccleſiaſticæ libertatis. In his, quæ ſunt reliqui, cupere nos eorum amicitias, eaſque vti permagno ęſtimamus, ita optare etiam exemplis omnibus demereri. Siquidem neque pauca, neque perminima ea ſunt, quæ Principes Viri, ergà Epiſcopos beneuoli, permittunt eis, huius vnius mutuæ viciſſitudinis cauſâ: non permiſſuri alias, ſi Epiſcopos eoſdem, aut minùs amicos, aut palàm aduerſarios habeant.

Hæc duo ipſe, vt erat adæquè in factis conſtans, atque in conſilijs pius, coluit ſemper: & ideò fœliciter adeò ſuos regere potuit. Quàm de ipſo laudem, nec ignorauit, nec tacuit Roma; eamque illi Clemens Pontifex etiam gratulatus eſt manu ſuâ, reſcribens epiſtolæ, in quâ recurrentes anniuerſarias ferias Diuinorum Natalium ei fauſtas precatus fuerat. Sic verò inquit.

Venerabilis Frater.

,, SEnſu cordis maximo amplectimur officium, quo
,, fungeris erga nos occaſione Natiuitatis Domini;
,, fuiſſetque ſenſus hic maior, ſi declinans cõſuetudinem
,, hanc Aulæ, colligere ſtuduiſſes potiùs, quæ peccaui-
,, mus anno iam exacto, vt de his nos cõmonitos erudi
,, res, quo pacto poſſemus, annũ inſequentem ab eis re-
,, purgati meliùs auſpicari, ſeruiremuſque impenſiùs
,, Diuinę Maieſtati. Gratulamur tibi ex animo pacem
,, iſtam, quâ frueris cum adminiſtris Regijs, qui cùm ca-
,, put habeant, egregium illud ſanè, atque optimum, &
,, cui nos laudem debemus, ſpem nobis faciunt fore, vt
,, tu eam iam partã facilè poſſis tueri. Inuidemus, ſi fas
,, eſt ità loqui) deſiderio interiori, quo in dies magis
,, optas, ſtudia omnia, & vires impendere in animarum
,, iſtarum bonum, quæ tuę ſunt creditę procurationi.
,, Hæc cogitatio vrit quotidiè, atque expauefacit nos
,, magis; & niſi Deus benedictus, qui cognouit figmen-
,, tum noſtrũ, exhiberet nobis interdum ſinum benigni-
,, tatis ſuæ, ſubijceretque noſtræ meditationi, quid
,, non ſperare debeamus ex pollicitationibus amplis
,, miſericordiæ eius, profectò deſponderemus animum.
,, Vale, & noſtri memor ſis in ſacrificijs, & precibus
,, tuis. Datum ex Palatio noſtro Apoſtolico, hâc die
,, SS. Innocentium M. DC. III. Sed vt intelligatur, quàm
non

non hoc pepererit ſola felicitas, aut fortunata ætas, ſæculi eius, abſque induſtriâ ipſius, adducam artes, quibus id conatus eſt; apparebitque, cùm plurimùm contulerit ad hoc gratia, & dignatio, quæ de ipſo haberentur, plus ei adhuc in negotijs capeſſendis, tractandiſque alacritatem, & conſilium contuliſſe. Primum locum ſibi regio iure vendicat obſeruantia, quâ Philippus Rex Hiſpaniarum III. & Regina coniux Margarita Auſtriaca ipſum venerabantur. Scripſêre ambo ad Neapolitanum Proregem Franciſcũ à Caſtro, ſtatim atque de Bellarmini Archiepiſcopatu intellexêre: nec aliud eorum epiſtolæ, quàm ipſius cõmendatione fungi ſanè perhonorificâ, & mãdare Proregi, vt tutaretur Cardinalem Archiepiſcopũ Capuę, in quacumque Eccleſiæ eius neceſſitate. Quin & addere, vtique ſua ipſorum intereſſe, ſi ab omnibus Miniſtris, ac Magiſtratibus Regni illi honos deferatur, vtpotè viro, quem ambo cordi admodùm haberent. Verba hæc, haud eſſe merum officium Prorex interpretatus eſt; & quãdiù Regno præfuit, Cardinalem coluit ſemper. Dictis verò humaniſſimis, dùm ſe interuiſerent, ei ſignificauit, quàm vehementer cuperet occaſionẽ, in quâ ſtudia erga ipſum ſua, promere aliquãdo poſſet, & in hac partè, cùm imperio Regis, tùm propriæ obſequens eſſe pronitati. Eadem deindè effectis multo affirmauit humaniùs: in quæ item genera,

officiorum ei poſtmodùm Comes Beneuentanus, æquè ac in Regni procuratione ſucceſſit. Dum interim ipſe id non mereret minùs, quàm haberet: vt is, qui cõmendatus à Rege, adhuc magis à virtute commendabatur.

Vt ſtabiliret mutuam hanc viciſſitudinem animorum, poſſetque maiore libertate dein repetere, quæ iuris erant ſui; quia certò nôrat, Capuæ familias aliquot, ſpecie fictâ Eccleſiaſticorum, immunitate Cleri gaudere, & hoc in damnum euadere cenſuum Regiorum; interceſſit ipſe, vſumque prauum aboleuit, ac Cæſari reddi voluit, quæ erant Cæſaris; quò deinde, cùm res ferret, Deo redderentur, quæ erant Dei. Hinc nata inter Miniſtros Regis frequens ea vox: Cardinalis Bellarminus enimverò iuſtus eſt; ſua tametſi repetit, non retinet aliena. Opinio hæc, hauſta è tam claris documentis, vbi altè inſederat animis Miniſtrorum Regiæ poteſtatis, id imprimis effecit, vt potuerit Cardinalis Bellarminus, obluctante ex eis nemine, loca quatuor Archiepiſcopatus, ex quibus magni pronentus annuè accipiebantur, à Dinaſtis, & finitimis populis recuperare. Oeconomo iniunxerat, vt ea in Eccleſiæ antiquum ius, ex quo & reuulſa pridem, vindicaret. Et is imperium accipiens, loca eadem, re, & facto, nõ ſinè aliquâ vi tamen, ſtatim recepit, magnoque incepto adhibens effectricem rerum conſtantiam, illa pòſt iure etiam, & poſſeſſione defendit; populi

puli fauſtâ admurmuratione, & cum admiratione Magiſtratuum Regiorum. Vim adhibitam; tametſi vſurpandi iuris cauſâ, vti rem odioſam, Cardinalis manſuetudo non probauit: fuit verò (quâ apud omnes erat integritatis famâ) in poſſeſſione aditâ confirmatus à poteſtate Regiâ, eratque miraculo cunctis, rem horsùm euadere potuiſſe, vt iuriſdictiones tam amplæ, tam culta prædia è manibus primariorum Principum auellerentur. Ipſe Regens Martos, qui Regni iuriſdictionibus preerat, Oeconomo eius, quoties is Neapoli ſecũ egit, iterabat illud. Ego à Cardinali ero, in quauis eius petitione; nam ipſe vtique iuſtus eſt, promereturque, vt, quia eſt ei ratio rectiſſima poſtulandi, ſit quoque auctoritas ea, quæ poſtulauerit, obtinendi. Sed neque Dinaſtæ, à quibus fundos recuperauerat, vixêre erga ipſum abalienato animo; mãſêre beneuolentiæ indicia eadem, ac ſi non vi, ſed voluntate reddidiſſent; adeò res ab eo pro æquitate ſemper geſtæ, vitaq; omnis innocẽter acta; amãdum, verendumque penè ipſum magis, quàm honorem faciebant.

Hic fauor aſſiduus, à Prorege, & à Miniſtris, ſicut haud induxit, vt præter ius, & fas quicquam vellet: ità nec perpulit vnquam, vt à conditione deſcenderet ſuâ: ſed vt potiùs, cùm in rem eſſet, ſe pro Archiepiſcopo, & Cardinali gereret, perſonamque interdum ab humilitate poſitam ſumeret in loco, ſuſtineretque

magni-

magnificè. Comes Beneuenti, Neapolitanus Prorex, & Proregina coniux hoc expetebant vnicè, vt cũ Cardinali Bellarmino (quem vtique ſcirent virum eximiũ, tantiſque adornatum virtutibus, quantas mortalis cõditio capit) adeſſe, & cõloqui vnâ poſſent. Proindè Religioſum virum, & qui ipſorum vtrique à confeſſionibus, Capuam miſêre non ſemel, vt eius deprecaretur aduentum. Verùm, quia Prorex deſtinatũ haberet cũ Cardinalibus officia mutua vſurpare ex æquo, eoſque honoris causâ domi tantùm ſuæ dexteros deducere, & ad ædes ipſorum contrà dexteram viciſsim accipere, Cardinalis Bellarminus conditionem conueniendi eum, modeſtè repudiauit. Ea itaque internũtianti, deſperato colloquio, dum aliquid hic purpuræ dignitati, aliquid ille regio muneri exiſtimabat deberi, Neapolim redeundum fuit. Sed orauit eum Cardinalis, vt Proregi referret: ſi quid poſsit honoris ipſius causâ, ſe, & feciſſe, & facturum eſſe: attamen, ab ſe ſi ita migrare officium ſineret, vt non ſuſtineret Eccleſiaſticum Principatum, quem gerebat in purpurâ, poſſe ægrè eam rem pati Patres, poſſe Romę de ipſo conqueri in Senatu. Atque hęc cauſa fuit, vt celebritati, ac pompę, dum ibi S. Thomas adſciſceretur inter Patronos Ciuitatis, ignoratus interfuerit, neque Regiam intrârit: nè videlicet in certamine honoris purpurę dignitatem dedecori offerret, vtique nihil quicquam facturus indignè, & quamuis in modeſto, atque

que humili animo, cùm opus eſſet, ſobriè honori ſeruiens. Audiuit hæc verò inoffenſis auribus, atque animis Prorex, neque illius amicitiam vel modicè declinauit.

Dum hâc perpetuâ, fereque nimiâ proſperorum continuatione cùm Magiſtratu Regio Cardinalis Bellarminus ageret: tametſi plurimum præſidij poneret ſemper in conſcientiâ facti ſui; ſenſit nihilominus haud parùm conducere ad hoc induſtriam quandam eos præmuniendi, inſtruendique ſuper cauſas, propter quas Aduerſarij ad ipſius Tribunalia ibant. Quin imò, ne à conſilio ſapientis declinaret, cuius ea vox eſt: ſedatum cùm eſt mare, tùm de tempeſtate cogita: vtque aduerſus eam pręparata conſilia haberet: dixit aliquando his, quibuſcùm ei familiarior conſuetudo; ſi mitti ad ſe codicillos, vti fit in eo Regno, contigiſſet, quibus monentur Antiſtites nomine Regiæ Maieſtatis, vt deſiſtant ab intentatis minis execrationis, excommunicationiſque; néve huic, vel alteri eminari, & interminari pergant fulmina cenſurarum; ſi quidem optant gratiam Regis: futurũ fuiſſe, vt quemadmodũ apud ſe meditatus diù erat, ſimili aliâ ſingraphâ eos moneret, nomine ſupremę Maieſtatis; ei pere Regem Cęli, vt Eccleſię ſuæ integrũ permitterent exequi iura poteſtatis diuinę: ſi quidem optarent ipſi quoque gratiam Dei. Hoc pacto induens loricam iuſtitię, & paratus ab animi fortitudine,

ne, Deiq́ue fiduciâ difficultates, atque diſcrimina peruincere omnia, præclarum rebatur pro tuendis Eccleſiæ rebus magna non ſolùm agere, ſed etiam pati. Nihilominùs hoc fuit Dei prouidentiæ pro eo ſemel, & ſemper placitum, vt ei cuncta in tranquillo eſſent, quamdiù Eccleſiæ illius gubernaculo præfuit. An, vt innocentiam eius etiam ex perpetuâ felicitate perſpectam haberemus? an verò potiùs, vt oſtenderetur, æquè delectari Deum prudenti lenitate, quâ nauim peritè quis gubernat, inter flexuras ſimilium ſcopulorum: atque impauidâ conſtantiâ, quam præſeferunt Sancti Præſules alij, aſſerturi Eccleſiæ libertatem.

Romam proficiſcitur, Sede vacante ab exceſſu Clementis VIII. *ſummi Pontificis.*

CAPVT V.

PAx ea nimirùm, quâ Cardinalis Bellarminus ferè triennió Capuæ (incertum feliciùs, an ſapientiùs) vixit, & fructus, quem ex morum culturâ demeſſuit; ad hæc, facta eius laudabiliter, quà myſterijs ſacris operando, quà omnibus benefaciendo; abſentia demùm à ſtrepitu Aulæ, ſine deſiderio Vrbis, facilem ei reddiderant, ferèq́ue iuſti oneris ſollicitudinem animarum. Imò parte ab vnâ ſtrenuè inſiſtens muneri ſuo; ab alterâ verò haud ignorans ipſe quid ageret, conſciusq́ue, à ſe prorſus impleri vota populorum: propè quid optaret

taret amplius, non habebat. Hoc teſtatus eſt clarè, dùm Capuæ perſeueranter morari voluit, ſub cælo ſibi ad valetudines improſpero: tametſi in tibias humor ei, & ſanè magnis extuberationibus deflueret, nec aliâ ex causâ, vt Medici putârunt, quàm ex aëre afficiente, atque inſalubri. Metu ægritudinis huius Cardinalis Baronius, veritus, nè in deterius iret, de conſilio etiam Summi Pontificis, fuit illi valdè auctor, vt ſeceſſûs causâ, Procidam cogitaret: nam ipſe ibi Antiſtes quoque, vix extrà Diœceſim, & Vrbem Capuam, quæ perparùm aberat, videri potuiſſet. Scimus nihilominùs, ad occaſiones, quas memorauimus tantùm, eò flexiſſe iter, non peregrinabundum, neque circà amœnas oras vagantem animi cauſâ; ſed ſtudio abdicandi ſe eius loci iuriſdictione, nec manſiſſe vltrà biduum. Quòd Cardinalis Baronius, cùm intellexit, ſibi temperare non potuit, quin reſcriberet, obſtupeſcere vtiquè ſe, Neapoli, & Procidæ delitias illi tam breues fuiſſe, quo ferè tractu Italia molliſſima eſt, atque inuitat copiâ omnis amœnitatis maritimæ, terreſtriſque. Id verò argumentum eſſe dixit, quàm penitis præcordijs erga ſponſam afficeretur, amator eius tam vehemens, vt, vel ad ſpatia modica, ſolitudinem illi metueret.

Sed haud defuêre etiam id temporis, qui inter ipſum, & Cardinalem Baronium corrũpere conſenſum illum mutuum, quo ambo vixerunt, malignè conati

ſunt: ſumebaturq́; fomes diſſidij ex his, quæ ambo diuerſa pronunciarant *de Veneratione Sanctorum*. Tentatū id ab eis edito ſcripto, abſque Auctoris nomine, in quo refellebantur ea, quæ Cardinalis Bellarminus diſſeruerat, *lib.* 1. *de Beat. Sanct. cap.* 10. Ratio, quâ oppugnabantur, erat ea potiſſimùm, quòd directè aduerſarentur his, quę de argumento eodem Cardinalis Baronius pridem edidiſſet. Agnouit ipſe effectum id eſſe abſentiæ ſuæ ab Aulâ: præſenti enim, qui talia ſerunt, iniuſtè loqui temperauiſſent. Sed non propterea malignitas ipſorum excuſſit eius à tranquillitate animum: nam ipſe tantummodò rem non diſſimulare, ac tacitè habere; ſed pacis ſtudio, concordiæque rationes ſuas illuſtrare meliùs, vberiuſque; cætera perſuaſionem habens, Deum affore patronum innocentiæ. Exhilarabatur interim effusè, ex meſſe copiosâ, & bene cumulatâ, quam ab agro colligebat ſuæ plantationis, ſuæ irrigationis, reponebatque ad opes, ad pretia meritorum. Hinc denuò Cardinalis Baronius ipſum hac epiſtolâ amantiſſimè compellauit. „ Eſt cur „ equidem gaudeam; quia gauiſus tibi bene eſſe, atque „ adeò iſtic à te bene etiam cæteris eſſe, ero particeps „ meriti huius perindè, atque ſi fruerer meritò egomet „ meo. Gratias Numini ago, & rogo, vt peruiuas in „ longiſſimū diem, quò nimirum proſis, ferè perpetuus, „ Eccleſiæ Sanctæ. Quæ ſuperāt ærumnarum ſimbola „ ſunt, quę noſtrū omne opus bonum obſignant, oſtenduntque

„ duntq́ ue,ita placitum eſſe Deo. Itàque eſt quòd gau-
„ deas,nam ab omni parte *tibi reſpondent oracula cuncta.*
„ Illud dictum tamen S. Petri occurrat. *Satagite, vt per*
„ *bona opera, certam faciatis veſtram vocationem.* Ideò ſi
„ agas perſeueranter ad finem vſque, *Quid eſt, quod poſ-*
„ *ſit nocere vobis, ſi boni æmulatores fueritis?* Recollige te
„ in receſſus imos ſanctæ humilitatis, & *exulta cum*
„ *timore, & tremore*; vt tu quoque ſcribis, & noſti me-
„ liùs,quàm ego queam exprimere. Quoad defēſionem
„ noſtrorum Patrum, in promptu eſt hiſtorica inſtru-
„ ctio,admodū fuſa. Sed plus conducet,ſi cum Pōtifi-
„ ce apertè,atque,vt eſt animus,loquar: quod egi hacte-
„ nus,& porrò acturus ſum. Sperare imò,& ominari au-
„ deo,fore,vt Deus ſit futurus victoriæ cōpos, atq; adeò
„ exaltaturus famulos ſuos, qui deprimuntur. Romæ
„ Prid. Non. Ianuar. M. DC. IIII.

Multo minùs dicta ægritudo,& quæ ſufferre haud ita iucunda debuit, retardare potuerunt; ſeu manum, quin ageret fortia; ſeu mentem,quin meditaretur vtilia bonus Paſtor pro ouibus ſuis; eòque magis fuit in hâc parte vehemens, quia certâ perſuaſione, vel ab initio fuerat, citrà ſpatium triennij, haud ſe Capuæ manſurum. Id ego alibi fuſiùs repetam: ſed vnum in præſentiâ memoro, quod iactare frequenter audiebatur: quoties familiam tabeſcere Vrbis deſiderio deprehendebat. Denunciato itinere, quò Capuam fuit eundum, Aulici eius Romę velare penitùs ſigna mœroris,

roris nequiuerunt. Seceſſum enim ab Aulâ exilium interpretantur ex eo genere multi, vt ij,qui nuſquàm libentiùs vitæ ſpiritum ducere, quàm in Romano Cęlo, nec alibi meliùs incaleſcere ad grandia ſolent. Ergò, vt aliquantulùm eos Cardinalis Bellarminus ſubinde à genio illo ęgreſcente curaret,hortabatur bono eſſent animo: futurum,vt tantùm triennio, nec eo quidem exacto, Capuæ morarentur: debere intereà Pontificem mori: denique ſubrogandum in principatu alium, qui copiam abeundi non faceret; prædictionem verò excepit euentus, neque hæc eis læta magis, quàm vera eſt vaticinatus. Illud etiam æquiſſimè admirationem parit, quod cùm appeteret finis manſionis eius Capuæ, ipſe gnarus ſibi propedièm remigrandum ad Vrbem, ad iter nihilominus haud pecuniæ quicquam aggereret: ſed in pauperes erogaret omnia; vt qui nõ patiebatur vltrà menſem domi redditus conſeneſcere. Ordinarius Diſpenſator tamen induſtriâ ſuâ hoc periculum inopiæ declinauit, ac ne pignorare ſupellectilem opus foret, ſapienter apud diuites homines,à quibus,quamuis ſubitò ſumi poterat, aurũ diſtulit accipere, quod ad vltimos caſus ſeruaretur: & hoc promi potuit ad vię ſumptus, occaſione obitus Clementis VIII. qui incidit in V. Non. Martij An. M. DC. V.

Hic,dum ex familiâ, pro ſe quiſque ad nouæ auram ſpei velificans, profectioni adornat ſe, plurimùm ipſe

doluit

doluit in eo digreſſu à ſponsâ ſuâ poſtremùm auelli. Ante omnia procuratione Vicarijs delegatâ, quantum vnius hominis ingenio prouideri potuit, hoc cauit nimirùm, vt ei perbenè conſultum eſſet, quamdiù Paſtore deſtitueretur. In ſuggeſtum deinde proceſſit, vt fauſtis precationibus populo valediceret, & ſalubria ei monita relinqueret. Hortatus verò præſertim eſt, vt timorem Domini omnes ſanctè percolerent, & ſi quid ſupereſſet praui moris, citò illud virtutis propoſito emendarent. Adiecit, tametſi minimè vates foret, ſe ad ipſos non ampliùs reuerſurum, & præcisè dixit, nouum Pontificem haud facturum ſibi poteſtatem, vt Vrbem Romam denuò deſereret. Cœpit etiam indicare dotes Archipræſulis ſubrogandi, idq́ue perinde, ac ſi ille coràm adeſſet: neque tacuit quoque eundem diù legationibus peregrè detinendum, in obſequium primæ Sedis. Hanc abſentiam ſubdidit, ex Dei deſtinatione ipſis in pœnam eſſe, quia Paſtorem, quem ita virtutes variæ ornarent, haud merebantur penes ſe ij, qui vixerant adeò fructu tenui triennium ferè, quo ipſe interfuerat Paſtor, quâ priuatim eos, quà publicè de vitijs, deq́ue irâ cœleſti commonefaciendo; neque conati fuerant id agere, vt cùm ſuccederent alij Paſtores, inuenirentur alij mores. Hęc audientibus non rubor ſolùm ſuffuſus, ſed lacrymæ etiam obortæ: ſalubremq́; talium ſermonū amaritiem clamor excepit, & luctus publi-

„ publicus : cùm dicerent vniuerſi. Ne derelinquas
„ nos, Paſtor bone: ne deſeras nos, nos orphanos: ſub te,
„ quæ peccauimus, Pater, Filij emendabimus. Atque hoc mœrentium, & lacrymantium ſono deductus ad Ædes eſt, die altero indidem abiturus. Dixiſſes Sanctum Paulum à Mileto Epheſum proficiſci, dùm & ipſe prædixerat fore, vt non faciem eius viderent ampliùs, denunciauitque omnia, quæ pòſt euenêre. Quo tempore, ſicut S. Lucas refert, *Magnus fletus factus eſt omnium, & procumbentes ſuper collum Pauli oſculabantur eum, dolentes maximè in verbo, quod dixerat; quoniam ampliùs faciem eius non eſſent viſuri, & deducebant eum ad nauem.* Et par erat, vt Cardinalis Bellarminus eiuſdem, cuius in Eccleſiâ regendâ fuerat imitator, exiſteret quoque in digreſſu ſimillimus.

Spectaculum magis adhuc lugubre fuit, cùm ſequenti die, præparatis ad profectionem omnibus, obuerſata eſt veſtibulo domus eius mœſta Ciuitas. Aderant primores è Senatu, immixti cum plebe, atque interiacebat pauperum multitudo: & cùm primũ Cardinalis in conſpectu fuit, repentè cum fletu clamor exortus eſt, Paſtorem, Parentem, Tutorem confuſis vocibus appellantium, ſuamque orbitatem, & ſolitudinem lamentantium. Quin & proiecti in eum ſtatim circumſtetêre tam multi, partim veſtium laciniam exoſculantes, partim roſarijs piè contingentes, flagitantesque fauſtam precationẽ, vt adhibiti ſint, qui ſubmo-

ſubmoueręt vndam populi, ne incōmodo aliquo premerent abeuntem. Circūſonabant omnia ſingultibus, gemitibusq́ue, ac vocibus, quibus rogabant, vt reuerteret, nec deſereret ſuos, fatebanturq́ue cunctos vnius ſpiritu viuere, & inter viſcera caritatis ipſius reſpirare omnes. Ipſe, cùm publici doloris oculos nō ferret, lacrymis interim extillare copioſiùs, ac ſatis indicare, oues ſuas bonus Paſtor quantoperè diligeret. Quarè, vt voces colligere potuit, vniuerſos collacrymantes conſolari blandè, conteſtarique, corpore abire ſe, animo, atque affectu manere tamen: nec permiſſurum in hoc damni euadere abſentiam ſuam, eleëmoſinæ vt minuerentur, ad quas ipſos cōſuefecerat: imò Capuæ, quoad poſſit, eas relicturum. Quod re ipsâ præſtitit, & Ciuitati reddidit incertum, procul, an coràm benignior haberetur. Poſt hæc, manu in Crucem adductâ, & ſimul voce omnibus fauſtè precatus, Romā iter ſuſcepit. Ibat verò inter ſignificationes, acclamationesq́ue populi pudorem eius onerantis, in confertâ multitudine ægrè progrediens, aliquando etiam retentus, ità vt perrexerit intrà Ciuitatem, ex acceſſu, & receſſu populi cunctabundus, ac properans. Foris verò ad milliaria plura eum proſequuti ſunt è primoribus multi; & hæc omnium vna vox:

» Fœlix abi, Parens Sancte, Paſtor bone, tibi Deus det
» fauſtum itum, celerem det reditum.

Atque hæc eius cōmoratio in Vrbe Capuâ, nō diuturna

turna tempore, ſi annos numeres; ſed ſi manſura virtutum exempla ſpectes, ad gloriam longæuã. Suſpiciet in eo poſteritas omnis cœleſtes artes, quas ad regimen eius Eccleſiæ attulit: vt coniunxerit ſtudium efficax tuendæ iuriſdictionis, cum vniuerſali tranquillitate: cum clementiæ famâ mentem retinentiſſimam æqui: vt ſubditos condocefecerit amare, dùm metuunt: vt officijs adæquè ſummos, atque imos deliniens, homo temperans, ac frugi egerit ſecùm arctè, contentèque; cum alijs liberaliter, atque magnificè: vt demùm his addens infractos labores viſitandi, cogendi Synodos, concionandique, & myſterijs operandi, per ſe omnia egerit, nihilo ſeciùs, quàm ſi vnus multorum, aut manus, aut animos gereret. Diceres eum calamo perfecti Epiſcopi deſcriptionem, quam rogauerat è multis Archiepiſcopus Rothomagenſis, non concinnaſſe; quia factis eam in ſe formaret pulchriùs; vt inpoſterum eſſe idem debeat Bellarminum imitari, atque propoſitam ideam Epiſcopi perfecti moribus exſcribere. Cuius præſertim ipſe ſe, veluti ſignum ſtatuit, quod non motu careat, vel in baſi hæreat: ſed quod poſſit, vt præſtò vnicuique ſit ad imitandum, per orbem vniuerſum famâ, & recordatione peruagari.

Aliquot pia eius conſilia, circa optimum regimen Pontificatus.

CAPVT VI.

ANTEQVAM venio ad ea, quæ Cardinalis Bellarminus in comitijs Pontificum egit, ſubdam aliquot ipſius conſilia, quibus fieri poſſe exiſtimabat indubiè, vt Sancti Petri Succeſſores præeſſent meliùs, ſanctiùsque gubernaculo Eccleſiaſtici Principatus. Injjciebant hæc menti eius neceſſitas, & obligatio; vt qui nimirùm, ex purpuræ loco, propinquas haberet aures Vicarij Dei, verſareturque in eo gradu, ex quo ad ſupremum aſcendi ſolet. Accedebat, quòd Hæretici, vt ij, qui probris, criminationibusque, quibus ſolis valent, bellum perpetuum aduerſùs Eccleſiá gerunt; cùm ſuperbè multa, & contemptim exprobrent; efficiebant, vt nihil aliud agitaret animo, quàm modos varios excogitare, quibus dicta eorum factis, & moribus Eccleſia confutaret. Hæc itaque coniunctim omnia eius pectus deſiderio incenderunt ità formandæ Eccleſiaſticæ gubernationis, vt perfectionis tantundem haberet, quantum in humanis ſperari poteſt; quò ità ſaltem prauitas ſiniſtra dicentium coërceretur tandem, nec vltrò, in verba mendacij, improbi calumniatores linguas exererent. Proindè Cardinalis Bellarminus, vti

abfuit ſemper ab eo, perpetuum malum Principum, adulatio; ſolebat, ne ſecretum ipſius timerent, qui intereà dominabantur, apud viros graues crebris ſermonibus ea ſerere, quæ conducibilia communi bono Eccleſiæ opinaretur; & quæ fuiſſet facturus indubiè, ſi ipſum collocaſſet vtique Deus in excelſum, & ſummum locum, quem non optaret tamen, imò & trepidè metueret. Magnam partem horum conſiliorum in his, quæ ad Clementem Pontificem ſcripſerat, retulimus. Superſunt iam ex hoc genere alia, quæ, quoniam digna memoratu, congeram in hunc locum, vti ea; partim ab inſpectæ fidei viris accepi; partim reperi concepta ſcripto eius. Imprimis gnarus multa eſſe, quæ ſunt extimè coloris optimi, & incommoda ſæpè dein intus abdunt; affirmabat (vt is, cui cauta potiùs conſilia cùm ratione, quam proſpera ex caſu placuêre ſemper) futurum prorsùs, ſi deuoluta res ad ſe vnquam foret, vt minimè auctor rerum nouarum eſſet, abſque prudentiſſimorum hominum ſuffragio, & ſpe item certâ vtilitatis magnæ, pro Eccleſiæ totius, vel cõmodo, vel ornamento. Annixurum ideò, vt penes ſe ad conſultationem viros ſapientiâ & probitate haberet eximios, quod olim effecerat S. Carolus Boromeus; deliberationibuſque tempus daret: quia magni regiminis conſilijs nimiùm eſt inimica celeritas.

Dein præ cunctis curandum Pontifici dicebat, vt

ad cunctam Eccleſiaſticam diſciplinam formaretur Clerus. Nàm, quià fluxa ſunt humana omnia, facilè fit, vt ea labente, mores quoque in effuſam licentiam vnà labantur. Id noſtro æuo obtineri poſſe abſque nouis edictionibus, & decretis arbitrabatur; ſi Concilium Tridentinum ſanctè cuſtodiretur. Vix enim res alicuius momenti ſupereſt, cui à Sanctâ Sinodo non ſit conſultum optimè. Proptercà congruum fore cenſebat, ſi noui inaugurati Pontifices, in primo ſenatu, quem habent, eius Concilij volumen oſtentarent ſolummodò, pronunciarentq; palàm: formæ ratio, quam Eccleſiæ deſtinauimus inducere, hic Liber eſt.

Optaſſet, ne Pontifex ad laicæ ſuæ ditionis regimen per ſe ipſe nimiò eſſet attentior, vèl perinde, atque non eius ceruicibus onus grandius incumberet. Etenim, aiebat, videndum quidem ei, ne reſpublica illa inferior detrimenti quid pateretur: ſed ita, vt ſimul totus inſiſtat ſpirituali augendæ iuriſdictioni, tamquam ipſius diſtractiſſimus tantorum onerum mole, huic vni negotio vacaret animus, vt Chriſti oues paſceret, interritus expenſis, infractus laboribus; quandocumque de Fidei amplificatione, deque auctu diuinæ gloriæ ageretur. Ita ſcire ſe multos præclaros Pontifices, atque Sanctiſſimos, armatos non loricâ, non gladio; ſed æquitate, ſed fide, primis terræ Principibus, & Monarchis obniti potuiſſe,

 & ex-

& expreſſiſſe, vel ab inuitis, quâ venerationem, quâ metum; improbitati animam extinxiſſe cum gloriâ; Orbem à prauis documentis repurgaſſe; nouas gubernandi, regendiq́ue imperaſſe formas, quando ita æquitas, & Euangelij defenſio poſtulauit; Reges quoquè, & Imperatores ad expeditiones bellicas, vel aduerſus hoſtes Chriſtiani nominis, vel vt vindicent innoxios populos à vi tyrannicâ iniquorum, Æthnicorúmvè Principum, deuocaſſe.

Ex his deducebat Diui Petri temporarium patrimonium debere potiſſimùm impendi, vt fides propagetur: atque hoc negotium illud eſſe, cui, in mẽte Vicarij Christi, in quâ verſantur ſollicitudines omniũ Eccleſiarum, prærogatiua tribuatur. Dictitabat proinde, » exeat quaſi cuſtos vniuerſalis in agrum Mundi, vt vn» dequaque proſpectet, pars nè aliqua operas ad ſui » culturam exigat; vel contrà ſegetes albas ad meſſem » habeat? annè pars alia ad proſpectum amœna quidem, » ſed reipsâ ſilueſcat? pateat nè vſpiam aditus feræ peſ» ſimę, quæ culta tam ſpecioſa demoliatur. Demùm » ſuperſit nè vitioſum germen, quod euelli debeat, tra» diq́ue in combuſtionem igni? locus ne appareat ap» tatus euangelico ſemini ſuſcipiendo? *Nónnè, ſi exis, &* » *cernis iſta*, addebat cum S. Bernardo, *pudebit otioſam* » *iacere ſecurim? pudebit ſine causâ falcem Apoſtolicam ac-* » *cepiſſe.*

Prætereà, quoniam Epiſcopi à Deo ſunt additi Summo

mo Pontifici, tamquàm operis magni adiutores ſacri; in eorum delectu peruigilem eſſe Pontificem cupiebat. Excludat; ſi qui ambitione propriâ, aut aliorum commendatione honorem petant; contrà ſtrenuos non prætereat: notitiamque perquirat eorum, qui in varijs Mundi plagis doctrinâ, prudentiâ, ſanctimoniâque præſtent: vt cùm tempus dein adeſt, non ſint quærendi, quos eligat, ſed eligendi, qui excellũt. Nam grauè admodum poſſet eſſe conſcientiæ ipſius, aliter tot eligere, tot differre. Putabat etiam fore, vt Epiſcopi procuratione ſuſceptâ defungerentur alacriùs; ſi eos Pontifex (quod ſuadet Tridentina Sinodus) coleret honorificè, tamquàm fratres. Vt verò intelligeret accuratiùs de Eccleſiæ ipſorum ſtatu, & nè ſupereſſet color, quo, cùm ad limina redeunt, neceſſitatem pingerent moræ in Aulâ diuturnioris, expetebat ſtatui certum in hebdomadâ diem, in quo eis Pontifex ſpatium ſermonis daret, facturis poſteà celerem ad ſedes proprias reuerſionem. Demùm eis, cùm eſſet neceſsè, ſalubria in loco monita impertiret; & ſi non ijs fierent alij mores, tùm exemplum ederet paternæ ſeueritatis ſuæ. Mitteret quoque Eccleſiaſticos inſpectores, qui Domini agros viſerent propiùs, cultaque ab incultis notarent: quò dein ipſe perindè cuſtodes eorum laudaret, caſtigaretque. Item, quia certum eſt gubernationi Eccleſiarum lites eas pernimiùm obeſſe, quæ innaſcuntur

pro

prò iuriſdictione, inter Principes, quâ Sacros, quâ Laicos, omni ope ſe annixurum, dixit, vt Epiſcopi, & Principes, ſuo ipſius hortatu, controuerſias iſtiuſmodi perpetuas emori iuberent; nè fructum obruerent, quem expetit Chriſtus Dominus à Paſtoribus animarum.

Peroptabat aboleri, vel minui ſaltem, tot modos, ſupremis iudicibus contracti piaculi conſcientiam reſeruandi. Eſſe quoquè terminum cenſuris intentatis à Iure. Imponi meditatè admodùm penſiones Sacerdotijs, quibus procuratio incumbit animarum. A Magiſtratu, nec iuſtitiam vendi, nec permitti, vt Rei elabantur gratiâ; quod in Regno ſuo Sanctus Ludouicus cauerat, imperio non ſolerti minùs, quàm felici.

Cenſuit, in regimine ſupremo Eccleſiæ totius, à Chriſti Vicario Vrbem Romam, cuius Antiſtes eſt, haud negligi debere. Idcircò illius munus eſſe, per ſe Vrbicas Eccleſias ſingulas circumſpicere ſemel; quemadmodum eas obiuit olim S. Gregorius Magnus: & frequentiùs per Cardinales, qui ipſarum titulos, ac tutelas gerunt.

Rationem quoque ineundam ablegandi ab Vrbe Româ, vulgati corporis, & proſtratæ pudicitiæ mulierculas, quarum in luſtris eſt tam ingens numerus: vti eas ablegauit S. Ludouicus Rex Lutetiâ Pariſiorum. Cùm ſit indecens, in Sanctâ Ciuitate, ab incontinentibus

tibus

tibus ità paratam voluptatem haberi. Atrocia in Deum, & Sanctos dicta: thori maritalis violationes: præpoſteras libidines, puniri oportere ſupplicijs grauiſſimis, iuxtà præſcripta Veteris Teſtamenti: nè pudor ſit, Chriſtianos homines, non perindè, atque Hebræos, horum facinorum vindices eſſe. Interdicenda quoquè Hebræis ipſis in Vrbe fœnora tam aliena, quibus nec ineſt æquitas, nec adeſt modus.

Formam temporarij regiminis exigebat in Eccleſiâ tam ordinatæ diſciplinæ, quàm fingere docti viri nouerint vnquàm. Pro eâ expedire imprimis credebat, vt ſubditi vectigalibus varijs exonerarentur: quò in hâc parte adminiſtratio Eccleſiaſtici Dominatûs foret Dynaſtis alijs gubernationis exemplar æquiſſimæ. Inſiſtendum verò huic rei exequendæ; tametſi foret neceſſe ſuperflua demere, & tolerare etiam in principatu vitam hominis frugi. Hæc porrò Cardinalis Bellarminus ità diſſerebat, quoniam rebatur, decere Pontificem magis, vt Epiſcopum, quàm vt ſæcularem Principem ageret; & quò Diuina Fides vbique terrarum extendat limites ſuos, partem prouentuum potiorē huic procurationi deſtinādam ab eo: nō vt Cōſanguinei opimētur, & Magnates fiant; cum his impertiri oporteat dumtaxat, quantum videatur ſatis, prò gloriâ dignitatis, & prò conditione Ordinis, quem obtinent; iuxtà doctiſſimorum hominum, Sanctorum Patrum, & Conciliorū ſanctiora

pronun-

pronunciata.

Commendabat Pontifici etiam viros Religioſos, quò ij ſuæ ſint compotes immunitatis, etiam in Eccleſiaſticâ ditione, & Magiſtratui Laico minimè ſubiaceant. Si qui tamen deprehenderentur ex eis praui documenti; hos ſeponendos à probis, & intrà Cœnobia ipſorum æquâ animaduerſione puniendos.

Adiecit vtilitatis, & famæ plurimùm Eccleſiam Dei poſſe colligere; ſi Pontifex reuocare Religioſorum Ordines conaretur ad vitæ antiquam laudem. Ad hoc verò Religioſos ipſoſmet tantùm idoneos rebatur. Deligerentur propterea viri prudentiâ, & moribus integri, è varijs Cœnobitarum Ordinibus; atque hi, iuxtà ſingulorum inſtituta, decernerent vnanimes, quicquid in rem foret conducibilis conſilij. Poſteà, ſubmotis indigniſſimis, gubernacula Cœnobiorum eis traderentur, quos virtus, non fauor commendaret, & qui poſſent exemplis ad diſciplinam alios erudire. Quæ ſi vtiquè ſancirentur, forma optimi ſtatus inducta, in eis diù teneretur; præſertim Pontifice his, qui præeſſent, patrocinante, aduersùs aliorum proteruitates.

Quia præclarè facit ſanitas capitis ad corporis cæteram ſanitatem, etiam hoc aſſerebat, nihil potius, aut prius debere eſſe, quàm vt Diploma, pro ordinandis comitijs Pontificum, conderetur, iuberenturque electiones fieri per arcanas ſingraphas. Cuiuſmodi ſanctio iuſſa dein eſt, & promulgata feliciter à Gregorio XV. conſultumque egregiè ſuffragiorum libertati.

tati. Prætereà inter Auguſtos Patres, quoniam ex his Pontifices eligit Deus, eos tantùm adlectos eſſe oportere, qui; aut virtutibus magni; aut excellerent doctrinâ; aut quorum emineret genus. Ij porrò euecti in ampliſſimum Ordinem religioni ducant, cùm ſententias in ſenatu rogantur, reſpectus rerum priuatarum, qui offecêre ſemper, & officient conſilijs publicis, non ſeponere; ſedatoque animo, & ingenio aperto mittant liberam vocem, vt qui neminem timeant, neminemque terreant.

Concludet hæc omnia conceptum à Cardinali Bellarmino votum, dùm pijs meditationibus exerceret animam; cuius ſingrapha, inter ſcripta eius magis arcana fortuitò reperta, continet fore, vt ſi potitus imperio, & Pontificatum adeptus aliquando eſſet, quod nè ſibi obueniret, Deum venerabatur: fore, inquam, vt non ex agnatis quemquam, vel Cardinalem, vel Principem, vel Comitem nominaret, nec ditaret amplis opibus; ſed curaret tantùm, vt in eo ordine, in quo nati erant ciuium honeſtorum, ab ſe id haberent commodi, minùs vt egerent. Hoc verò ſacramento, aiebat, obſtringere ſe voluiſſe, non quò alios Pontifices notaret, qui agnatos, & affines, vtiquè dignos, ad purpuram euehunt: cùm id quiſque variè prò ſuo ſenſu poſſit interpretari, & cùm ſint viri etiã prudentes, quibus reipsâ ſtare poſſe ſine adiutore moles tanta non videatur: ſed quia Numinis inuitatu, atque

inſtinctu allici ſe ad hoc, atque perpelli, clarè cognouiſſet. Hoc votum, quod non animo, atque ore tenus, ſed ſcriptione etiam affirmauit, ipſiſmet vocibus eius, quæ haud dubiè in Cœlo ſcriptæ, & ideò immutari non debent, hîc referam.

DIe 26. Septembris M. DC. XIV. *fer.* VI. *in domo Nouitiorum Sancti Andreæ degens, & exercitiis ſpiritualibus vacans, maturâ præhabitâ deliberatione, in Sacrificio Miſſæ, cùm ſumpturus eſſem Sanctiſſimum Domini Noſtri corpus, votum voui Domino in hâc formâ.*

Ego Robertus Cardinalis Bellarminus è Societate IESV, *Religioſus profeſſus, voueo Deo Omnipotenti, in conſpectu Beatæ Virginis Mariæ, & totius Cœleſtis Curiæ, quòd ſi fortè (quod non cupio, & precor Deum, vt non accidat) ad Pontificatum aſſumptus fuero, neminem ex Cōſanguineis, vel Affinibus meis exaltabo ad Cardinalatum, vel temporalem Principatum, vel Ducatum, vel Comitatum, vel quemcūque titulum; neque eos ditabo; ſed ſolum eos adiuuabo, vt in ſtatu ſuo ciuili commodè viuere poſſint. Amen. Amen.*

Qualem ſe in Comitijs exhibuerit, in quibus electi Summi Pontifices Leo XI. *Paulus* V. *& Gregorius* XV.

CAPVT VII.

CVM intrà ſpatium breue, Pontifices duo, Clemens VIII. & Leo XI. poſt annos verò ſexdecim, Paulus

Paulus v. obijſſent, quæ Cardinali Bellarmino euenêre in Comitiorum Conclaui, qui locus ſtatio ampla eſt, diuerſis animorum motibus, fluctuantibus in magnâ ſtudiorum varietate, ſatis indicàrunt, ipſum intuliſſe eò ſedatum animum, mentemque ſuæ retinentiſſimam tranquillitatis. Tùnc Aulicorum pro ſe quiſque (gens ad omnē auram ſpei mobilis) ominari fauſtè: ferre ſermonibus, & multiplicare famâ præſtantiā Domini ſui. Atque hinc ſunt diuerſi in ore tunc frequētiſſimæ Ciuitatis, eſtque materia huius, varietas meritorum, & intemperantia vetus, donec Patres vnum eligant, plures deſignandi. Et tunc etiam varios vultus cernere eſt; vt in multitudine aliorum alios fouentium ſtudijs. Tametſi verò Ordo ille Purpuratorum tantam habeat ſupremo cum honore propinquitatém, vt ferè nullus ſit adeò ſpernendis honoribus validus, contemptorque gloriæ, cui non aliquantulùm cupiditate illius afflari animus poſſit: de Cardinali Bellarmino eſt, cur illud affirmetur, ambitionis aurâ non ei pectus motum eſſe, aut turbatum, quin reciperet ſe in nidulum humilitatis, atque incubans ſuper imperfectum ſuum, hoc demùm cōciperet; ſuas prorsùs impares vires eſſe, ad onus etiam humeris cæleſtibus formidandum. Imò, quia faſtigium omne ſupremarum dignitatum putaret finitimum eſſe ruinæ locum, ſibi nunquā imperare potuit, vt Pontificatū inter res optabiles numeraret. Quocircà ſermones de illo miſcere, tam-

quàm de re vtiquè, quàm fugeret anhelus, & ſancto quodam horrore metueret. Aliquandò exhilarari ſe eà cogitatione dixit, quòd, qui oraculo ineuitabili Pontificis intentantis certum animæ vulnus, ad inſigne Purpuræ fuerat adactus, ad ſummum Eccleſiæ Sacerdotium adigi non poſſet imperio; quoniam in interregno ſimilia imperandi ius eſſe nemini arbitraretur: tantùm à ſtudio humilitatis inuentus aliquid ignorare, qui Orbem docuerat. Hunc eius animum ab ambitione omni alienum, Alexander Cardinalis
,, Vrſinus deſcribit fermè his verbis. Agnoui, quàm
,, præclarè demitteret ſe, atque contemneret, cùm in
,, Conclaui, ab exceſſu Pauli V. Pontificis, mecum ipſe
,, ſermonem ſegregans, atque in cubiculum adducens,
,, inſtitit denarrare rationes quaſdam ſuas, & cauſas,
,, propter quas iudicabat dedecere omninò, vt de ſe
,, eligendo Patres cogitarent. Has verò mihi concre-
,, didit, tamquàm famulo ſuo, quem ſolitus ſæpè tra-
,, here in arcanos ſermones, feceratque pectoris par-
,, ticipem ad occaſiones alias. Adiecit inſuper, fore
,, ſibi percarum, ſi commonefacerem, ſi quidèm eligendus proponeretur. Harum origines cogitationum in Cardinali Bellarmino, haud repeti indè debent, quòd in animo clàm ſentiret de ſe ſpecioſè, atque magnificè: ſed quia mens ei, plena ſolliciti timoris; cùm magnâ ex parte Patrum erga ipſum inclinati animi; & admurmuratione ſecundiſſimâ, dignũ S. Pe-

tro ſucceſſorem cum plurimi ſucclamarent. Quod de ſe S. Hieronymus teſtatur. *Totius*, inquiens, *in me Vrbs ſtudia conſonabant; omnium penè iudicio dignus ſummo ſacerdotio decernebar; dicebar Sanctus; dicebar humilis, & diſertus.* Atque ex beneuolentiâ, ſeù opinione, quâ eum proſequebantur Cardinales non ità pauci, factum omnibus his tribus comitijs eſt, vt primâ ſuffragatione, quam Scrutinium vocant, ipſe vnus excelluerit Cardinales reliquos numero ſuffragiorum. Certus verò erat, Principes omnes ſibi beneuolos: tametſi nullum ſibi ſecretò conciliârat, aut ad quemquam adhæſerat. Ex quo excludebatur à nemine, ab aliquibus etiã optabatur. Accedebat ad cæteram laudem vitæ eius piè iuxtà, & elegãter actæ, quòd tertium iam annum Capuæ fuerat, & non aſſiduus in oculis Vrbis, quæ ſæpè res minùs verendos magnos homines ipsâ ſatietate facit. Hinc extitêre præſertim in ſecundo Conclaui aliquot Cardinalium primariorum conatus magni, deque eo eligendo egêre tantâ vi, & aurâ ſacri Senatus, vt res habitura exitum crederetur. Ipſe interim, ea dum agerentur, non modò conditionem ſuam non auxit: ſed vt ſemet excluderet, artes quoque adhibuit.

Cardinali Bellarmino proprium fuit, miſcere in conſuetudine familiari modos quoſdam (neſcio, dixerim, ſeueritatis lætiſſimæ, an priſcæ hilaritatis;) vtebaturque interdùm in ſermone, non frigidis, & acceſitis,

ſitis, ſed lepidis, ac tempeſtiuis iocis: ab ijs in Conclaui maximè temperauit, & cùm ingenio eſſet ſummè obſequioſo, quæ res amicos inuenit, tunc, quaſi ſtudia in contraria ferri, minuere comitatem, officia vſurpare parciùs, animos ne nimiùm ſibi conciliaret. Si qui Purpuratorum intereà recenſitis, laudatisque meritis eius, ſe Pontificem eum dicturum aſſererent, tùm ipſe aggerere contrà rationes plures: de ſe contemptim, magnificè de alijs loqui, & proponere, quos pro tanto honore ipſemet haberet eximios, vt facilè appareret, nihil magis eum agere, quàm, vt obſtaret gloriæ ſuæ. Addebat, forè rem fortaſſe pœnitendam, ſe deligere, qui genus duceret ab Auis, Abauiſque naturâ longæuis, & ſuperſtitibus, vſque ad extremum ſenium: ideoque metuendum, ne Pontificem viderent nonagenarium. Id quod ſerebat in primis Cõclauibus, cùm adhuc vegetus, & viribus proſperrimis. Cardinalis à Diatriſtain refert, Cardinalem Bellarminum in propriâ ipſiuſmet cellulâ à ſe conuentum, prorsùs eo veſtigio temporis, cùm de ipſo eligendo deliberârent Patres; & repertum in tranquillo, atque ab æſtu curarum feriari animo. Dein cùm indicaſſet, quæ tùm de ipſo agitarent Patres; ſtatim reſpondiſſe: hoc verò abſit: nam eſt animus, vt abijcem quoque me hac purpurâ, quam gero.

Deinde, nec voce, nec nutu æqui, boniq́ue à ſe fieri operam oſtendit, quam Cardinalis Baronius, Princeps ami-

amicorum eius, tùm obtulit, cùm diſſerens Pontificatui famâ, ſpe, veneratione ipſum à multis deſtinari, quem humilitas tamen, quaſi in occulto haberet; atq; adhortans, daret Patrum conſenſui ſpatium de ſe, panderetque ſinum venienti Deo, & per illos eligenti; ſpontè promiſit, adhibiturum ſe omnem induſtriam ſuam, quò res ſuccederet. Quippè tàm iuſtum, & minimè precarium auxilium ferenti, Cardinalis Bellarminus ſupplicare enixè cœpit, ne ſe tantæ dominationi vtique obijceret. Atque hîc ego non poſſum, quin admirer, viros duos eximios, inter ſe de Sacerdotio ſummo, alterum offerendo, alterũ recuſando agere: de quibus dubites, vter dignior principatu eſſet, cùm vitam, in quâ nihil prętеritum excuſandum, honorem ætatis, vrbanam gratiã, doctrinam, atq; promerita potuiſſent inuicèm commemorare, neuter falsò: & tantùm addere (niſi humilitas obſtaret) Dignus ego fortaſſe, ſi non tu potior eſſes. Non hæc audita tamen: non gratiæ redditæ: qui ſolet eſſe finis talium ſermonũ. Imò officium ità repulſum, vt offenſus videretur. Adiunxit verò; ſicut ſcripto ipſe teſtatus eſt, ſe quidem ſic eſſe paratum; vt nec ſtipulam, quę tùm fortè iacebat humi, tollere loco vellet, ſi, vt Pontifex euaderet, minimus ille conatus requireretur. Multò minùs angi animo, aut perturbari; quandò, ſententijs in Senatu variatis, electus non fuit: vt qui repeteret crebrò, munus Pontificis laborem eſſe periculoſiſſimum,

ſimum, & periculum laborioſiſſimum. Sunt, qui referant, à Cardinali ſolitos deinceps nominari commendatione perhonorificâ, quotquot ipſum à poteſtate eâ ſummâ, cui rebatur minimè ſibi animum parem eſſe; reiecerant, compellarique benefactores, à quibus beneficium accepiſſet, quantum vſquàm maximum.

Cæterùm morem inſtitutum ſemel, circà munia pietatis, etiam inter euenta turbida Comitiorum, non tenuit modò conſtanter; ſed horarum ſpatia plura in hoc incumbens, quàm domi ſoleret, poſtulabat à Deo crebro ſuſpirio, ac gemitu cordis ſui, vt quem deſtinauerat, mitteret. Segregabat ſubindè ſe à conſuetudine aliorum, vt, vel in cellulam ſuam, & in ſolum, ac ſeceſſui ſimilem locum ſepoſitus Roſarium, Diuinoſque Pſalmos recitaret; vel libellum pium euolueret: & tùm iterabat frequens, *à Papatu libera me, Domine: & mitte, quem miſſurus es.* Iuxtà conſuetudines Conclauis, pane, & obſoniolo vno victitauit ſemper, ac nè vel minimam eius, ſeu loci, ſeu temporis legem tranſgrediebatur. Libertatem vt retineret in eligendo, ſuffragium mancipauerat nemini; præter quam conſcientiæ, ac Deo: muneraque, & prouentus, aut quæuis ſpecioſa pretia venalis libertatis à nemine vno è Principibus vnquàm acceperat. Religioſus vir Cardinalem Bellarminum per epiſtolam anxiè ſatis monuerat, impetratione apud Pontificem factâ in gratiam Eccleſiaſtici neſcio cuius, offenſum ab eo Neapolitanum Proregem, & poſſe obniti contrà, cùm res ferret, vt Pontifex eligeretur.

Reſcrip-

Reſcripſit haud ſe facti pœnitere: rogatum ab amicis, ſtudio Eccleſiaſticæ libertatis, Pōtifici, quæ oportebat, indicauiſſe. Crederet verò, ſe nequicquàm expaucfieri; tamquàm foret excludendus à ſupremo Sacerdotio, nomine Regis Hiſpaniarum; ſibique, haud nimirùm id expetenti, gratum eum obicem futurum. Demùm è Marcelli II. Sorore ſe natum eſſe; & noſſe ſe ſpiritus eius, noſſe animum: abiturũ itaquè in Auunculi mores, cui Miniſtri Cæſaris interminati cædem etiam, ſi Cōcilium, vti Pontifex mandârat, Bononiam tranſtuliſſet, haud eum propterea territum à difficili tractatione auertere potuerunt. Quippè cùm diceret Cæſarem poſse corpus, inferius ſe Principe, interimere: in animâ non patere eius vulneri locum: & Deum iudicem æquiſſimum eſse cunctis metuendum.

Hâc innocentiâ Cardinalis Bellarminus electioni trium Summorũ Pontificum interfuit; primò Leonis xi. qui ſedit tãtùm ad dies quinque ſuprà viginti. Dein Pauli v. qui præter expectationem, quam excitauerat magnam, dotibus excellentis animi, & prorsùs facti ad gubernationẽ Orbis, exhilarauit Cardinalem Bellarminum, vel ideò, quòd formâ corporis eſset auguſtâ, proſperrimâque, ex quo ominatus illi annos, quos poſteà vixit, ſibi viſus eſt ſecurus à metu, nè ad ea ſuffragia denuò rediret. Quamquàm etiam huic ſuperſtes, interuenit poſteà Comitijs Gregorij xv. in quibus ipſe eminens inter alios, & velut omnium ani-

n mos,

mos gerens in voce, & conſilijs ſuis, tantæ dignationis eſt habitus, vt potuerit magnam in partem ſermone ſuo morari frequentiſſimum Senatum, nè, quod deſtinauerant plerique, fieret electio noui Pontificis, priuſquàm valuis, parietibusq́ue ſecretum electionis cuſtodiretur: Populus, Proceres, Oratoresq́ue Regum loco prohiberentur: recitarentur Diplomata Comitiorũ; & implorarentur tranquilliſſimè S. Spiritûs patrocinia. Quod meritò Cardinalis à Mõte, Decanus eius ſupremi Ordinis, vti rem, quam ad memoriã omnia ſæcula ferent, exiſtimauit teſtimonium eſſe poſſe venerationis magnæ, quâ Cardinali Bellarmino ſacrum Collegium ità deferre viſum eſt; quaſi priuato ſuo conſilio maiorem, prò communi re, cætero ſenatu animum haberet.

Abdicat ſe Capuæ Archiepiſcopatu, vt obediat Pontifici, eiq́; Romæ ſeruiat.

CAPVT VIII.

ILLVD de cunctis laudibus, quas Cardinalis Bellarminus doctrinâ, integritate, prudentiâ meruit, ſemper videbitur egregiũ, quòd apud omnes Summos Pontifices opinio excellens de eo fuerit perpetuò: nec aliam ad rem penes ſe ipſum attinere voluerint, quàm, quòd agnoſcerent, eum columen Eccleſiæ eſſe: ſub vmbrâ eius Ciuitatẽ, normam orbis terrarũ, latere debe-

debere: poſſe in rebus dubijs conſilia eius, poſſe nutus prò decretis Patrum, prò oraculis haberi. Propterea Leo XI. qui Clementi VIII. proximus in Principatu fuit, ſtatim ei denũtiârat, Româ vt abeſſet, ſe haud permiſſurum. Quam deſtinationem tametſi ſuſtulit eius ſubita mors, à Paulo V. qui diù poſteà ſedit, iuſſus eſt Romæ perpetuus degere; quod haud decorum exiſtimaret, ſi vna eum Ciuitas detineret, omiſsâ Vrbe, vnde in omnia regimẽ. Huic deliberationi (quam & præſenſerat, & prænunciauerat ſæpè) minimè auſus obſiſtere; vt qui ſatis agnoſceret, Dei mentem clarè exprimi per interpretem eam vocem Vicarij eius. Quamquàm id nõ magnoperè fuit ex voto eius; delectari cùm cœpiſſet quæſtu dulci animarum, quod familiares eius, quod litteræ datæ teſtantur, in eum ſenſum; vt ſignificarent Spõſæ ſuę cariſſimæ, valedicere ipſum, & ſuo, & ſponſæ mœrore graui: & quià ita Pontifici placitum. Nam aliòqui, procul à ſtrepitu Aulæ, Paſtoris munere pro ſe fungi maluiſſet. Proindè non rogaſſe, nõ optaſſe à ſacro eo connubio reſolui: ſolutum etiam nec expetere ſponſam aliam. In hanc ſententiam Iuſto Baronio, cui perſuaſio erat, Cardinalẽ ſe abdicaſse, proptereà quòd, vti legerat apud S. Hieronymum, putaret Epiſcopatum rem ærumnoſam eſſe; reſcripſit, cauſam haud illam nimirùm eſse: ſed ſolùm voluntatem Pontificis: cùm ſibi neceſsè iam foret, ſubire in Romano Cœlo faſtidia Romæ, ſatietatemque miſerã occu-

pationum moleſtiſſimarum, quarum vtiquè comparatione, Paſtoris ſollicitudinem appellaret ipſe delitias ſuas.

Poſtquàm ergò decreuit Pontifex, vt inter Aulæ ornamenta in Vrbe maneret, columna, cui onera Sanctę Sedis inniterentur; vltrò ei gratiam reſidendi fecit, præſertim temporis eo veſtigio, cùm ad initia Principatûs inſtare negotia ſolent maxima, & grauiſſima. Sed abnuere ipſe: tùm nè duo munera vnus occùparet: tùm verò nè à Sanctarum Synodorum decretis declinaret, quæ iubent, vt greges inter ſuos Epiſcopi ſedeant; & nè alijs eius rei fieret documentum. Deliberauit potiùs Eccleſiæ Nuncium remittere, & tùm non defuère, qui conarentur ab inito hoc ſemel conſilio reprehendere, afferrentque exemplum in Epiſcopis non ità paucis, & quidem ſummæ authoritatis. Dictitabant enim, inter traditionem Epiſcopatûs, nouitatemque ſucceſſoris, quæ noſcendis priùs, quàm agendis rebus imbuenda ſit, ſæpè benè gerendæ rei occaſiones intercidere: & poſſe vnum ipſum; quantum abſentia, quantùm moles, & multitudo negotiorum prouidentiæ adimat; tantum explere opinione, & vſu rerum, optimèque per adminiſtros nauos omnia adminiſtrare. Nihilominùs hæ machinæ haûd vnquàm dimouere conſtantem animum; tùm quià ſequi mallet ſeueriores ſacrorum Canonum interpretationes; tùm quià expertus triennio, quid non boni ouibus adferat

ferat præſentia Paſtoris. Itaque Pontifice aſſentiente, vt abdicaret ſe Archiepiſcopatu, ſcripſit Clero, & Senatui Vrbis Capuæ, ferè in hunc modum. Meminiſtis, reor, me iſtic prò concione, vltima dùm loquerer, dixiſſe futurum, vt non remigrarem ampliùs; tametſi cuperem, & ſperarem reditum ad vos. Sed & addidiſſe, mihi integrum ſub altero Pontifice non futurum, Româ vt diſcederem rursùs. Menſis eſt, cùm ego Pontificem rogaui, iuberet negotia quædam grauia, vltrà menſem Octobrem non trahi, quià certam reuerſionem meditabar ad Eccleſiam meam: & fuit ea res occaſio, vt Pontifex indicârit, velle ſe, vt Romæ deinceps agam, manſionemque hîc meam à ſe planè neceſſariam duci. Tùm ego; me eius imperia non detrectare; religioni ducere tamen, Romæ adeſſe, & Archiepiſcopatum habere. Proin, aut Capuam ſineret remeare, aut Eccleſiæ meæ Paſtorem inueniret. Hoc ſecundum adprobauit Pontifex, iuſſitque, virum idoneum ad id ego perquirerem. Pro me affirmauerim: haùd abſque ſenſu doloris mei nos inuicèm ſeparari; ſiquidem Eccleſiæ iſti accommodaueram ego iam amores meos. Optabam inſuper, deinceps quoquè, vt nunquam aliàs, ingemere laboribus pro eâ, neque obſignare alio ſymbolo dies poſtremos vitæ meæ. Quin & addo, iſtic plus me quietis habuiſſe, & vixiſſe contentum magis, quàm Romæ viuam, vbi nec ad diem vnum mihi à laboribus aſſiduis ceſſatio, aut

otium,

„ otium : ſed Diuinæ Voluntati par eſt acquieſcere; ſu-
„ bitque animum (quod & dixi pridem abiturus) fructũ
„ tenuem, quẽ Capuæ tres annos dedimus, fortaſſis mu-
„ tationis huius cauſam eſſe. Quoniã Epiſcopus ſupre-
„ mus Chriſtus Dominus experiri velit, an Epiſcopus
„ alius iunior, atque validior, meſſem allaturus ſit cumu-
„ latiorem. Polliceor futurum, vt non abrumpere ca-
„ ritatem ergà vos debeam, & ergà Ciuitatem iſtam, cu-
„ ius regimen intrà ſpatium bimeſtre deſeram; & im-
„ molans Deo ſacrificia votorum meorũ, ſeruabo ſem-
„ per veſtri memorem animũ. Item, quà priuatim, quà
„ publicè, prodero vnicuique, quò ad me res adhorta-
„ bitur mea; poteritque veſtra Ciuitas opinari certò, ha-
„ bere ſe Archiepiſcopos duos, Romæ alterum, & alterũ
„ Capuæ. Atque hìc ſcribendi finem faciens, fauſtè de-
„ precor vniuerſis, oroque, vt gratias Deo referant, quo-
„ niam ità diſpoſuerit, flagitent verò nouo Paſtori ſancti
„ Spiritûs vberem auram, &c.

Dùm verò interim verſaret animo ſecũ, quem ſibi mallet ſubrogari in Eccleſiæ gubernaculo; quam rexerat ità, vt bono etiam, ac ſtrenuo ſuccedenti Antiſtiti difficilis æmulatio eſſe deberet : amici rursùs conſilia ſuggerere, vt ex familiariſſimis, & ex ijs præſertim, quorum ſæpè allaudauerat operam, & quos in culturâ animarum expertus fideles, ſibi ſubſtitueret. Hoc pacto, aiebant, fore, vt quæ ad obſequiũ Dei inchoauerat ipſe, alter proſequeretur, quin poſſet deprehendi

hendi ferè mutatio; non ità videri diſſimilis nouus Antiſtes potuiſſet. Addebant & futuras in tutò pias largitiones; nam adlectus quiuis ex hoc ordine, haùd dubiè contentus paruo, integrum ei reliquiſſet, liberalitate nihil quicquàm remittente, illas, vti pridem, erogare. Si ſuccederet álius, non temerè id metui: quia in comperto eſt, quàm ſoleant facilè benignitates hominũ perire. Sed hæc magis auribus, quàm animis ab eo accipiebantur, conſcientiâ intùs ſuadente, vt Deo volũtatem perfectam offerret. Quarè Pontifici totius rei permiſit arbitrium, & tantummodò, ſiquidem ità iuſſerat, delectui habendo viros aliquot idoneos nominauit, ſollicitus dumtaxàt, vt tanti poſſeſſio Archiepiſcopatûs, vacuo ab ſe relicto loco, alteri ſatis digno pateret. Is fuit, Pontifice eligente, & ipſo Cardinali Bellarmino adprobante, Antonius Caietanus, qui pòſt obijt conſcriptus inter Auguſtos Patres, vir, quem generis ſumma claritas, prudentiaque ſingularis, & apta negotijs magnis fine proſperrimo terminandis, atque adeò beneuolus in eum animus Regis, & Miniſtrorum Regni, prò eâ Eccleſiâ Antiſtitem idoneum vnicè reddiderunt.

Supererat, vt de componendo ei neceſſario cẽſu aliquid ſtatueretur: nam ad eam diem, ferè, Capuæ ſolis redditibus, aluerat ſe: in quâ tractatione, ſi vnquàm aliàs, moderati animi gloriam adeptus eſt. Monuerat Pontifex, vt nouo Archiepiſcopo daret penſionibus

bus annuis,aureos mille; ſummam reliquam ſuo relictam vſui putaret. Verùm ipſe, ratus fore ſatis diuitem ſe, ſi bonam famam ſibi ſeruaret, maluit cenſum vniuerſum, cum Archiepiſcopatu redire ad Pontificis manus. Nàm, quia dixerat ſæpè, haùd licere vxori valedicere, & ipſius attinere dotem: volebat, vt facta dictis fidem facerent. Præterquàm quod, nec decere arbitrabatur, facultatem Archiepiſcopo non relinqui, corrogandi egenis, quæ velit, ac debeat, iuxtà ea, quæ ſacri Canones præſcribunt. Quæ fama temperantiæ eius, quàm ſecundâ admurmuratione excepta fuerit, faciliùs eſt intelligi, quàm referri; adeò huius rei ſunt rara documenta. Pontifex tamen, qui auctor erat abdicationis, haùd permiſit degere apud ſe Cardinalem tantæ opinionis, & interim ſummâ aureorum ampliùs nouem millium annuè priuari: nam hæc ratio tùm ex auctis ipſo Antiſtite Capuæ redditibus conficiebatur; tametſi ſeptem non ampliùs milia pridem à conductoribus exſoluerentur. Proindè quoniam ità tenax propoſiti, etiam redditibus ſponte ceſſit, nè, quod aiebat, ſponſam dote caſſam, ferèque inlocabilem alteri traderet: Pontifex victus non conſtantiâ magis,quàm admiratione virtutis, ſuæque meditationi relinquens, iuſtum ei cenſum aptare, effecit vt nouus Archipræſul, beneficia neſcio quæ ei cederet viciſſim, & deciſam ab Archiepiſcopatu penſionem inſuper annuè ſolueret; quò in hunc modum, prò Purpuræ honore, ſemet, ac familiam aleret impoſterùm.

His

His diſpoſitis, neceſſe habuit, Eccleſiaſticæ iuriſdi-ctionis tuendæ causâ, negotium aggredi, à genio ſuo ſatis alienum, expertus Taurini difficultates, in ad-eundâ poſſeſſione *Prioratus*, quem vocant S. An-dreæ. Ad annum M.DC.IV. Clemens VIII. Pōtifex be-neficia aliquot ſimplicia Ordini Militari SS. Mauri-tij, ac Lazari conceſſerat, inter quæ nomen expreſ-ſum erat huius *Prioratus*: & tùm eo potiebatur An-tonius Caietanus, factus dein Archiepiſcopus Capuæ. Ex quo verò is illum contulerat Cardinali Bellarmi-no, Dux Sabaudiæ, Magnus Præſes Ordinis, præſertim ipſo initio acquiſiti iuris, haud probabat eos prouen-tus denuò in alterum Dominum transferri, abſq; Or-dinis conſenſu, & quin manerent in vno ex Equitibus, ſaltèm titulo tenus. Dùm res ageretur, circumegit ſe annus, & tandem Dux Subaudus, Pontifice annuente, vt is, qui haud in animū induxerat vnquam, Cardina-lem Bellarminum illis redditibus priuare, deliberauit fratris filium, & ei cognominem Robertum Bellar-minum, geſtamine magnæ Crucis inſignire, & loci Commendatarium nominare. Sic magnitudo benefi-cij moram compēſauit, & fratris filio fuit honori, præ-ſidioque Patrui virtus: ac ſimul, tùm Ordo beneficij poſseſsionem adiuit, tùm Cardinalis Bellarminus pro-uentus indè ſumpſit, nunquam immemor obligatio-nis magnæ ergà Subaudiæ Ducem, propter oblatum vltrò beneficium familiæ ſuæ: cùm huius illa ſubſidij

ſatis nimirùm indigens foret. Functus itaque curas iſtiuſmodi omnes, animus eius, ingentibus negotijs par, ſe ad publica munia, ex deſtinatione Pontificis, in Vrbe conſultrice Eccleſiarum omnium, obeunda penitùs dedit.

VITÆ

VITÆ
ROBERTI CARD.
BELLARMINI
E
SOCIETATE IESV
LIBER V.

Eccleſiam Politianam, dùm proprius illius Epiſcopus abeſt, annos aliquot gubernat.

CAPVT I.

CVM ad initia principatus Pauli V. eſſet abiturus in Gallias Legatus, Robertus Vbaldinus Politianæ vrbis Epiſcopus, qui iàm eſt inter Purpuratos Patres; nè Eccleſiam ſuam incuſtoditam relinqueret, Cardinalem Bellarminum, defunctum non ità pridèm Capuæ Archiepiſcopatu, rogauit; illius gubernaculo præfici ſe interim pateretur: quippe cùm ipſe regere eam propter legationis munera nequiret, & regionum longinqui-

tatem. Id verò flagitauit tam impensè, vt Cardinalis Bellarminus non potuerit, quin annueret, certus præſertim eam ipſiuſmet Pótificis mentem eſſe. Verùm, cùm hæreret altè animis cogitatio, planè rem formidandam eſſe, quòd tandem quiſpiam, propter adminiſtrationem animarum, ſiſtere ſe ſupremo Iudici debeat, ac Paſtori Deo; dixit præciſè, id quicquid eſt oneris, quod maximum eſt, haùd ſubiturũ ſe alio nomine, quàm ſolâ obligatione caritatis. Velle proindè, in Pontificio Diplomate vt hoc ſingillatim exprimeretur; nec aliter factum eſt; debueruntque interſeri hæc verba. *Per præſentes autem non intendimus curam aliquam, aut onus animarum tibi imponere; ſed facultatem tantùm præmiſſa faciendi, vt tua in Eccleſiam prædictam caritas ſuadebit.* Tametſi ſollicitudine, vigilantiâque eam gubernauerit perindè, atque ſi iuſtus Paſtor, non precarius ei præfuiſſet.

Tranſactis ijs, cenſuit optimum fore, ſi antequàm moliri quicquam inciperet, Etruriæ Magnum Ducem, eius Vrbis Dominum ſuſceptæ deliberationis redderet ipſe participem. Scripſit itaque, inductum ſe ad id, vehementi poſtulatione Epiſcopi, & Summi Pontificis imperio etiam. Porrò, ſicut defugere onus nequiuerat; ità conatu magno annixurum, vt cuncta ei obſequenter fierent: nam, neque ab ipſo iniungendum ſibi quicquam præter fas, & ius, certò arbitrabatur. Pòſt gubernaculo incumbens, diſpoſuerat Eccleſiæ illi,

illi, non per Vicarios tantùm præeſſe; litteriſque datis, & viciſſim acceptis cognoſcere de ſtatu eius; tranſmittere conſilia, & opportunas leges; ſed eò quotannis immigrare, & interuallo aliquo morari. Pontifex tamen, qui Capuæ ſepoſitum in Archiepiſcopatu degere noluerat, vt Eccleſiæ totius curis grauioribus Romæ intereſſet, prò eo veniam abeundi negauit Oratoribus Cleri Vrbis Politianæ. Et tunc piæ Cardinalis querimoniæ auditæ ſæpiùs; vt qui cenſeret, haùd ſe poſſe, dùm aberat ignarus rerum, Paſtoris implere munus, iuxtà ſuę amplæ caritatis modum, neceſſitudinemque populorum. Ægrè his verò temperauit, reputans Pontificem poſtulanti etiam ſibi reſpondiſſe, permiſſurum vtiquè, ſi animi causâ, vel amœni ſeceſſûs eò cogitaret; ſecùs, ſi, vt reſideret. Nàm, variato potiùs ordine, concedi rem debere crediddiſſet. Sed eius adgnita Pontifici virtus effecit, vt (quià ſciret ipſum haud inuitare ſe ad rem vllam, quę ſpeciem laxamenti, honeſtæque ceſſationis haberet) voluerit eâ vti arte cùm ipſo, vel ideò, vt quod negaret ſeueriùs, pro ſe ipſe condiret ſuauiùs. Itaque deſtitutus hac ſpe, quià Romæ Vgo Vbaldinus, S. Petri in Vaticano Canonicus, Epiſcopi germani fratris nomine, negotia Politiani cum eo agitauerat frequenter; decreuit virum egregium, & in quo probitatem quandam introſpiceret, virtutemque ſingularem, mittere luſtratûm Eccleſiam illam, quò poſſet dein ab eo condoceſieri,

mone-

moneriq́ue de ſtatu eius, itàq́ue, quæ neceſſitati congruerent, deliberare ſapientiùs. Acta hæc, vt optauerat: & tùm gnarus rerum Eccleſiæ illi aduigilare ſecuriùs. Viſa proindè ſacra myſteria obiri decenter, miniſtrari ſanctè verbum Dei, rudes inſtitui, Cœnobia inſtrui quibuſuis animæ, & cæteræ vitæ ſubſidijs, Religioſis viris vitæ norma præſcripta, Clericis pietas, & mores honeſti; reuulſa praua documenta, demùm omnibus fuit rectè faciendi, aut iniecta voluntas, aut impoſita neceſſitas.

Inter plura digna memoratu, quæ egit, quia haud poſtremum fuit, conſtitutiones eius Eccleſiæ recognoſcere, atque ad formam eam exigere, quàm ætas præſens, & Tridentina Synodus requireret; vt id poſſit intelligi meliùs, paulò rem altiùs peto.

Anno M. D. XLII. Paulus III. Pontifex Cardinali S. Crucis, qui deindè Marcellus II. diplomate Apoſtolico auctoritatem conceſſit aptandi, ſtabiliendiq́ue Eccleſiæ Politianæ leges: nàm ea tùm redacta in Collegij formam erat; ſed immunis ab Epiſcopali iure, & nullius Diœceſis. Quæ igitur ſanciuerat ille, cautum fuerat, nè abſque primæ Sedis veniâ poſſent immutari. Quia tamen Pius V. Pontifex Eccleſiam Politianam erexerat in Epiſcopalem Sedem, Conſtitutiones eædem, Eccleſiæ nouo vſui, haùd ſatis aptæ viſæ ſunt primo eius Epiſcopo; & ideò is, anno M. D. LXVI. ſanctiones alias, Sede Apoſtolicâ non rogatâ, nō

con-

conſultâ, iuſſit, ſeruauitque ipſe, & Epiſcopus alter, qui ei, vtpotè Patruo, ſubrogatus eſt proximè. Verùm, poſtquàm exceſſerunt ambo, tàm priſcæ, quàm nouæ leges à nemine cœptæ sũt coli, & deſuetudine, vti fit, expirârunt. Hinc Vbaldinus Antiſtes, & vnà etiã Clerus, à Paulo v. Pontifice flagitârunt, iniungeret ipſe Cardinali Bellarmino, vt qui Cardinalis S. Crucis ex Sorore natus, & rerum harum ſcientiſſimus, diù iam Eccleſiam rexerat, Conſtitutiones ad præſentem vſum concinnaret: adderet, quæ vellet; quæque nollet, adimeret. Qui, imperiũ vbi accepit, ex Apoſtolicæ Sedis diplomate ſubſcripto ad VIII. Id. Decemb. M. DC. XIII. iuxtà forenſem formulã, auctoritate publicâ voluit Canonicos omnes adigi, tùm, vt aſſenſum, ſanctionum illarum permutationi darent, tùm, vt ſe adprobaturos, quæ ſtatueret ipſe, pollicerentur. Præterea cognoſcere inſtitit magis diſtinctè de ſtatu Eccleſiæ, & intelligere ab alijs quicquid in rem foret, vt is, qui agere rem fœlicem incœptu, felicem exitu meditaretur. Sic aggreſſus labore magno cuncta ordinare, Cõſtitutiones condidit: ſed non eas antè Pontifici tulit, quàm (ratus plùs pollere multorum ingenia) oſtenderit amicis Epiſcopis aliquot, qui habebantur eâ peritiâ longè primi, vt eas verſarent ſecùm animis, & conferrent mutuò ſermonibus; itàque prudenter Paulo v. Pontifici eas præparauit.

Pontifex, vt habuit proprium, ſingula, quæ eſſent huiuſ-

huiuſmodi per ſe inſpicere: nihil motum ex antiquo habuit probabile, veteribuſque, (niſi quæ vſus, aut ſtatus præſens euidenter argueret) ſtari maluit; tametſi Clero perparùm ea placerent. Hoc refert in Epiſtolâ Cardi-
» nalis Bellarminus, in quâ, Scire, inquit, vos velim, Sum-
» mo Pontifici cuncta, quæ optaſtis, fuiſſe à me propoſita:
» ſed ipſi placitum, legem nullam abrogari ex eis, quas Car-
» dinalis S. Crucis, auctoritate Pauli III. ſanciuit olim, &
» tantummodò tolli, ſi quas, aut vſus redarguit, aut ſtatus
» nouus Eccleſiæ ipſius, & Cathedræ honor inutiles facit:
» addi verò, ſi quas Sacræ Tridentinæ Synodi tempora, vel
» Pontificiorum Diplomata, poſtmodùm edita, deſide-
» rent. Voluit nimirùm Conſtitutiones omnes legere
» ipſemet, & æſtimare ſingulas, priuſquàm adprobaret.
» Quæ itaquè vobis neutiquàm placent, haùd mea ſunt:
» ſed Cardinalis S. Crucis, ſed Pauli V. Summi Pontificis.
» Neque me obniti côueniens. eſt Cardinali tantæ integri-
» tatis, aut voluntati eius, qui Dei Vicarium in terris agit.

Sed anceps, & diù triſtis tractatio alia fuit, cùm Cardinalis Bellarminus, aucturus quotidianas diſtributiones Cleri, quæ censûs perminimi erant, tentauit adgregare eis beneficium alterum, cui animarum adnexa procuratio, & quod erat intereà conferendum, ab obitu Paſtoris Eccleſiæ S. Muſtiolæ. Viſa hæc nimirùm occaſio peropportuna, vt indè redditus augeſcerent Cleri: ideoque ſepoſitâ omni cogitatione gratificandi, aut agnatis, aut alteri, cuius priuata in ſe merita munerari penſione potuiſſet; nam illius ca-

capax beneficium erat, hoc vnum inſtitit; & quidem eò vehementiùs, quòd beneficia eius Diœceſis rara admodum eſſe non ignoraret. Acceſſit & illud commodi, quòd animaduerteret ex hoc ſimul anſam dari, vt Cœnobium Sacrarum Virginum S. Bernardi, propè ad S Muſtiolæ, exoneraretur obligatione graui procurandarum animarum. Rem vt conſultiùs auſpicaretur, conloqui primùm de eâ, cum Cardinali Arrigono Datario, viro harum tractationum expertiſſimo: pòſt, ab Oratore Etruriæ, percontari de Magnæ Ducis mente: demùm Ciuitatis totius, Parochorum præſertim explorare voluntatem; nam quæ ad Epiſcopum ſpectarent, ea ſatis expedire Vgo Vbaldinus in Vrbe coràm potuiſſet. Dùm eſſent cũcta in hunc modum diſpoſita, contradicente nemine, impetrantur Pontificia diplomata, aditurque poſſeſſio. At non multo pòſt, tres, quatuórve ex tribu, ſeu Parœciâ extinctâ litem incœptant, & apud Nuncium Apoſtolicum Florentiæ, tantò rem vrgent validiùs, quod adminiculum, apud neſcio quos præpotentes in Aulâ Principũ Etrurię haberent. Cardinalis ægrè enimuerò tulit, aduerſarios eò niti, vt rem diſſoluerẽt, quam maturitas tanta conſiliorum, Summique Pontificis auctoritas ſtabiliuiſset. Quò itaque motus ille ſedaretur (quia negotia hæc inchoare ſolitus erat, Laicos Principes ſibi deuinciẽdo beneuolẽ) ad Magnam Ducem Etrurię, tùm Patrię Dominam, aduerſus eos mo-

ratores publici commodi litteras dedit, ſeque pacis amicum oſtendens, dixit, ſi ſenſum illum paucorum hominum, qui factam aggregationem ità traherent in deterius, nutu ſaltem intellexiſſem, priuſquàm Clerus curaſſet impendijs magnis, vt Diploma Pontificium obſignaretur, fortaſsè ſtatim incœpto deſtitiſſem. Sed retractantes eos eſſe, poſtquàm à Summo Pontifice ſancita res; à Cardinali Arrigono Datario meditatè admodùm concepta, Oratore ipſo Etruriæ participe, & conſcio; ſucceſſu, pro Clero vtilitatis ſummæ, pro Religioſis Virginibus S. Bernardi, ſummæ etiam quietis, demùm detrimento neminis; hoc exiſtimaui non ferendum. Cōtrà lis oborta, damnoſa ſingulis priuatim, damnoſa vniuerſo Clero; quid aliud oro, adferet ſecum, quàm vt exagitatis iuxtà, & importunis exagitatoribus expenſas, Ciuibus verò diſſidia creet? Ad epiſtolæ finem à Magnâ Duce flagitauit, permitteret Sedis Apoſtolicæ Nuncio, rei totius arbitria, ſilentiumque imperaret his, qui ſoli factum muſſantes, quod adprobarent omnes, temerè turbas eas concitârunt. Reſcripſit illa in hunc ferè modum.

„ Semper fuit mihi perſuaſio, nihil ſolêre à te non
„ circumſpectè agi, & aggregationi Eccleſiarū Vrbis Po-
„ litianæ interceſſi tantūmodò, quia referrēt ad me, poſſe
„ rem in incommodum cedere: & in Ciuitate turbas
„ eſſe. Sed, ex quo agnoui, per paucorum hominum que-
„ rimonias falsò vtrumque fingere, mihi abūdè eſt, quod

ſciam

„ ſciam, Ciuitati rem in tranquillo eſſe. In his, quæ ſunt „ reliqui, nec debeo, nec poſſum, quin laudem, quæ tu „ prudenter egeris, & Summus Pontifex adprobârit. „ Nuncius Apoſtolicus ſatis conſcius eſt, me, nec loquu- „ tam, nec mandaſſe cuipiam, vt loqueretur pro causâ „ iſtâ aliter, atque ſcripſi; & hoc volui, vt compertum „ haberes, ſicuti compertum habuit Archidiaconus Po- „ litianæ Eccleſiæ, qui me conuênit. Quod ſupereſt, „ ex more antiquæ obſeruantiæ meæ, manus tibi exoſ- „ culor. Florentiæ, VIII. Id. Iun. M. DC. XIV.

Hæc ad ipſum optimæ mentis fœmina Princeps: cui ſi obſecundaſſent alij, rem paruam, & apertã; magnam, & ſuſpectam non feciſſent, & vaneſcere citò potuiſſet diſceptatio ea omnis. Sed cùm turbæ aggraueſcerẽt in dies, vitio quorundam, quibus in Cardinali Bellarmino ipſa potentia benefaciendi grauis erat, idem Cardinalis reputans natam procellam propter ſe, tot aduerſis confluentibus, decreuit enauigare tandem, atque abdicare ſe eâ præfecturâ; deponereque curas, ad quas felicitas deeſſet. Et verò facta deinde tranquillitas eſt; pax reſtituta omnibus; & obluctante nemine ſtabile fuit, quod pro Cleri bono ipſe diſpoſuerat.

Poſtquàm itaque ſollicitudine mirâ quadriennium Eccleſiæ illi conſuluerat, aſſerto Clero in formam optimam, aucto cẽſu, re nullâ omiſſâ, vnde oriri, vel ornatus, vel vtilitas potuiſſet, ac demùm omni adhibito conatu, vt Societas IESV in eam Vrbem rediret,

ret, quò nimirùm iuuentus apud Præceptores pios ſimul virtutis,& doctrinæ hauriret diſciplinam, Pontifice annuente adminiſtrationem illius totam ſpontè Vgoni Vbaldino ceſſit, cuius ille apprimè capax, nec immeritò iudicabatur. Nihilominùs pietatem ergà Patriam coluit perpetuò; ſicut geſtis in gratiam eius affirmari poſſet. Quippè plurimis conditionem petentibus interpres, & deprecator apud Principes fuit; ambiguis conſilia; ſubſidia egenis largè ſuppeditauit: vno verbo, ergà ſingulos,& vniuerſos partes omnes impleuit optimi, dicerem potiùs Conſulis, quàm Ciuis.

De Patrocinio; tùm Ordinis Cœleſtinorum; tùm piarum aliquot familiarum.

CAPVT II.

INTER occupationes Cardinalium, quas Romæ obeunt, vt Summum Pontificem in regimine iuuent Eccleſiæ Vniuerſalis, patrocinia ſunt, nō Regnorum modò, & Prouinciarum; ſed Religioſorum Ordinum etiam, diſtribuente ipſo Pontifice iſtiuſmodi Præfecturas. Hoc munere pariter defungi Cardinalis Bellarminus in purpurâ debuit, & fuêre ſub tutelâ eius imprimis Ordo Cœleſtinorum, Cœnobium in Vrbe Româ Sacrarum Virginum S.Marthæ, & Collegium

gium Nationis Germanicæ. Horum itaquè tueri iura; ſi quid obueniret damni, propulſare; nè multis, cuncta ea moliri, quæ profutura exiſtimaret, aut clàm aliquibus, aut palàm omnibus.

Patronus Cœleſtinorum renũciatus eſt anno M.DC.VI. ſpe vtique magnâ, fore, vt ſub ipſius tutelari prouidentiâ, eis, tùm animæ, tùm ſæculi augeſcerẽt opes; hauſtamque indè lætitiam Religioſi publicè manifeſtârunt. Ipſo initio, quià inſtarent Ordinis Comitia, & quià minimè nôrat, qui optimi, vt eligerentur; decreuit epiſtolâ, in quâ inerat eius cordati pectoris plurima vis, ad electionem integram hortari omnes. Significauit verò, actum à ſe cùm Pontifice de ipſorum communi bono, & ſingillatim de Antiſtite Supremo, deque Præpoſitis alijs deligendis. Dein adiecit, à Pontifice gratiam eis fieri pro liberis Comitijs, nè videlicet in his externi præſideant. Ad hęc mandauit, nè libelli, qui cõmendatione fungerentur, ſiue ad Comitia generatim, ſiue ad ſingularem quempiam miſſi reddantur: ſed accepti, nec reſoluti cuſtodiantur vſque ad abſolutam electionem Antiſtitum omnium. Quod ſi prudenter ambigeretur, eſſétne, inter eas litteras gratiæ, epiſtola, quæ negotium adferret; tùm ex Ordine vnus probitate & conſilio præſtans eam legeret, redderetque, cui deſtinabatur, ſi fauorem conciliaret nemini. Secùs attineretur, abderetur que vſque ad exactum poſtremum diem

comi-

Comitiorum. Prohibuit quoque, nè intereà temporis famuli ſermone, vel per ſingraphas quidpiam eligentibus nunciarent; & demùm iuſſit has leges aſſerturas ſuffragiorum libertatem, integritatemque electionis recitari publicè in Comitijs. Ad finem epiſtolæ, exprimebat illud: cupere ſe ex animo, vt ſuccederent tranquilliſſimè omnia: vt propriæ rationes exularent: & in id conſpirarent ſinguli, quod Diuinæ gloriæ, quod vtilitati Ordinis maximè ſubſeruiret.

Aliter diſpoſuit; cùm ij, triennio pòſt, in ſuffragia redierunt. Nouerat, in quem virtus, in quem inclinaret fauor, & Religionis neceſſitates perſpectas habebat. Ideò ſolertiâ magnâ inſtitit, vt celebrarentur Comitia, formâ quàm poſſent lectiſſimâ. Itàque, recurrentibus ijs ad an. M. DC. IX. Epiſcopus Soræ, iam Archiepiſcopus Tarenti, in eo conſeſſu Præſes prò Cardinali fuit, qui & ipſum condocefecit diſtinctè, circà vniuerſa, quæ ſcire eum oportuiſſet. Comitijs tertiò denunciatis, ad an. M. DC. XII. haùd viſæ ſatis hæ induſtriæ: ſed certum habuit coràm adeſſe. Contulit ergò ſe ad Abbatiam Moronis, quam appellant, propè Sulmonenſem Vrbem: & nè expéſis eius Cœnobium nimio æquiùs premeretur, cum aſſeclis paucis, illò immigrauit; ex quo incolæ loci, cùm haùd ſibi honori ducerent, ipſum aduenire adeò tenui comitatu, rogârunt ſæpiùs, ex familiâ accerſiret omnes, nec vnquàm impe-

impetrârunt. A conſeſſu Comitiorum, tametſi fluxionibus pituitæ extillantis tentatus, valeret improſperè, nunquàm potuit adduci, vt excuſato languore, vel ſemel abeſſet. Monachos hortabatur quotidiè, effecitque indubiè orator egregius, voce, & præſentiâ ſuâ; à quâ nimirùm aliqui metuerant, vt magis Deum, & conſcientiam timerent. Materia dicendi erat, ſe id vnicè pro eis velle, vt eſſet libera electio; vt eligerent optimum. Sic æquiſſima ipſius mens, quàm nec propria ratio, nec vis naturæ vehemens turbaret, inuitabat exemplo ſuo, nè ſe in ſtudia priuata laxarent animi, vel in partes diſcederent. Atquè hinc admiratione ſummâ euênit, vt datis ferè ſinè variatione ſuffragijs, Generalis Antiſtes creatus fuerit P. Ioannes Baptiſta Sulmonenſis, magnæ vir experientiæ, & diù notæ probitatis.

Poſt hæc, vt ſtabilirentur nouæ ſanctiones, & adæquè factis, atque paginis ſcriptæ inuenirentur, à Pontifice Diploma obtinuit, quo in nouis Comitijs indictis ad an. M. DC. XV. fieret eis poteſtas eum Antiſtitem retinendi, quem pridèm habuerant, quãuis id conſtitutione Ordinis aliâ vetaretur. Vt verò ad id eos induceret ſuauiùs, hæc in epiſtolâ inſcriptâ Ordini vniuerſo, diſſeruit. Priſcas ſanctiones Petri Cœleſtini, Sanctiſſimi Pontificis, præſcribere quidem, vt Abbas ſupremus, exacto triennio, abdicet ſe præfecturâ: ſed totis Comitijs nihilominùs gra-
tiam

tiam ſimul facere pro altero triennio, cum retinendi, dum velint. Quòd ſi Conuentus, habitus dein Pontifice Ioanne XXII. ius illud abrogauit, factum id nimirùm, quò ambitioni omnes præcluſæ viæ inuenirentur. At conſtare iam, triennale ſpatium, quando Antiſtes eximius eſt, anguſtum videri, vt quæ inchoauerit ſæpè perquàm vtiliter, poſſit ea perſeuerantèr tueri, ne eius in exitu ſtatim vaneſcant. Quippè in Religioſis ijs Ordinibus, in quibus omnem poteſtatem ad vnum conferri, boni communis interfuit, magna licèt ingenia eligantur, haud perfectiſſimè queunt in commune conſulere, niſi aliquo modo huic negotio inſeneſcāt. Quæ cauſá eſt ferè, cur Religioſæ familiæ iam hoc more agāt, vt vel continuent ad obitum vſquè in ſupremo Præſide præfecturam; vel conentur ipſum triennio circumacto, in eiſdem iuriſdictionibus ad ſexennium habere. Demùm abſoluit in hæc verba. Et quià Generalis Antiſtes,
„ qui iam Ordini præeſt, regimine ſuo vota impleuit Sum-
„ mi Pontificis, & mea (quæ fuit in ipſo prudentiæ, æqui-
„ tatis, & morum cætera laus) cùm non poſſit eſſe ſuſ-
„ picio affectatæ poteſtatis diuturnioris, vt qui niti ſe in ve-
„ titum facilè credidiſſet, proptereà auctor fui ego ipſemet
„ mihi, flagitandi Pontificium Diploma, cuius vi, atque
„ auctoritate poſſet Antiſtes idem hac vice dumtaxat
„ confirmari. Etſi verò eſt eâ deliberatione Pontifex,
„ vt Diploma, non ad cogendum, ſed ad ſuadendum
„ prolatum velit: non poſſum ego, quin vos hortet om-
„ nes, vt ſeponere reſpectus proprię vtilitatis, & quę

ſcripſi

,, ſcripſi, altè perpendere velitis: nempè, cùm Antiſtes
,, optimus eſt, triennium in gubernatione prodeſſe pa-
,, rùm. Pro me, opto, vt ſit omnibus perſuaſio, mihi
,, conſilium huius procurationis dediſſe tantùm id, ex
,, quo poſſit Numini laus, & Ordini veſtro vtilitas oriri.
Voces viri, ità flexæ ad modeſtiam, pro oraculis acci-
piebantur: ideò in electione congruere ſententiæ om-
nium: ex quo ſicut optauerat, audiuit P. Ioannem
Baptiſtam Sulmonenſem, Ordinis ſupremum Anti-
ſtitem reſalutari. Simile Diploma, ad tres item an-
nos, Patri Celſo Amerigo, qui electus An. M.DC.XVIII.
adhuc Ordini præeſt, impetrauit, quià virum expertus
egregium; præcipuè, dùm prudētiâ, & dexteritate mi-
rabili, Galliarum, & Belgij Cœnobia cæteris Italiæ
aggregauit, ac Antiſtiti Generali ſubiecit. Nego-
tium hoc, quià fuit à Cardinali diù, & laborioſiſſimè
agitatum, hoc loco haùd præteriri debet. Galliarum
Cœnobia Ordinis Cœleſtinorum, & vnum in Belgio
etiam, imperium Abbatis Vniuerſalis vltrà verba, &
tributum, quod exoluerent annuè, non agnoſcebant:
nam cætera, nec parère eminùs iubenti, nec pati co-
minùs viſitantem. Obfuerat longinquitàs loci, vel
conſuetudo mala; quæ, priuſquàm inualeſceret, op-
primi debuiſſet. Imò iam Galliarum Orator à Pon-
tifice, Regis nomine, poſtulârat, Cœleſtinos Italiæ,
Galliarumque permitteret ità diſtingui, vt prò eo Re-
gno Abbas Generalis alius, & Prouinciales Præſides

tres eligerentur: ex Religioſis verò non pauci hoc ipſum, quod fauore Principij ab Rege impetrare ſtudebant, ſpecie Reformationis intereà honeſtabant. Sed vota irrita nimirùm fuerunt,& quod diù poſſederant,perdidere; ſicut adſolent hi, qui ſpretis, quæ antiqua, noua vel cum iacturâ moliuntur. Cardinalis Bellarminus, vt ſummo Præſidi Ordinis illa ſubmitteret, poſtquàm rem in Comitijs agitaſſet cõſilijs, adijt Pontificem venerans,nè, eſſe Cœnobia ea Galliarum à Capite abſciſſa,pateretur,& Apoſtolico Nuncio ſcripſit, vt cum Rege ageret, quò Abbati Generali in Gallias, viſitandi causâ, veniendi fieret poteſtas. Dein inchoatam procurationem fouit patrocinijs alijs, nec priùs deſeruit,quàm auctoritate Sedis Apoſtolicæ, & Regis etiam licuerit Generali in illud Regnum ire, & circumſpicere Cœnobia omnia. Quod egit ſanè euentu proſperrimo: nempè vbique exceptus hoſpitijs humaniter, auditus obſequijs feliciter. Obuenère difficultates tamen, quæ propter circumſtantias graues, haùd abſque indultis quibuſdam (cuius generis Romæ rara impetrantur) ſedari potuiſſent. De ſingulis verò, cùm Abbas Cardinalem per litteras commonefaceret, ipſe omnium, quæ executionem morarentur intolerans, laborioſa, & difficilia, quæ eſſent, mirâ conſtantiâ peruicit, reſponſaque eius in Gallijs celerrimè, quaſi adferret ea Cœleſtis aliquis Nuncius, reddebantur.

Sanè

Sanè P. Celſus Amerigus Generalis, ſic rem totam interpretatus eſt, vt exiſtimauerit, tractationes illas tàm arduas, precibus ipſius Cardinalis veriùs, quàm humano alio ſubſidio, celerem eum exitum habuiſſe. Inducebatur verò ipſe in eam perſuaſionem præſertim, quià ituro in Gallias prædixerat diſtinctè, futurum, vt res è ſententiâ feliciter, & cum honore tranſigeretur. Etenim exceptus à Rege beneuolè ſpatium ſermonis, & copiam auctoritatis, vt exequeretur fortiter, quæ deſtinârat prudenter, nunquam deſiderauit. Habentur hæc in litteris à Legato Pontificis, qui iam eſt Cardinalis Bentiuolus, ad Cardinalem Bellarminum datis. Narrat quippè, Generalem Antiſtitem adductum à ſe ad Regem, priuſquàm viſitationem auſpicaretur; & pòſt, dùm rebus in vno loco compoſitis, alias ſuper alias adiret Sedes, vbique relictas ab eo leges aptas, continendi causâ illos, quorum inclinata in diſſidia leuitas timeretur. Deinde Luteriam reuertiſſe, & cœpta Ordinis Comitia; inductos verò omnes, vt Prouincialem eligerent, virum, communis boni perſtudioſum, leniquè ingenio, & planè factum ad quietem: vt qui in communibus diſſidijs auditus fuerat nunquàm adſtrepere. Ad hæc, reſtitutam legibus vim antiquam, & firmatum nexum inter Galliarum, Italiæq; e familias: dimiſſis propterea, fauſtâ acclamatione, Comitijs. Quę omnia quià Generalis Antiſtes circũſpectè, pru-

denterque geſſiſſet, fatebatur, indè natam ei opinionem tàm honorificam, vt expectationem omnem ſuperârit. Legatus deindè, nè fortaſſis hæ ſpecioſæ commendationes viderentur, quales Aulicis Scriptoribus ſæpè abundè è calamo in paginam fluunt, hæc adſcripſit manu ſuâ.

„ Nè, quæſo, ſcribi hæc exaggeratè credas: quià nun-
„ quàm ità magnificè quicquam dicam, id virtus quin
„ ſuperet P. Generalis, famaque, & commendatio,
„ quam ſecùm in Italiam refert. In partem tamen præ-
„ cipuam laudis huius tu nimirùm venis, qui ei auctor,
„ & ſuaſor fuiſti ſuſcepti huius itineris in Gallias. Lute-
„ tiæ Pariſiorum, IX. Cal. Nouembr. M. DC. XVIII.

Sed & epiſtola noui Prouincialis Galliarum, hoc totum vni adſcribit Bellarmino, dùm ipſe in eâ, inquit,
„ Statim atque à te litteras accepi, datas XIIII. Cal.
„ Mart. retuli gratias Deo prò amplis beneficijs, qui-
„ bus nos cumulauit benignitas tua. Et verò, niſi te
„ Patrono foueri nos contigiſſet, periturimus haùd du-
„ biè. Semper propitius tibi ſit Deus, cuius tutelâ
„ hoſtes noſtri fugam arripuerunt. Quid dicam Tutor
„ vigilantiſſime? Tu patrocinio iſto filiorum tuorum
„ gloriam es adeptus immortalem. Etiam, decuſſis ca-
„ pitibus turbarum tandem, etſi ſerò, ſapere videmur, vt
„ non in prolapſiones has denuò ruamus. Vigilantes eri-
„ mus pro cuſtodiâ religioſæ diſciplinæ, vt floreat
„ ſub tuo patrocinio, vt ſpiret odorem ſuum. Quin

imò

„ imò ne ſuſcepti à te labores noſtrâ incuriâ pereant;
„ res à te geſtæ, in recordatione omnium, æui perēnitate
„ viuent. Cùm promerita tua, Ampliſſime Cardinalis,
„ ea ſint, quæ poſſint à Deo tantùm iuſtâ viciſſitudine
„ compenſari, à nobis verò æquari nūquàm; cogitamus,
„ tibi vtique forè ſatis, ſi nos ea, vt ità dicam, adoraueri-
„ mus, coluerimuſque ſilentio, veluti res inenarrabiles.
„ Neque ope noſtrâ indiges tu, qui ſacros inter Scrip-
„ tores doctiſſimus, ſanctiſſimusque, ſplendes perindè,
„ atque Auroræ ſydus, & fulges Sole meliùs in perpe-
„ tuas æternitates. Age, & magno animo filijs tuis pa-
„ trocinare, ne lædere nos audeat caudâ ſuâ tortuosâ
„ ſcorpio venenatus. Te omnes diligimus, colimus,
„ ſuſpicimusque admirabundi, venerabundi: & ego
„ ſingillatim, ſi quæ imperaueris, dicto ſemper audiens
„ ero. Noſtra hæc deſideria ſunt, ô Præſes, ô Tutor
„ vigilantiſſime, vt viuas diù ſoſpes, diù felix. Quod
„ ſupereſt, opto equidem quàm demiſsiſsimè, puluerem
„ lambere pedum Summi Pontificis; centiesque locum
„ exoſculari, vbi tu veſtigia poſuiſti. Ambiani, VI. Idus
„ Aprilis M. DC. XIX.

Sed haùd res minoris emolumenti fuit, cùm, vt Religioſi ſimul virtutibus, ſimul litteris euaderent eximij, Cœnobia ſeligi quatuor voluit, eaque Ordini vniuerſo, in partes totidem diſtributo Domicilia eſſe, in quibus Nouitij viuere inter ſe diſcreti à Veteranis poſſent, & non ſparſim in Cœnobijs varijs eorum cō-

uictores

uictores fructu perminimo. Ità namque partim Rectorum priuata, & aſſidua inſtitutio; partim æmula Sociorum virtus prolem ſufficere ſolet, ab antiquâ diſciplinâ minimè degenerem. Deindè quatuor alia Cœnobia iunioribus Profeſſis, qui exacto Tyrocinio ad ſtudia minora; totidem prouectioris ætatis alijs, qui ad diſciplinas grauiores niterentur, dedit, adlectis Profeſſoribus, in quibus virtus ingenio par inueniretur. Atque his adiumentis mirùm eſt quantoperè auctus numero, & conditione ſit Ordo vniuerſus. Quoniam verò vſu didicerat, quid proſit ad profectum conſuetudo piè meditandi, morem hunc reſtituit quoquè; & vt Congregationi S Benedicti Ordo Cœleſtinorum perfectè ſimilis redderetur, Cœnobia minora quædam adnecti voluit maioribus, & familiam vnamquamq; ad duodenos minimùm augeri. Pòſt à Paulo V. Pōtifice impetrauit, vt domicilia, in quibus hic numerus eſſet, ſuo peculiari Abbate regerentur: vndè cum diſciplinæ laude aucta quoque dignitas fuit. Hoc pacto formatis, & ordinatis, quæ ad Antiſtitum electiones, ad obſequia ſubditorum erga Præſides, ad Tyronum inſtitutionem, ad ſtudia Iuniorum, ad omnium meditatas preces, ad nouos Ordinis titulos, ad cõmune bonum attinere videbantur, functus officiũ eſt Patroni optimi, & Magiſtri morum ſolertiſſimi. Ratio eius agendi cum ſingulis, qui effugia ad ipſum haberent, hæc potiſſimùm erat. Vnicuique copiam faciebat

bat, vt curas animi apud ſe egereret, promereque poſſet liberrimè, nemoque fuit tam infelix, qui Parentis in eo viſcera deſiderârit. Cum his, primò ipſe officijs ægrum animum delinire; pòſt ſalubribus modis curare: ſemper verò vti manu lenitatis, niſi cùm requirebatur ad ſanandum medicinæ aliqua auſteritas. Nam ſi quis notatus probri, malique moris eſſet corripiendus, excuſsâ priùs causâ, decernebat, lueret pœnas; ſed ſemper citrà quàm mereretur: cum quo nec pacem habere poterat, donec iam rectis euntem ſenſibus eum adſpiceret. Et ſanè amabant rectitudinem hâc interdùm ijdem, in quos hoc pactò animaduerteret, & prudentiam à caritate, ſeueritatem à lenitate commendabant; cùm ipſorum errorem ſanaret, vt Pater; & haud ſecùs, quàm viſcera ſecans ſua, ſingulis mederetur.

Præpoſitis propriam ipſorum auctoritatem aſſeruit ſemper, defugiens miſcere imperium in his, in quibus eorum iuriſdictio verteretur. Ideò reſcripſit ſæpè, ad ſe non attinere de ipſis diſponere, & Cœnobia eis diſtribuere: proin adirent potiùs Antiſtites ſuos. Si qui fortè Viri Principes, è Monachis quempiam commẽdarent, illum ipſe Præſidi Generali, aut vni alteri è minoribus Præpoſitis, pro vt res ferret, ſimpliciſſimè proponebat, & ità moderans, vt non facile eſſet aduerti gratiæ ſigna; imò videretur ſæpè contrarium expetere: adeò huiuſmodi germinibus ſub alienâ

nâ latentibus vmbrâ patere Cælum cupiebat, nè rerum ſuarum fiduciam vlli, præterquam vni committerent Deo. Sed enim ſuperuacanea erant hæc officia: nam quæ eſſent ad virtutem, vltrò ipſemet offerebat, nullo alio indigens, vel auctore, vel interprete, quàm inſtinctu beneficentiæ ſuæ. Contrà, ſi quem non depuderet, petere patrocinium Religioſo alicui minùs probo, & conſpernanti diſciplinam, tùnc nec auctoritate flecti, nec gratia Principum vllâ, vt ei damnationis faber eſſe vellet.

Initio Religioſi huius Ordinis, vt cum Cardinali officioſè agerent, qui eis cœperat patrocinari, munus ei ex re cibariâ miſere. Tùm ipſe ex dono perindè, atque ſi laceſſitus iniuriâ, erubuit, iuſſitque ad Cœnobium redire munus, nè manus munuſculo eo commacularet. Sic non ſemel Romæ ad S. Euſebij domicilium remiſit poma, quæ Religioſi eius loci ex propriæ vineæ penu, ſpecie officij, tranſmiſerant. Sed & Aulicis ſuis eorum muneribus, tametſi leuiuſculis interdictum voluit, & quò rei adderet metum, propterea è familiæ albo vnum eraſit. Hanc legem cuſtodiuit quoque, dùm Religioſarum Virginum S. Martæ Cœnobium patrocinio rexit, quibus conſolationes vberes animæ ſubminiſtrauit perpetuò, & imprimis viros idoneos, qui confitentibus aures darent: ſolitus iis quandoque ſubrogare alios, qui ordinarii non forent, quò illæ poſſent liberiùs ægri animi atque affectiones aperire cauſas, curiſque ſanari. In conſeſſu earum quoque aſſedit ſæpe, Antiſtitam dùm eligerent, & de communibus, priuatiſque neceſſitatibus

ea-

earum adeò cognouit aſſiduè , vt eo ipſo anno , ac menſe , quò Paulus v. diem obijt , & qui vitæ ipſius annus poſtremus fuit; tametſi nèc valeret proſperè, & cùm hyems aſperior,tùm negotia, vt in Sede Vacãte, grauiſſima vrgerent; eas coràm inuiſerit ſæpiùs , flagitantibuſq; in re graui præſentiam ſuam prouidè conſuluerit. Deniquè ſimilibus exemplis tutatus eſt alias familias pias, rogatus à Cardinali Petro Aldobrandino, dùm is Româ fortè aberat ; nẽpè S. Hieronymi, quod à caritate nuncupatur ; & inſuper Mulierum Pœnitentium , quæ à luſtris impuritatis ad Clauſtra migrant vitæ honeſtæ.

Obſequium eius , & obedientia ergà ſummos Pontifices; & Conſiliorum libertas.

CAPVT III.

DICTVM frequens Cardinalis Bellarmini , fuit à Purpurâ ſe non hoc accepiſſe , vt obedientiæ Sacramento exautoraretur , ſed vt mutaret Præpoſitum. Et verò id obſequio ſuo ergà ſummos Pontifices multò affirmauit illuſtriùs ; quorum imperia ſic accipiebat, quaſi Deus Vicario ipſorum ore ſibi loqueretur. Hùc ſpectat abdicatio Eccleſiæ Archiepiſcopalis , nutu Pontificis facta; tametſi ea res ità minueret , & breuem redderet ſummam annuam eius domeſti-

ci cenſus. Item cùm ad comitia generalia Ordinis Cœleſtinorum iuit, de Pontificis voluntate primùm cognouit; & in reuerſione flectens Aſſiſium iter, ſtudio venerandi loca illa Sancti Franciſci clara monumentis, atque incedendi ſacras Ædes B. Virginis Angelorum, quam vocant; adduci nunquam potuit, vt in Patriam, quæ perparùm aberat, ad ſuos ſalutandos diuerteret; excuſatione vſus, quòd veniam à Pontifice non haberet, & tamen redeunti per ea propinqua loca, obuius Frater germanus aduenerat, & Ciues alij, qui nomine publico inuitarent, vt Patriam in purpurâ ſemel inuiſeret. Renuit itàque, documento futurus, vbicumque Deus ſedem dedit, ibi homini Religioſo Patriam eſſe. Pontificis aſſenſu etiam in Septembri menſe quotannis pium ſeceſſum ſibi captabat, in ædibus Nouitiorum ad S. Andreæ. Subiectionē hác verò exprimit ſatis in epiſtolâ nuncupatoriâ Libri editi ſuper Pſalmos; dùm Pontifici, ait, ſe volumen illud dedicaſſe, tanquàm Parenti, & Domino; vt de tempore ſciret, quo pacto, aut clàm, aut palàm ab ſe illud inſumeretur; nè à conſuetudine recederet, quā hauſerat in Societate, vbi prò ſe quiſque cum Præpoſitis ingenio aperto agit, factorumque, & temporis rationē eis reddit. Hinc nata quoque aſſiduitas, quâ publicis functionibus interueniebat: à quibus nunquam aberat, niſi cùm ægritudine tentaretur; quoniam propter eas diceret ſe Cardinalem eſſe factum. Sæpè vlti-

mis

mis annis rogârunt Cardinales Collegæ, vt illas frequentaret tantùm, quandò de re magni momenti foret conſultandum; adeò cuncti expetebant vitam ei quàm maximè diuturnam eſſe, ſed non impetrârunt. Imò Aſſeclæ honorarij, qui eius egreſſibus adhæreſcere, & officij causâ ab domo proſequi ſolerent, fatētur arduum planè fuiſſe, rhedis tēpeſtiuè, vti fit, ſiſti veſtibulo ædium eius: adeò properè ad Conſiſtoria, ad Pōtificalia Sacra, ad conſeſſus alios Purpuratorum ibat, etiamſi quandoque longas ibi moras poſſet ſibi metuere. Quòd ſi non adeſſet omniū primus, vultu ipſo ſe id ægrè pati oſtendebat, mœrebatque ab alijs ſedulitate ſuperari. In Congregationibus S. Inquiſitionis, Sacrorum Rituum, atque Indicis, quoties proponerentur Eccleſiaſticæ res, & quæ ad doctrinam ſpectant, erat in ipſum vnum inclinatus omnium labor; & cùm Patres præcipua curarū ad eum reijcerent, omnia meditationi ſuæ tradens, atque, vbi res vigiliam exigeret, exſomnis; ſententias referebat in ſingrapham, tamquam è ſcripto dicturus; & ſic oracula loquebatur. Cardinalis à Mōte, Caput Sacræ Congregationis Rituum, teſtatur id, ferè in hæc verba. Nō ego dūtaxat mihi honori ducebā, in ſententiā eius ire, certiorem vtiq;, tutioremque; ſed tota Cōgregatio Rituū, in quâ corā numeramur Cardinales, circiter, quatuordecim. Etenim, & ſi, dum cōſultatio foret, in vnū conſpiraſſent omnes, ſæpè deindè cū Bellarmino vno ſuf-

» fragia variarunt; quæ de doctrinâ eius opinio fuit. Ad-
» gnitum id præclarè, ex quo nobis deſiderium ipſius
» attulit mors; quià ſtatim deliberatum eſt de cauſis qui-
» buſdam, in quas, tametſi ante annos plures inclinaſſet
» multi, ipſe inuehi, & opponi ſoleret, ſicùt eas, re
» ipsâ diſiecit: nèc eo ſuperſtite tentata earum denuò
» in Senatu relatio, quandoquidèm ipſum aduerſum ha-
» buerant. Sed parùm hoc eſt, cùm fateri debeamus, ſo-
» litos nos eum aſpicere, neſcio quo ſenſu venerationis:
» non modò, tanquàm eſſet Parens, & Magiſter om-
» nium, de quo & gloriabamur; ſed tanquàm in eo ſub-
» limior, & ſuprà communem conditionem excellens
» quædam virtus Dei eluceret; ideòque, etiàm dùm abe-
» rat, voces eius, & ſententiæ ſuprà humanas, prò ora-
» culis accipiebantur. Ipſe interim vti hoc honore ſa-
pienter, nèc in cœtibus Purpuratorum agere exemplis magnificis. Sed ratione nudâ, ſimpliciq́ue afferre ſua, eaq́ue ornare obſequio aduersùm omnes. Erat hæc obſeruantia maior, cùm ipſe quid coràm Pontifice diceret: ſtatim enim ſilere, ſi repugnarent alij, neque rem perſequi, etiàm cùm ſtaret prò ſe ratio: ſed ſi hoc foret neceſsè, dimiſſo Senatu, cum Pontifice, tantùm vt diluceret veritas, de re priuatos continuare ſermones.

Cum hac veneratione ergâ Summos Pōtifices, mirũ eſt, quàm eſſet ei libera vox, dùm cunctarentur alij, agerentq́; leniùs, & gratiã eorum potiùs, amicitiamq́; reſpi-

reſpicerent. Egit hoc, tametſi res ſibi parùm bene uolè verti poſſet, & ipſos corám, aut per epiſtolas commonefecit, ſi quæ vel ad mores eorum; vel ad diſtributionem patrimonij ſacri; Epiſcoporum, ſiue electionem, ſiue regreſſum ad ſedes proprias; ad luxum, & licentiæ modum inducendum, ordinandáque iuſtitiam, quæ honores, & dignitates elargitur; vel demùm ad Tridentinæ Synodi formã ſpectare iudicarentur. Huius formæ damno, quoties in ſacrâ Cógregatione Cardinalium audiret gratias poſtulari, obnitebatur contrà, vel ideò, ne, ſi contradictio ſileret, ſenſim aduersùs Canonem ſacrum præſcriberetur. Hæc porrò Conſilia, dùm Pontificibus daret, id moliebatur vnicè, vt partes impleret ſuas, néve offenſionem Dei incurreret ſilens; ſi eum minùs vereri, ac timere, quàm humanam potentiam videretur. Ideò illis, qui ſubindè ipſum hortabantur, vt quæ facta non probaret, de ijs monitor eſſet; reſpondebat, ſatis nimirùm conſultum eſſe conſciẽtiæ ſuæ: nam ab hac parte haùd ſibi poterat eſſe religio, cùm potiùs nimiùm aures dominantiũ fatigaſſet. Quippe altè inſederat animo id, quod olim S. Ambroſius ad Theodoſiũ Principem ſcripſit. *Nihil in Sacerdote tam periculoſum apud Deum, tam turpe apud homines, quàm, quid ſentiat, non liberè pronuntiare.* Et verò ſecurus id agere potuit, ſortitus eos Pontifices, quibus ſilentium ipſius, quàm hæc libertas, grauius longe fuiſſet. Erat quoque

què auctor alijs, vt ab omni aſſentatione, tamquàm à communi Aulæ ſcopulo declinarent, & nè in cuſtodiâ Eccleſiæ canes pauidos allatrandi ſe præberent. Quæ opinio de eo, peruagata Orbem ferè vniuerſum, inuitauit non ità paucos, vt ei indicarent per litteras quoque, ſi quæ eſſent praui documenti, & emendari monitis deberent. Verùm, cùm nonnunquàm laruata quorundam ambitio ſubdolè, ſub hâc ſpecie honeſtâ ſuggrederetur; aduersùs hæc adulterata officia circumſpectus, ſatis oſtendebat, haùd poſſe ità facilè decipi ſuam cautiſſimam ſenectutem, acerrimamq́ue mentem. Et quamuis exiſtimaret conueniens, liberaliùs, quàm parciùs monere: cũ alienæ ſit meditationis, non ſuæ, rem expẽdere accuratiùs, & perindè ac oporteat, mores curare; nihilominùs rogatus interdũ, negauit facturũ ſe, niſi priùs rem eis, quos aduerteret ita inſimulari, aperiret iuxtà modũ Chriſtianæ admonitionis. Etenim hoc pacto, vel potuiſſent criminis ſuſpicionem omnem diluere, vel non adiuiſſent ſe cùm querimoniâ, eo nomine videlicet, quòd non paruerat Chriſto Domino, cuius eſt ea lex; debere, qui peccant, corripi clàm à monitore primùm; dein coràm teſtibus; poſtremò palàm, ac in oculis plurimorum. Eſt, qui referat, Cardinalem Bellarminum non ſibi temperare potuiſſe, quin Religioſum neſcio quem magnæ auctoritatis in Aulâ redargueret, quia libellum attuliſſet Ciuitatis cuiuſdam aduersùs Epiſcopum proprium,

prium,

prium, illo non antè commonito: adeò vnam aurem cupiebat delatori præberi, & alteram reo abſenti reſeruari, metu nè temerè facta aliena cogeretur interpretari. Literæ de hâc re extant ipſius, in eum ſenſum. Ciuitati cuperem obſequi, quam ex animo diligo: ſed non poſſum in his, quæ in damnum alijs euadant, præſertim Prælatis Eccleſiæ Sanctæ. Enimuerò conqueri Epiſcopus iure poſſet, ſi reus à me apud Pontificem ſtatueretur, priuſquàm ego ipſum audirem; idcircò contrà eum haud equidem loquar, niſi copiam ſcribendi ad ipſum vos mihi feceritis, vt quæ adferet pro ſe, priùs intelligam.

Cum his, qui in Aulâ ipſo interprete prouehi ad Sacerdotia magna cupiuiſſent, negabat ſibi rem eſſe vel ideò, quià prò ſe poſtularent, æſtimans ex hoc eos minùs idoneos, tametſi cetera digni viderentur. Contrà ſponte indagabat, ſi qui virtute præcellerent, vt eos Pontifici proponeret eligendos: & beneficium interim ignorabant hi, quorum ipſe non ignorabat meritum.

Pro Cardinalium delectu etiam viros Pontifici nominabat intereà, quos à virtute habendos duceret in omni præcipuo honore: præſertim cùm in Ordine Purpuratorum deſiderari Theologos aduerteret. Cùm verò ægrè pateretur implorari ſe, vt vel Pontifici, vel Principibus magnis commendaret alios; ſi neceſſitas inuitaret tamen, vel pij operis vtilitas, tùnc,

què auctor alijs, vt ab omni aſſentatione, tamquàm à communi Aulæ ſcopulo declinarent, & nè in cuſtodiâ Eccleſiæ canes pauidos allatrandi ſe præberent. Quæ opinio de eo, peruagata Orbem ferè vniuerſum, inuitauit non ità paucos, vt ei indicarent per litteras quoque, ſi quæ eſſent praui documenti, & emendari monitis deberent. Verùm, cùm nonnunquàm laruata quorundam ambitio ſubdolè, ſub hâc ſpecie honeſtâ ſuggrederetur; aduersùs hæc adulterata officia circumſpectus, ſatis oſtendebat, haùd poſſe ità facilè decipi ſuam cautiſſimam ſenectutem, acerrimamq́ue mentem. Et quamuis exiſtimaret conueniens, liberaliùs, quàm parciùs monere: cũ alienæ ſit meditationis, non ſuæ, rem expẽdere accuratiùs, & perindè ac oporteat, mores curare; nihilominùs rogatus interdũ, negauit facturũ ſe, niſi priùs rem eis, quos aduerteret ita inſimulari, aperiret iuxtà modũ Chriſtianæ admonitionis. Etenim hoc pacto, vel potuiſſent criminis ſuſpicionem omnem diluere, vel non adiuiſſent ſe cùm querimoniâ, eo nomine videlicet, quòd non paruerat Chriſto Domino, cuius eſt ea lex; debere, qui peccant, corripi clàm à monitore primùm; dein coràm teſtibus; poſtremò palàm, ac in oculis plurimorum. Eſt, qui referat, Cardinalem Bellarminum non ſibi temperare potuiſſe, quin Religioſum neſcio quem magnæ auctoritatis in Aulâ redargueret, quia libellum attuliſſet Ciuitatis cuiuſdam aduersùs Epiſcopum proprium,

prium,illo non antè commonito: adeò vnam aurem cupiebat delatori præberi,& alteram reo abſenti reſeruari,metu nè temerè facta aliena cogeretur interpreta-
„ ri. Literæ de hâc re extant ipſius,in eum ſenſum. Ciui-
„ tati cuperem obſequi, quam ex animo diligo: ſed non
„ poſſum in his, quæ in damnum alijs euadant, præ-
„ ſertim Prælatis Eccleſiæ Sanctæ. Enimuerò con-
„ queri Epiſcopus iure poſſet, ſi reus à me apud Pontifi-
„ cem ſtatueretur, priuſquàm ego ipſum audirem; id-
„ circò contrà eum haud equidem loquar, niſi copiam
„ ſcribendi ad ipſum vos mihi feceritis, vt quæ adferet
„ pro ſe, priùs intelligam.

Cum his, qui in Aulâ ipſo interprete prouchi ad Sacerdotia magna cupiuiſſent, negabat ſibi rem eſſe vel ideò, quià prò ſe poſtularent, æſtimans ex hoc eos minùs idoneos, tametſi cetera digni viderentur. Contrà ſponte indagabat, ſi qui virtute præcellerent, vt eos Pontifici proponeret eligendos: & beneficium interim ignorabant hi, quorum ipſe non ignorabat meritum.

Pro Cardinalium delectu etiam viros Pontifici nominabat intereà, quos à virtute habendos duceret in omni præcipuo honore: præſertim cùm in Ordine Purpuratorum deſiderari Theologos aduerteret. Cùm verò ægrè pateretur implorari ſe, vt vel Pontifici, vel Principibus magnis commendaret alios; ſi neceſſitas inuitaret tamen, vel pij operis vtilitas, tùnc,

vt ne-

què auctor alijs, vt ab omni aſſentatione, tamquàm à communi Aulæ ſcopulo declinarent, & nè in cuſtodiâ Eccleſiæ canes pauidos allatrandi ſe præberent. Quæ opinio de eo, peruagata Orbem ferè vniuerſum, inuitauit non ità paucos, vt ei indicarent per litteras quoque, ſi quæ eſſent praui documenti, & emendari monitis deberent. Verùm, cùm nonnunquàm laruata quorundam ambitio ſubdolè, ſub hâc ſpecie honeſtâ ſuggrederetur; aduersùs hæc adulterata officia circumſpectus, ſatis oſtendebat, haùd poſſe ità facilè decipi ſuam cautiſſimam ſenectutem, acerrimamque mentem. Et quamuis exiſtimaret conueniens, liberaliùs, quàm parciùs monere: cū alienæ ſit meditationis, non ſuæ, rem expēdere accuratiùs, & perindè ac oporteat, mores curare; nihilominùs rogatus interdū, negauit facturū ſe, niſi priùs rem eis, quos aduerteret ita inſimulari, aperiret iuxtà modū Chriſtianæ admonitionis. Etenim hoc pacto, vel potuiſſent criminis ſuſpicionem omnem diluere, vel non adiuiſſent ſe cùm querimoniâ, eo nomine videlicet, quòd non paruerat Chriſto Domino, cuius eſt ea lex; debere, qui peccant, corripi clàm à monitore primùm; dein coràm teſtibus; poſtremò palàm, ac in oculis plurimorum. Eſt, qui referat, Cardinalem Bellarminum non ſibi temperare potuiſſe, quin Religioſum neſcio quem magnæ auctoritatis in Aulâ redargueret, quia libellum attuliſſet Ciuitatis cuiuſdam aduersùs Epiſcopum proprium,

prium, illo non antè commonito: adeò vnam aurem cupiebat delatori præberi, & alteram reo abſenti reſeruari, metu nè temerè facta aliena cogeretur interpretari. Literæ de hâc re extant ipſius, in eum ſenſum. Ciuitati cuperem obſequi, quam ex animo diligo: ſed non poſſum in his, quæ in damnum alijs euadant, præſertim Prælatis Eccleſiæ Sanctæ. Enimuerò conqueri Epiſcopus iure poſſet, ſi reus à me apud Pontificem ſtatueretur, priuſquàm ego ipſum audirem; idcircò contrà eum haud equidem loquar, niſi copiam ſcribendi ad ipſum vos mihi feceritis, vt quæ adferet pro ſe, priùs intelligam.

Cum his, qui in Aulâ ipſo interprete prouehi ad Sacerdotia magna cupiuiſſent, negabat ſibi rem eſſe vel ideò, quià prò ſe poſtularent, æſtimans ex hoc eos minùs idoneos, tametſi cetera digni viderentur. Contrà ſponte indagabat, ſi qui virtute præcellerent, vt eos Pontifici proponeret eligendos: & beneficium interim ignorabant hi, quorum ipſe non ignorabat meritum.

Pro Cardinalium delectu etiam viros Pontifici nominabat intereà, quos à virtute habendos duceret in omni præcipuo honore: præſertim cùm in Ordine Purpuratorum deſiderari Theologos aduerteret. Cùm verò ægrè pateretur implorari ſe, vt vel Pontifici, vel Principibus magnis commendaret alios; ſi neceſſitas inuitaret tamen, vel pij operis vtilitas, tùnc,

vt ne-

vt negotium ſuſciperet alacriter, ſuadebat ingens eius illa caritas, quæ ſicuti Sol, beneficentiâ publicâ fouebat omnes. Poſſem hoc loco intexere commonitiones, quibus ab ipſo increpitos fuiſſe ſcimus interdùm eos, qui patientiâ ipſius abuterentur. Si quæ contrà Societatem noſtram ſcriberentur grauiùs, aut dicerentur, vel etiam contrà viros alios, quorum ei nota probitas: tunc enimverò, vir, ni concitaretur iuſtiſſimè, ſuoptè mitis ingenio, ea maledicta inhibere ſtatim, auctoribusque reſcribere, mirari ſe, in hæc ipſos tàm amara prorumpere. Sed neceſſariæ iræ ità laxabat habenas, vt eaſdem adduceret cùm vellet, potens, vel cùm feruebat maximè, tàm placidus, quàm columba reddi. Alios, quorum dictis non ſuberat audaciæ tantùm, commonefacere ſuauiùs, vt linguæ temperarent: & captans occaſionem ex ratione ſcribendi eorum, ponere ob oculos arcana Dei iudicia, atque in hunc modum ad pacem eos hortari. Pacem hanc verò ali oportere imprimis iudicabat, inter Religioſos Ordines: quò ij in hoſtes Fidei potiùs acuerent animos, & ſtylum ſtringerent; atque adeò inter Epiſcopos, nè ſint prauo documento populis, peroſis eorum Tribunal, interdùm forum timoris potiùs, quàm amoris. Denique Religioſis fauorem, vel immunitatem exorantibus auctor erat, vt meritis, non impetrationibus ſternerent ſibi ad gradus, quos peterent, viam: nec vlli præſidio vnquàm fuit, qui Præpoſiti ſui detrectaret imperium, cùm obedientia Religioſæ vitæ anima ſit, à quà virtutis motus omnis prodit.

Hæc

Hæc porrò diſtingui nequit, quandò Religioſus, quod flagitat, impetrat, ſed potiùs quandò Chriſto confixus Cruci, vbi nollet, & præterquàm vellet ibi eſt, ita eſt. Attamen in hâc materiâ progredi intuta res, & nimis prolixa etiam: concludam itàque; cùm in ſermone, & facto eius quædam columbæ inueniretur procul ab aſperitate, procul à felle ſinceritas; rari fuêre admodùm, quibus hæc libertas ſancta adprobandi, damnandique ea, quæ cum laude, aut ſecùs fierent, non magnoperè probaretur.

Quàm prudenter, vnà cum Odoardo Cardinali Farneſio, controuerſias conciliauerit inter Lucenſem Rempublicam, & eius Antiſtitem.

CAPVT IV.

DIFFICILLIMVM negotium, quod prudentia, & dexteritas magna Cardinalis Bellarmini ſanè felici exitu terminauit, fuit, Lucenſem Rempublicam, & eius Antiſtitem Alexandrum Guidiccionum, inter quos diſſidium vetus, ad concordiam, magno conſenſu partis vtriuſque, perducere. Natæ inter eos animorum acerbitates, maleuolorum vitio horsùm euaſerant, vt qui cerneret partem vtramque tanto diſcordiarum hiatu diſſilire, haùd crederet denuò poſſe connecti. Interceſſerant Dynaſtæ varij,

prò conciliatione. Tentauerant hoc Præſules ſummi; & è numero Purpuratorum aliqui; nec ipſe Pontifex Maximus alienus ab eâ procuratione fuerat: cùm ſemper operam luderent irriti, tametſi potentiſſimi conatus. Quippè negotium cum ijs erat, qui, vti ſunt in Senatu plura capita, ità ſæpenumerò plura, & diuerſa ſentiunt, nec ſperari poterat fore, vt eſſent reconciliatores pacis ij, quibus cauſæ pars aduerſa prima erat. Venerat ad Vrbem Orator Cæſaris, Ioannes Godefridus Epiſcopus Bambergenſis. Huic defuncto iam legatione, & per Vrbem Lucenſem fortè redituro, tractationem hanc ſanè negotioſam Paulus V. Pontifex, & Cardinalis Bellarminus commendârunt. Multa verò concurrebant, quæ ſpem facerent fore, vt Antiſtes opinionis tantæ difficile opus prò cæterâ fælicitate terminaret, perrumperetque, ſi quos incurriſſet obices, vt tandem cùm Antiſtite ſuo coaleſcerent animi Ciuitatis. Adfuit Senatui exceptus perquàm honorificè: atque obteſtatus, vt inter honores ſibi delatos, primum eſſe vellent, concordiam, prò quâ tùm Orator intererat, ea momenta rationum adduxit omnia, quibus in itinere toto ſuum egregiè cordatum pectus inſtituerat ſapientiſſimè. Sed Præſes Senatûs, & primores cæteri duri admodùm ab hâc parte, ea nimirùm adduxêre contrà, vt Legatus ad Summum Pōtificem, & Cardinalem Bellarminum reſcripſerit; miraculo poſſe rem confici; cæterùm ludi humanas artes.

Cùm

Cùm igitur deſtinata ſalubriter ità diſcuſſiſſet auerſa plurimorum è Senatu voluntas; quià parte ex vnâ detrimenti haùd parùm Ciuitati afferebat abſentia Paſtoris; ex aliâ verò erat iuriſdictioni Eccleſiaſticæ iniurioſa res, Antiſtiti non patere aditum ad Eccleſiam ſuam; venêre multi in eam ſententiam, vt crederent optimum factu, ſi Epiſcopus Eccleſiæ valediceret, velut alter Ionas vſurpans ea; *Tollite me, & ceſſabit mare à vobis; quoniàm propter me tempeſtas hæc grandis venit ſuper vos.* Conſilio acquieuit Pontifex, tantùm eâ conditione, ſi Epiſcopus id non ageret inuitus; cui etiàm Sacerdotium aliud, nec minùs copioſum ſpontè, liberaliterque promiſit. Verùm is hoc imperare ſibi nunquàm potuit; quià ſermones defugeret; quaſi, vel dici deberet, deceſſiſſe violenter; vel cum Sponsâ ſuâ manſiſſe libenter, tantummodò quæſtûs gratiâ. Itàque viduitati poſtputare ſe nouas nuptias quaſcumque, falſus eſt, & hic ſtatus poſtremus rerum: cùm idèm Epiſcopus (vti ſtudia hominum cum ſpe ſæpenumerò ſeneſcunt, & quæ non poſſunt aſſequi, ſequi deſinunt) actum eſſe penitùs de concordiâ exiſtimans; Paulo V. Pontifice adprobante, ad ſuæ iuriſdictionis loca quædam proficiſci deliberauit, quæ Lucenſi Reipublicæ ſubiecta non ſunt; eo conſilio, vt ſaltèm è viciniore ſpeculâ gregi ſuo cuſtodiam quoquomodò ponere adniteretur. Miſit Reſpublica intereà Romam è Senatoribus vnum

 nobi-

nobilem genere, ingenio ſolertem, ætate verò haùd inutiliter ſenem, quippè cui octogenario ex prudentiâ ætas fuerat. Is à Pontifice inſtitit, pro bono Lucenſis Patriç, Paſtorem aliū flagitare: ſiquidem annos perpetuos decem, & quinque, tot adhibitæ artes à præſtantiſſimis ingenijs, nunquàm ſedare controuerſias cum Antiſtite, quem deprecabatur, potuerant; ex quo iam ille ſtabili pace Vrbi præeſſe Paſtor & Parens nequiuiſſet. Poſteà, vti fit, circumire domos Cardinalium; referre ad ſingulos de legatione ſuâ; rogare, poſtulationem Reipublicç iuſtam eſſe, animum inducerent. Vbi verò ad Cardinalem Bellarminum venit, orare ſimiliter Patriæ poſtulatis ſecundas aures, vocemque eius poſcere etiam, quæ, tùm apud Pontificem, tùm apud Antiſtitem Lucenſium eſſet auctoritatis tantæ. Cardinalis, eâ libertate, quæ ipſum decuit, mirari ſe primùm ait, ità negligi ab eis rationes æternas, vt iacturam earum, quàm honoris humani ſubire mallent, ſeque exhæredes ità conſtituerent illius obſequij, quò Sacros Antiſtites ſuos ſoliti erant olim tàm ſanctè venerari. Hortari proindè cœpit, verterent eam notam in decus, neque ſinerent ſibi pectus adeò ijs ſimultatibus obſcurari, vt non intelligerent, quantùm ſubditi deferre debeant Paſtoribus animarum. Adiecit pòſt hæc, haùd futurum, vt Pontifex Epiſcopo iniungeret Eccleſiæ abdicationem, à quâ ipſum alienum ſciret, eam videlicet ob cauſam, nè
ſermo-

ſermonibus locus fieret, diſſiparetúrque, alienâ potentiâ, non ſpontè Eccleſiam deſeruiſſe, priuſquàm
„ eius cùm pace poſſeſſionem adiret. Poſtremò; an
„ non ex partis vtriuſque commodo, inquit, componi
„ res poſſet? vt lis dirimeretur, quæ Patriæ damnũ affert,
„ quod quidem in eâ aliqui, & pauci volunt; omnes
„ patiuntur. Equidem exiſtimo, ſi Epiſcopus inuitare-
„ tur ad Vrbem, ſi admitteretur in locum ſuæ dignita-
„ tis, nè quis ei vim illatam poſſet interpretari, tunc ſpe-
„ randum vtiquè, vt ex voto Reipublicæ res demùm
„ cederet. Nequè verò deerunt voces amicorum,
„ qui Epiſcopo deindè, quæ in rem, ſint prò Dei
„ gloriâ ſuadeant. Auctoritas dicentis, rationes allatæ, & via, quæ aperiebatur ad honeſtum exitum rei, aures Legati ſic affecêre, vt æſtimârit conſilium illud Reipublicæ non pœnitendum. Sed cùm à Senatu non hæc ei auctoritas, vt nouæ tractationis ex ſe poneret initia; nihil interim expedire; ſed gratiâs Cardinali referre, quòd ità ſe propenſum ergà Rempublicam oſtendiſset. Pòſt, vt ad ſua rediję, nullam aliam priorem curam agere, quàm vt literis ad Senatum referret abſens, quid Cardinalis Bellarminus maturi dediſset conſilij: prudentiâque, quæ erat tãtæ ætati par, oſtendit, eâ ratione videlicet fore in procliui Epiſcopi abdicationem. Redditæ litteræ, & in Senatu motus animorum magni: ſed ij tamen, quibus cordi erant Dei obſequium, & Patriæ bona exiſtimatio ad

tio, ad eius occaſionem auræ, quaſi nouæ ſpei velificari: rogandum eſſe proindè Cardinalem Bellarminum, vt adſpiraret adhuc benigniùs, eiq́ue agendas gratias ob excogitatam nouam illam concordię viam; prò quâ deniquè, re communiter deliberatâ, cunctorũ verſæ eò curæ, vt conditionem acciperent. Cardinalis interim Romæ negotium complexus, animo vtiq; magno, Lucenſi Reipublicæ ſcripſit, ſe Summo Pontifice annuente, ſuaſorem factum Senatui, vt cùm Antiſtite ſuo; non Paſtore, & Parente dumtaxat; ſed & Ciue patritio in gratiam rediret, de cuius animo, ergà omnes ipſos, beneuolo auctor, nec falsò, eidem Senatui eſſe poterat. Addidit cupere id vnicè ſe, vt ſit in Senatu perſuaſio, haùd fauere ſe plùs Epiſcopo, quàm Reipublicæ, & tantummodò, citrà damnum partium, colere amicitias cum Epiſcopo ipſo, & cũ Patritijs aliquot viris eius Ciuitatis; quamquàm à ſe opinionibus diſſideant. Quarè procurationi ſuæ hoc dignationis, honoriſq́ue tribuerent, vt ſe ad eam inuitari ſolummodò, ſtudio agendi communem rem, arbitrarentur. Vbi verò eo initio literarum, ipſorum ſatis præparauerat animos; tùm rationes tres adduxit, quibus auditis in Senatu, ſperabat fore, vt tandem Paſtori ad oues ſuas incuſtoditas reditus permitteretur. Primo loco erat Summi Pontificis ad hoc pronior voluntas, quæ de optimâ ergà ipſos Epiſcopi propenſione certos omnes reddebat. Altera ratio

diſſe-

diſſerebat, abdicationem Epiſcopi haùd fere impetrabilem, niſi eidem in hâc parte morem geſtum vellent. Poſtrema continebat, quæ tolerent detrimenta Eccleſiæ ſuis deſtitutæ Paſtoribus. Rursùs dedit epiſtolam aliam plenam cœleſtis ſapientiæ, in quâ eos auctoritate Diuinarum Scripturarum, nè ità in eâ diſcordiâ ſeneſcerent, hortabatur; cùm diceret præſertim, ſi Domini lex iniurias condonare fratri nos iubet, quantò id æquiùs eſt, fieri cum Epiſcopo, Paſtore, ac Parente; & quidèm excluſâ omni ſimulatione, interdùm ſpecioſâ verbis, ſed re inani: remittendo eas nimirùm, vt dixit Dei Filius cœleſti voce, de cordibus noſtris. Hæ vbi ſuperuenêre literæ, quas ipſe efficaces reddiderat precibus, & ſpontè obitis ad eum finem corporis pœnis, facilè induxere Senatum (vtpotè inclinatis iàm ad concordiam animis) vt reconciliatoribus pacis, & diſceptatoribus circà ea omnia, quæ in controuerſiâ eſſe poſſent, ipſo Bellarmino, & ſimul Odoardo Cardinali Farneſio vtendum eſſe cenſeret.

Ergò res Pontifici primùm indicatur, qui ſuprà modum eſt demiratus, horsùm deductam eam eſſe tractationem; & tùm ipſe, adgnito priùs cōmodo, quò pars vtraque deberet componi; vt res tranſigeretur auctoritate ſupremâ, obtulit ſpontè Apoſtolicum Diploma, & Epiſcopi reditum ad propriam ſedem allaudauit. In eo reditu, quià verti difficultas omnis videbatur

tur, Cardinalis Bellarminus, quò fieret tranquilliſſimè, Senatui Lucenſi in hunc modum denuò ſcripſit.

„ Priuſquàm conueniret me D. Benaſſaius, collocuti
„ diù fueramus, Cardinalis Odoardus Farneſius, & ego, quos
„ cœpiſtis diſceptatores prò cõtrouerſiâ obortâ inter Rem-
„ publicam veſtram, & Præſulem Guidiccionum item
„ Epiſcopum veſtrum. Multis verò maturè habitis de re
„ ſermonibus, cenſuimus vnanimes, decere prorsùs, vt
„ quamprimùm Epiſcopus ad Eccleſiam redeat, vndè tot
„ iam annos abeſt. Sed vt fiat hoc circumſpectè, vtrique
„ parti ſcribere voluimus, quò iniungeremus Epiſcopo
„ quidem, vt ad vos literas ipſe deſtinet primus, quibus
„ præparatum animum ſuum teſtetur ipſe, & offerat redi-
„ tum ad Eccleſiam, vt vobis in eâ, & commodo ſeruiat
„ animarum veſtrarum: dummodò hæc ſua ipſius reuerſio
„ fiat vtiquè vobis non inuitis. Vos verò ſimul rogare-
„ mus, vt facilitati demittentis ſe Antiſtitis veſtri reſpon-
„ dentes laude pari, inuitaretis comiter. Et quià Cardina-
„ lis Farneſius hinc Parmam eſt iturus breui; ſtudio
„ agendę communiter rei, conuênit inter nos, vt ſi quæ
„ incidant dubiæ res circà hoc negotium, & exigant
„ celerem exitum, eas ego expediam auctoritate etiam
„ ipſius: ſecùs, ſi quæ moram ſuſtineant, & non poſſit
„ eis pernicioſa eſſe cunctatio: ſcribam enim ad ipſum,
„ & reſponſum opperiar, eritque ità conſilium ſerum,
„ ſed optimum. Hęc ipſe. Sic tandem re placidâ, &
famâ vtriuſque partis integrâ, Epiſcopus Lucam re-
greſsus

greſſus, exceptus à Senatu eſt, & Populo vniuerſo indicijs amoris etiam, perindè ac ſi diù exoptatus votis aduenìſſet. Ex quo ſumma laus tribui cœpta Deo auctori operis cuiuſuis admirandi, & Cardinali Bellarmino etiam, qui cauſam ità depoſitam cōſilijs ſuis, & votis quoquè orſus curare, tantâ demùm ſucceſsûs felicitate ſanauit.

De conſuetudine illius domeſticâ, & priuatis occupationibus.

CAPVT V.

CARDINALIS Bellarminus, cæteroquì vir decori tanti, ac tantæ dignationis, laudem quoquè meruit haùd ſanè mediocrem ingenio amœno, naturâque leni, atque vrbanitate illâ ſuaui, cui limites, quos non exceſſit, ſtatuerant, ſimul ingenua hilaritas, ſimul religioſa moderatio. Nàm nequè facetias illas vſurpabat, quæ dùm ex moribus aliorum multum veri trahunt, acrem ſui memoriam relinquunt; neque illas, quas riſu immodici, & in cachinnos effuſi venantur homines leues: ſed eas dumtaxat, quæ non læderent quemquam, & honeſtè omnes exhilararent. Iucunditatis huius delectabilis compotes fuêre nonnunquàm è numero Purpuratorum ij, quibuſcùm ei vſus amicitiæ frequentior. Ex his verò erant etiam, qui

dicta eius meliora ſcripto, nè excideret animis grata ea leporum innocentia, cuſtodirent. Sed hoc oblectamento ſermonum eius, ij multò ſæpiùs fruebantur qui familiares, & domeſtici intererant, dùm geſtationi vacaret, animi causâ, vt pòſt labores aſſiduos interdùm captaret liberam auram; quod egit tamen parciùs, & pòſt deciſa, quæcumque obueniſſent, negotia. Hæc illi momenta itàque arripere ſtudioſiùs, & occaſionem etiam præbere ſermonum. Exiſtimârunt aliquandò aſperitatem nimiam eſſe, Cardinalem id ætatis, & in tot occupationibus ieiunio, ter in hebdomade macerari. Cùm ipſe; atqui neceſſarium, inquit, hoc eſt planè, ſi quidem velim ſaluus fieri. Et quià reſponſionem hanc excepit omnium admiratio, ſubdidit lepidè; è Scripturæ ſacræ oraculo id prò me ſatis conſtat. Certum eſt debere iuſtitiam noſtram abundare, pluſquàm Scribarum, & Phariſeorum; aliter non intrabimus in Regnum Cœlorum. Cùm itàque illud de ſe Phariſeus prædicet, *ieiuno bis in Sabbatho*, quis non fatebitur, vt prò Cœli acquiſitione pluſquàm Phariſeorum noſtra ſit probitas, neceſſarium eſſe, ter vel minimùm ieiunare? Simili ſuauitate dictorum conſueuerat etiam commonitiones, quæ plerumque haùd gratæ ſunt, gratas facere. Picturas nudas in primis cœclauibus Ædium vnius Cardinalis vidit, quem viſitandi causâ fortè conuenerat. Ergo in digreſſu ſignificauit, commendare ſe illi neſcio quos inopes viſos

ſos in eius primis ędibus,intrà cōclaue ipſum,& nuditatem corū vtiquè deprecari: nàm, inquit,ſi nō eis tuniculam aliquā,aut palliolum impetrem; enimverò vix, aut ægrè ſuſtineant hyemem. Tùm Cardinalis ille ſatis aduertit, quid ſibi per gratas eas ambages inſinuaretur. picturasque ſtatim (quâ erga monita ipſius obſeruātiâ fuit) velo obduci iuſſit,cùm reuelli atque auehi, nequirent;nàm in pariete ipſo hauſti colores erant.

Cùm verò aliàs (quæ eſt negotiorum ſæpè varietas) aliquid vehementiùs ei proponeretur; ipſe initiò ſedare æſtum iratæ orationis, acerbitatemque omnem locutione leni temperare. Id ſi non proderat, quandò cum ijs res erat,cùm quibus poſſet agere familiariùs, tùm,donec ſilerent turbæ illæ verborum; ſolitus erat aliquas moras inter colloquendum edormiſcere; ſomno illo ſatis nimirùm denuncians,affligi caritatem ſuam, & ſopiri animum, tamquàm vulnere,dùm de alijs audiret quemquam iniuſtè loqui. Redeunte tamē ſono vtiliore, euigilabat ſtatim, atque ad negotium inſtitutū mens pariter,& vox redibāt. Multò cauerat ſtudioſiùs, nè aliorum ipſe corrūperet bonā exiſtimationem; quam tuebatur ſæpè excuſatâ mentis rectitudine, dictitans, hanc fortaſsè operi non defuiſſe, atquè in Deum arbitria interioris animæ reijci debere. Plura omitto in hâc materiâ, cùm ſatis momenti habeam in ſolâ Cardinalis Creſcentij teſtificatione, in quâ nimirùm; Cardinalis Bellarminus

» in rebus aliorum, inquit, factiſque æſtimandis, fuit tàm
» circumſpectus & retinens, vt, ſi neceſſitas haùd vrgeret,
» ſilentio libentiùs vteretur. Et hinc aliquandò roga-
» tus, quid de Epiſcoporum lege ſentiret, quâ iniungitur
» eis, vt reſideant; reſpondit leniſſimè. *Ego non iudico Do-*
» *minos meos.* Sed non ideò prætermiſit ea redarguere;
quæ perparùm honeſtè fierent, tantùm vt intelligeretur, quæ eſſent eiuſmodi, haùd à bonis laudari. Etenim etiam S. Bernardus inquit, *Ideò dici, vt ſciatur publica non probari, & tranſire in præſcriptionem, cùm non fuerit, qui contradicat: non retego verenda, ſed inuerecunda confuto.* Quem vtiquè modum Cardinalis à Monte gratam vbiquè libertatem vocabat, arguendi, damnandique tempore apto, ſi quæ non ad virtutem fierent. Abſtinebat ab his tamen, niſi ſtudia inferioris animæ ſedata in ſe priùs eſſe ſentiret, nè plùs, minúsvè ex affectu reprehenderet. Ex quo, cùm alieno animo aduersùs Præſulem neſcio quem aliquandò, inuitus tamen, ſibi eſſe videretur: amicum rogauit, vt de virtute aliquâ illius inquireret, & referret poſtmodùm, quò prauam opinionem omnem abſtergeret, imperaretque ſibi circà eum, vel mitiorem ſenſum, vel amorem. Ad hæc, non res geſtas ſuas iactabundus ferere, aut colloquia replere proprijs documentis: ſed tramite medio, deuitans ſcopulos hinc & hinc obiacentes humanæ ſermocinationis, ſic erat moderans, vt nequè iactaret ſua, nequè carperet aliena.

Viſa nihilominus ei tenuis, & tantùm inchoata virtus vitio carere in his colloquijs mutuis, niſi plectrum oris eius ſemper modulatè aliquid caneret honeſtati, ac Deo. Et verò in hâc re felicitas ei quædam ſingularis erat, quia ſenſu mirò, ſuauíque, & quaſi ſpontè naturæ omnem locutionem ita transferebat, vt in fine ſaperet ſemper ea, quæ Dei ſunt: & hæc gratè quoque audiebantur ab his, qui aures haùd ità à pietate præparatas interdùm attulerant: ſiquidem vis, & gratia dicentis faſtidium aurium omne, nauſeamque ſubmouebant. Videbatur eius oratio, quaſi ſpeculum nitens, in quo cernere erat, noxas omnes quantoperè, cætera impauidus, perhorreſceret, & quantoperè humana cuncta ſperneret, quibus cumulandis anhelos ingemere adeò multos, & quidèm ſæpè Eccleſiaſticos mirabatur, verebaturque, nè ſecùm id iacturam traheret bonorum æternorum. Idcircò conceptam Eccleſiæ precationem, quæ ad Aras vſurpatur Dominicâ tertiâ póſt diem ſanctum Pentecoſtes, *ſic tranſeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna*; inter amicos mutabat ſubindè, vt diceret, *ſic tranſeamus per mala temporalia, vt non incurramus æterna.* Frequenter incendebatur ardenti deſiderio cœleſtis vitæ, à quo tametſi, perfuſus timore ſancto, intereà temperaret, nè de ſalutis momento euaderet ſecurus nimiùm; crebrò erumpebant illi tamen mixta ſuſpirio Apoſtoli verba illa, *Cupio diſſolui, & eſſe cum*

Chriſto. Sanctorum vitas, vt in promptu admodùm habuit, ità frequens eorum res geſtas referebat: & ab hac parte miraculum fuit Romæ Nobilibus ijs, è Sodalitate B. Virginis Aſſumptæ, qui ad eum,(nam & ipſe Sodalis vnus erat) Kalendis ſingulis ferebant paruâ in chartulâ nomen Sancti, quem ſortitus tutelarem fuerat, dùm promiſcuè educeretur è multis, quorum in menſe celebritas. Statim enim ipſe vitamque, & ſeriem geſtorum eis narrabat, tametſi ex ijs interdùm eſſet, quorum tantùm non ignoraretur nomen. Et apparuit tùnc, ſi vnquàm alias, quàm noſceret familiariter Ciues Beatos omnes, quandoquidem ità eorum nomine,& factis cor inſcriptum gerebat. Cóſuetudo eius cætera vim habuit quandam viris Sanctiſſimis propriam; quâ videlicet in animas aliorum virtutem, & pietatem ſenſim infunderet. Id amici, & familiares teſtati ſunt iureiurando; & qui frequentiùs ſpiritum eius hauſerunt. Ex his Comes Camillus Barberius,qui & ipſe ad finem ſuę mortalitatis venit,faſſus „ de ſe; mira,inquit, res: quoties ad Cardinalem Bellar„ minum ibam, tametſi ad breue ſpatium conloquere„ mur, & inciperem ego ſermone medio, magis extrà „ vitium, quàm cum virtute, ſemper redibam indè me„ lior, piarumque cogitationum eram in digreſſu plenus. „ Hæc proindè ſæpiùs amicis de Bellarmino adhùc ſu„ perſtite referebam, minimè veritus affirmare, effectus „ eos me experiri ſolitum, dùm fruerer conſuetudine

illius

» illius, quos Sanctorum hiſtoriæ narrant. Opinione abiſtâ inductus Cardinalem Bellarminum Comes is adeò venerabatur, vt à medicis depoſitus, & iàm iturus in Cœli manentem Ciuitatem, (quod vitæ probitas, & pius obitus de eo ſuadent) inter Sanctos, quos eo veſtigio periculis magnis obnoxio cupiebat ſibi opitulari; implorauerit etiàm, vt tùm loquebatur, Sanctum Bellarminum; cum intermortuis vocibus audiretur iterare, *Sancte Bellarmine ora pro me.*

Inuitabat hæc eius coniuncta cùm pietate benignitas, vt ipſum adirent omnes, ſiuè vt conſilia peterent, ſiuè vt ſubſidia vitæ flagitarent, nèc in adeundo eo debebat diù expectari commoda admiſſio: modò enim exciperes horas ſacerdotali Officio, Rei Diuinæ, & piæ meditationi ſacras, cætera diei ſpatia non priuatis commodis, aut ſtudijs ſeponere, ſed relinquere parata ſemper adeuntibus; ſolitus nemini copiam de ſe libentiùs, quàm pauperibus dare. Prò hac facilitate mutui ſermonis, voci obediebat Famulorum, ſi monerent adeſſe quemquam: ægrè etiàm ferebat, ſi denunciarent ſeriùs, & abſciſſa ſæpè, quàm inchoaſſet, periodo exurgebat, vt ne quidèm ad breues moras deberent, qui aduenerāt, velo prętenſo foribus excluſi, audientiam opperiri. Admiſſos nunquàm dimittebat, ſufferens intereà ſpatia horaria integra, non nullorum vaniloquentiam, qui tempus ei pretioſum adimerent: cum nec ore interim, nec triſti vultu proderet faſtidium

ſtidium aurium. Sed alios habuerit fortaſſè æmulos huius ſummæ in audiendo facilitatis: in alterâ laude quam addo, haùd dubiè cæteros ſuperârit. Meditabatur interdùm, ac dein ſcripto materias graues, & cognitu difficiles colligebat; cùm intermittere, quæ tùm generabat animo, & externos audire cogebatur: nihilominùs, pòſt horarum interualla, ſtatim referebat ſe ad eadem; & perindè, atque diuagari animo non debuiſſet, reueniebat ſubitus ad rem; prorsùs, vt non concipere noua, ſed vetera exſcribere videretur; tàm erat memoriâ ſtabili: de quâ nimirùm dubites, faciliùs diſceret, an difficiliùs obliuiſceretur.

Erat vnus ipſe certum perfugium Epiſcopis, Prælatis, & Clericis Eccleſiæ, quæ vltrà Alpes eſt; deque eorum neceſſitatibus referebat ad Pontificem, tantâ ergà ipſos caritate, vt Patrem veriùs, quàm Patronum agere iudicaretur. Ex his vnus ſpoliatus redditibus, & Epiſcopatu (Thraces enim inuaſerant, & ſurripuerant omnia) auditus eſt Romæ dicere: multas ærumnas meas ſatis nunc ſedari hâc vnâ voluptate ſentio, quâ perfundor animo, caritatem dùm experior, ex quâ Cardinalem Bellarminum (quaſi inopiæ meæ mecum damna ferret) ità condolere video, vt hinc ſanè æſtimem multò ego pluris amicitiam eius, quàm in prouentû annuè aureos mille. Miniſtros Pontificis adibat, ad quos ea inopiæ exempla ſpectât, ne videretur inutiliter pius: plurimis etiam è ſuo cenſu te-

ſu tenui, obtulit certam ſummam annuè, & vni de multis aureos quinquaginta. Quæ ſubſidia tamen recuſabant, nè fraudarent alios; vt qui ſcirent ab eo, quoties annus erat, è ſuperſtite pecuniâ ſolui primùm, ſi quæ ſumma deberetur: pòſt, de ratione quicquid abundaret, in pauperes effundi: adeò delectabatur eius beneficentia, quam poſſet properè pecuniam extinguere, ac prohibere, nè annua cùm eſſet, domi ſuæ vltrà annum viueret. Neque experti diſſimilem Italiæ Epiſcopi: quod etiàm infrà ſubdam. Sacerdotem emẽdicare tàm ægrè intuebatur, vt offenſus videretur. Et pecuniam quidèm ei erogabat ampliter; ſed monebat, proprium ad Antiſtitem reuerteret, à quo vtique ali deberet; ſuadebatque Religioſis item ad propria Cœnobia reuerſionem, nè contemptui darent honorem ſacerdotij.

Pari eum frequentiâ conueniebant Antiſtites, quibus cordi Eccleſiaſtica iuriſdictio. Et hos colere ipſe, tueriqùe partes, famâmque ipſorum, nec pati à laicâ poteſtate regimen Eccleſiæ collabefieri. Cardinales etiàm è pręcipuis adibant, tamquam ad Præceptorem, ad Parentem. Cardinalis Tuſcus, poſtquàm ſuper ambiguis conſcientiæ aliquandò conſuluerat, dixit in digreſſu aſſeclis ſuis; nemo mihi res dubias meas ità ſapienter, & cordatè reddidit certas; quemadmodùm iàm Cardinalis Bellarminus: & conueni tamen plures, vt eam animi, quam afferrem, non referrem ambi-

guitatem.

Inter hæc adeuntium officia, ac moles negotiorum, quæ animum in diuerſa ferunt, differunt; erat tàm attentus cuſtos temporis, vt nè quidem momenta breuia horarum, quæ inutilia credi ſolent, ſineret abſquè laude operis intercidere. Quòd ſi loci conditio ad alia ſpatium non daret, cum Deo loquebatur, aut recitâs aperto capite Roſarium, & pias preces; aut cœleſtia meditans: & amicis hoc fatebatur, ſibi è ſuccifiuis horis, neque particulam minimam perire; adeò deſtinatum habuit ſemper aliquid, quod bene, aut ageret, aut cogitaret. Habitans, vt dixi, ædibus, neque laxitate, neque cultu magnificis, propè ad Collegij Romani, è ſpeculis, ac feneſtris vltimorum conclauium liberos proſpectûs habuit in hortum Religioſorum Ordinis S. Dominici, & quidem ità, vt abirent oculi directè ad eam partem Cœnobij, quam Nouitij habitabant. Hi verò ſæpiùs memorârunt, quale haurirent ipſi documentum è Cardinalis modeſtiâ, quem ad feneſtras nũquàm, & ſi curioſiùs obſeruârant; ſed videre ſemper, vel recitare Litanias cùm familiâ piâ, vel occupationibus incumbere: prorsùs vt etiam ea domus religioſis inſtitutionibus regeretur. Refert Cardinalis Creſcentius, blandè redarguere ſolitum illos, qui ſe officij ſpecie tantùm adirent: nàm dedecere exiſtimabat, quamdiù occaſio non alia ſuberat, ità temporis, hoc eſt rei, quæ eſſet ſummi pretij, à ſe iacturam fieri.

Verùm

Verùm nō propterea temporis damno adſcribere, aut cenſere inutilem occupationem, dùm rogatus intererat diſciplinarum publicis exercitationibus; vt qui ſemper ingenia fouit, nec recuſauit vnquàm cohoneſtare, ſpatij horarij dono, labores diuturnos literatorum. Si qui Patronum eum Theſibus optarent, his adnitebatur ſuadere, è Cardinalibus potiùs alium eligerent, idque profuturum eis magis; cùm ſe diceret, nec ſummæ Romæ potentiæ, & minimè copioſum eſſe: cæterùm velle, & adeſſe, & adducere item è Purpuratis alios. Cùm hi tamen de propoſito non emouebantur, vt qui tribuerent ſibi gloriæ, Patronum ſtudiorum ſuorū ſi Bellarminum haberent; tùm Cardinales alios amicos rogabat, vt ſecùm ingenioſo certamini; præſentiâ ſuâ, Theatrum honoris ſtatuerēt. Eoſdem in præmium virtutis prò ſe munerabatur, & cōditionem quoque, cùm res ferret, eis inueniebat. Pari comitate volumina, quæ aut dono adferebantur, aut dicabantur nomini eius, ſi non omninò, certè magnā partem euoluebat laudes, pro ſcripturæ merito, Auctoribus impertiens. Adæquè procliuem exhibuit ſe poſtulantibus (nec euenit raro) vt libros recognoſceret, quò eius adprobatione aduersùs inuidiam munirentur. Et hos ſi opinionibus ſuis forte aduerſari deprehendiſſet, non eiſdem ſuccenſere propterea, vel oſtendere quicquam ægri ſediſſe animo; imò potiùs iuſtâ laude proſequi opus, ſi eam cæteroquí mereretur.

reretur. Inter alios actum ab hâc parte ſecum glorioſè exiſtimauit, Proſper Farinaccius conſultiſſimus vir, vt in eius quiſquam ætate eſſe poterat, omnis humani Iuris. Is cùm difficultates incurriſſet magnas editione Libri de Hæreſi, Summũ Pontificem adiuit venerans, vt Cardinali Bellarmino rem permitteret, ipſeque de eâ referente, mandaret, vt poſtmodùm pro Tribunali Sacræ Inquiſitionis ſententiam Patres Auguſti darent. Materiæ grauitas, operiſque moles indigebat illa quidem temporis interuallo laxiore: ex quo Auctor expectare annum integrum diſpoſuerat, & fatebatur, prorsùs id à ſe accipi magni beneficij loco; quæ ſeries occupationum aliarum maximarum Cardinali perpetuò imminebat. Nihilominus is, dùm circumageret ſe menſis vnus, volumen euoluit accuratè totum, & quo magis ornaret beneficium ſuum, tùm voce, tùm ſcripto teſtificationem operi addidit amplam, & honorificam, & qualem optare Auctor potuiſſet; qui laudator, & præco factus viciſſim eſt virtutum excelſiſſimarum ſui tàm humani benefactoris. Facultas hæc, ſeù libros vorandi, ſeù negotia tranſigendi celerrimè, proſperrimèque, tametſi laus fuerit ingenij eius capacioris, & excedentis propè humanam vim; poteſt tamen tribui etiàm induſtriæ captandi tempus illud omne, quod ſæpè viris quoque ſpontè occupatis malè diſperit, & incumbendi perpetuò in res neceſſarias. Quippè non ipſe, narrationum nouarum curioſus audi-

ditor, rerum Vrbicarum per Aulas tranſmiſſis quâlibet hebdomade Commentarijs aures, animúmvè commodabat. Imò, quod in epiſtolâ eius reperi, non modò his, ſæpè ſparſis temerè, ſermunculis tempus non abſumebat; ſed, quemadmodùm non ſcribebat quicquam otiosè, ità nè quid otiosè diceret, omni ſtudio adnitebatur. Itaque mirùm non ſit, eum inter occupationes laborioſiſſimas, frequentiſſimaſque ſpatium inuenire potuiſſe, vt opera ingentia tot, partim quæ typis edita, partim quæ ſcripto ſuperſunt parturiret, nullis conſortibus, & nè quidem exceptoribus accerſitis: vt neſcias, vtrùm in eo mireris in purpurâ, quod laborum excesſerit modum, an, quod commoditatum omniũ temperârit.

VITÆ

VITÆ ROBERTI CARD. BELLARMINI E SOCIETATE IESV LIBER VI.

De Virginitatis eius, & Cœleſtis puritatis dono.

CAPVT I.

QVi Cardinalem Bellarminum à conſuetudine diuturniore cognouerunt; ſuſpexêre tùm in puero, tùm in omni vitâ ſimilem ſemper radium neſcio quem cœleſtis veriùs, quàm humanæ puritatis; iudicio conſtanti, ipſum ab infantiâ vſquè ad ætatem vltimam, caſtimoniam Virginalem, cum quâ natus, educatuſque eſt, coluiſſe ſemper. Inducti verò in opinionem hanc primò, quià ſcirent, iàm indè

indè ab ætate ineunte perfuſum animum religione, ac pietate, cùm lacte ſimul hauſiſſe, ex quo abhorruit à conſuetudine aliorum, non prauâ dixerim, ſed vel inutili, ac leui, quod initiò narratum eſt. Eadem opinio ſtabiliri cœpta ab annis, quibus in Religione vixit; tùm propter mille clypeos, qui inueniuntur in eâ; tùm propter virtutis, & ſanctimoniæ famam, quam apud omnes tenuit. Perſpectarunt in eo inſuper alij propenſionem ſanè miram in hanc virtutem, ideò in terris raram, quià Cœleſtium eſt. Nequè enim ipſe oblectari vllâ re aliâ magis, quàm familiaritate eorum, quos Virgines eſſe, in Romano Collegio Spiritualis Pater, ſciret: inter quos B. Aloiſius Gōzaga, vt mox capite altero dicam. Et ſanè id ſatis argumento erat, quorum adeò conuenirent animi, horum vtique conuenire virtutes. Sunt inuenti demùm haùd ità pauci, qui vſi ad hoc indicijs, & coniecturis alijs. Vir nimirùm erat ingenio tàm acri, vt ferè nihil adeò altè ſapientia conſtituerit, quo mens eius non poſſet eniti: nihilominus, dùm aut ſtudijs animum, aut aures pœnitentibus daret, ſi aut legeret, aut audiret, quæ ad præceptum VI Diuinæ Decadis, atque ad Sacramentum Matrimonij ſpectant, neceſsè habuit, expoſitionis causâ, percontari alios, quoniàm eæ voces adæquè, ac res ipſæ ignotæ prorsùs cogitanti. Non hoc verò iunior, & religioſius dumtaxat, ſed ſenex, & in purpurâ egit, ſi de re ſimili fortè conſiliū, vti fit, ab eo peteretur, & ſermones

eiuſ-

eiuſmodi rubor verecundiæ, affuſus ori excipiebat; eique valdè auctor erat idem hic honeſtatis color, ea colloquia vt abſolueret quàm breuiſſimè. Atquè his coniecturis hauſta opinio à multis eſt de eius virginali puritate. Verùm Diuina prouidentia, nè Dei famulus gloriâ illâ in terris priuaretur, quâ haùd dubiè iam in Cœlo fruitur, diſpoſuit, vt qui virtutem hanc de ſe ſolus nôrat, eam certò de ſe ipſe narraret. Et verò haùd noua res eſt, vel inaudita: cùm ſæpè viri ſanctiſſimi virtutes ſuas, & præſertim donum hoc virginitatis, quò Deo gloria maior indè oboriretur, clarè, candidèque manifeſtârint. Sic videlicet S. Gregorius Nazianzenus inter publica volumina ſua, hoc eſt in maiori luce quam poſſet, nempè in Opuſculo, *De ſeipſo* quod inſcribit. *Corpore*, inquit, *virgo ſum, an etiam animo, haùd certò habeo.* Tria in rem præſentem adfero iurata ab his, qui ex ore Cardinalis Bellarmini hoc dici ſimpliciſſimè audiuêre. Demophoon Ferrinus, ſatis vir notus in Vrbe, & cui à publico munere, quo fungitur, non poteſt non fides deberi; affirmat voce, & ſacramento etiam, dùm aliquandò cùm Cardinali Bellarmino ageret, occaſione Filiæ priuignæ, cui nomen Veronica Vitalis, & quam Gaſpari Bellarmino nuptum dabat, Cardinalem tùm, quod intelligeret puellam annorum eſſe non ampliùs tredecim, dixiſſe, vellem non tam properè vſurparent matrimonium, quò ità proles fauſtè ſuccedant: ſtatim verò

adieciſſe

adiecisse, ſcio hæc ſolummodò, quià in libris ea interdùm legi: nam rerum mundi huius haùd notitiam aliam habeo, præter eam, quam apud Scriptores, & inter paginas didici; & Virginitatem ad Deum referam eo flore, eoq; odore, quem cùm animâ pariter, & cùm luce ſuſcepi. Sic ipſe. Sed iàm maius teſtimonium addo; non modò quià teſtis Illuſtriſſimus; verùm etiàm quià inſuper eius cœleſtis doni vſum quendam perfectiſſimum inſinuat. Rogatus per epiſtolam Cardinalis Creſcentius à P. Mutio Vitelleſco Generali Præpoſito, vt quæ ſciret de Cardinali Bellarmino, teſtari fide publicâ dignaretur, annuit humaniſſimè. Itaque coràm Teſtibus, & Scribâ Vrbis, ex forenſi formulâ, ſic
» fermè orſus eſt. Ego Petrus Paulus Cardinalis Creſ-
» centius; vti ſemper ſum equidèm veneratus Cardina-
» lem Bellarminum, fauſtæ recordationis: tùm ob præ-
» ſtantiam eius in doctrinâ, & eruditione, quibus ad
» Eccleſiæ triumphum Hæreticos, aut reduxit, aut affli-
» xit; tùm ob virtutes, ſanctimoniæque famam: teſta-
» ri poſſum ſinceriſſimè, quo pacto vſus conſuetudi-
» ne eius maximè familiari, ſemper animaduerterim in
» ipſo Cœleſtem quãdam puritatem. Memini verò, cum
» fortè, in ſermone ſuper hac re nato, dixiſſe, haùd exper-
» tum ſe, dùm vixit, prauæ voluptatis delectabilem ſen-
» ſum vllum; ex quo conficere certò poſſum, ipſum vir-
» ginem fuiſſe. His verbis, vt dixi, indicari & illud aliud videtur; ope, gratiâque ſingulari, placitam Deo ani-

 mam

mam ipſius fuiſſe præmunitam; fortaſſis in præmium eius conatûs, quo domuit in iuuẽtute ſenſum reſidem, & deluctantem, ac victoriam reportauit ab inferioris animæ viribus. Inuitus enim, & cum cruciamento etiàm, inenarrabiliter affuſum calorem ſenſit illius afflatûs vrentis, qui, vt in Libris Iob diuinitùs ſcribitur, flammas accendit.

Sed quià item ſcribitur caſta generatio tùnc eſſe pulchra, quandò eſt cum claritate, adiungam his ea, quæ Ioannes Antonius Cangianus Sacerdos, & teſtis oculatus idem, atque auritus, audiuiſſe pariter ſe de virginitate Cardinalis Bellarmini, & vidiſſe de admirãdis eius nitoribus, interpoſito iureiurando affirmauit. Is, Moderator cùm eſſet Seminarij Clericorum Capuæ, intererat aliquãdò, dùm Cardinalis Bellarminus in eâ Vrbe, ſermone inſtituto de laudibus S. Gregorij Magni, adderet poſt multa; ſe quidèm ei Sanctiſſimo Doctori aliquâ in re ſimilem eſſe, quemadmodùm enim fuerat ille Religioſus, & Monachus; deſudauerat ſcribendis, pro Eccleſiæ defenſione, voluminibus; fuerat Virgo, & Cardinalis; ità eſſe item ſe Religioſum è Societate IESV, aiebat; ſuſcepiſſe ſimile onus concinnandi libros prò tutelâ Religionis: denique Virginem, & Cardinalem eſſe. Nimirùm ea cõparatio viſa homini tùm eſt in ore Auctoris haùd ità concinere modulatè cum laude, quam à ſilentio, vel à præcone alio meruiſſet; indè itàque erubeſcens ipſemet, defixit humi oculos pudi-

dibundus; at paulò poſt reſpectans denuò, vidit Cardinalis Bellarmini vultum clarâ quâdam circumfuſum luce, Solis inſtar, conſulgere: & tùm inſtitit ipſe, quià conniuerent oculi, vt vix contrà intueri fas eſſet, obtegere eos adpoſitâ manu, & preſſare paululùm; dein verò iterùm intendens in vultum eius; aduertit pari lucis pompâ clareſcere, idquè durauit circiter, quamdiù Symbolum Apoſtolorum ſedatè quis legeret. Vt ſanè magno pauore id venerans, conijcere potuerit, linguam, quæ ità præter ſolitum de ſe magnificè loqueretur, non plectrum vaniloquentiæ, ſed Spiritûs Sancti organum fuiſſe.

Imò, quià Philippus Carreſius Rector Eccleſiæ Sancti Marcelli in Capuanâ item Vrbe narratione iuratâ perhibuit, ſe, cùm auditor perpetuus concionibus intereſſet, quas Cardinalis ad populum ſuper Epiſtolas Diui Pauli in Summo Templo habuit, vidiſſe non ſemel, ei ſplendido radiorum igne collucere vultus, prorsùs perindè, ac Sanctorum imagines in picturâ ſoleant: poſſe mihi videor etiàm de Bellarmino vſurpare illa, quæ Cardinalis Cæſar Baronius de ſimillimis nitoribus dixit, quibus S. Ambroſij ora radiarunt, dùm Pſalmum tertium, & quadrageſimum explanaret: nempè ſplendorem illum, cœleſte Symbolum fuiſſe, quò illius verba Diuinitas obſignaret. *Non ad oſtentationem*, inquit, *vt homines, Deus edit oſten-*

ta; ſed vt quid magnum oſtendat: & quidem (quod ad hanc rem ſpectat) voluit huiuſmodi viſione, veluti ſigillo appoſito, conſignaſſe, oſtendiſſeque, tantum in Eccleſiâ Doctorem, non prò humani ſensus arbitrio; ſed ore Domini loquutum, Diuino afflatum ſpiritu docuiſſe, diſſeruiſſe, ſcripſiſſe, atque dictaſſe ea, quibus, vel populum erudiuit, vel Hæreticos confutauit: cùm viuâ voce, & ſcriptis Epiſcopale munus impleuit, & numeros Doctoris abſoluit. Pòſt hæc, Ioannes Antonius Cangianus, à rei veneratione vt ſe recepit, Religioſo viro, ex Ordine Clericorum, quos Theatinos appellant, factum, vti euenerat, narrauit: & is, cùm eſſet ei à confeſſionibus, admonuit, vt rem ſilentio premeret, nè emanaret, priuſquàm Cardinalis Bellarminus diem obijſſet. Paruit verò ipſe, & ſtatim à funere rem totam, non obliuioni datam, ſed concreditã ſuæ taciturnitati, ac fidei, tandem ipſius Cardinalis Bellarmini famæ, & gloriæ conſecrauit. Poſſumus Auroram huius lucis etiam, vel indè à concionibus eius in Belgio repetere. Nam tunc quoquè flamma ei concionanti fuſa per caput; ex quo viſa ei facies ſplendeſcere non aliter, ac de S. Stephano retulit Diuinus Auctor. Hoc autem Andreas Wiſe Eques, & Magnus Prior Britanniæ, interpoſito iureiurando, ſeptuagenarius teſtis, ab ſe viſum affirmat, cùm eſſet Louanij, annumque ageret ætatis vndevigeſimum. Sed vt reuertamur ad eius pudicitiæ laudem, pretioſum theſaurum non caſtiùs, quàm cautiùs cuſtodiuit.

Cardi-

Cardinalis Creſcentius, ex ore item ipſius audita hæc perhibet. Confeſſionibus mulierum aures eum dediſſe nunquàm, tametſi rogatus, cùm ſederet publicè in Templo Societatis Louanij: ſed, excuſatâ linguæ Belgicæ imperitiâ, eas ablegaſſe aliò, & Academicis dumtaxat aures propitias præbuiſſe. At non confeſſionibus excipiendis modò (quæ Sacramenti veneratio eſt) verùm, ad occaſiones quaſcumque, ſibi cauit egregiè ab earum conſpectu. Quoties neceſſaria colloquia cum fœminis haberet, tùm maximè, ſi vnquàm aliàs modeſtiâ muniri, & ferè mutuari aliundè quandam quaſi auſteritatem; demũ oculis humi poſitis adſtare, nè quid de virginitatis integritate delibare ſaltem oculi cogerentur. Romæ Cardinalis, & Capuæ Antiſtes, nè quidèm hoſpitij causâ eaſdem admiſit vnquàm domi ſuæ; imò Seni cuidam graui, & Sacerdoti, primò veniam, poſtmodùm conſilium petenti, an propter familiæ vſum Ancillam, etiàm ipſam ſatis magno natu, quippè ſexagenariam, poſſet penes ſe in ædibus attinere; Cardinalis & ſi quod is peteret, non negauit: dixit tamèn, futurum, vt haùd ipſe habitaret cum eâ in vnis ædibus. Quod exemplum Antiſtitis optimi ſequi Sacerdos maluit, ſecùm differens, quòd ſi vir eius ætatis, & ſanctimoniæ hoc defugeret; & quæ ſuberat ſibi demùm ſecuritas? Ad hæc haùd metuendum, cum fœminis nè ſermones diù traheret; quàm enim poterat, tàm verba conferre ad compendium, & vt abſol-

abſolueret citiùs, colloquia nunquàm aliò deriuare. In alloquijs Principum fœminarum, aut cùm negotij conditio celerem exitum minimè pateretur, ſemper hoc egit, vt cùm ſermonis initia eis dediſſet, extrema ſibi reſeruaret; eratq́ue veluti peroratio, documentum animæ, ex ijs potiſſimùm, ex quibus timor Domini poſſet, noxarumq́uè pius horror innaſci.

His artibus illam adiecit, quam ex vitâ S. Auguſtini, & ex Religionis item ſuæ præceptis hauſerat; nè fœminis ſpatium ſermoni abſq́uè arbitris daret. Aderant enim perpetuò, qui omnia ſpectarent, & verba non audirent tantùm. Celſus Amerigus Generalis Antiſtes Ordinis Cœleſtinorum refert: cùm aliquandò ab audientiâ Cardinalis decederet, alto iam meridie, deduceretur q́ue officij causâ media per conclauia, inuentam ibi fœminam nobilem, & filias geminas ipſius adoleſcentulas, peregrinas è Tranſalpinis oris. Æſtas erat, necdùm famuli ad horas obſequij redierant, & hos opperiebantur illæ, vt introducerentur. Cardinalis cùm eas cerneret, eſſetq́ue ibi ſolitudo, primò vultum colorauit, hæſitq́ue incertus conſilij; ſed poſtmodùm, nè expectare cuſtodes Aulæ diutiùs deberent, Antiſtitem eundem, & ſi ei valedixerat, reuocauit, rogauitq́ue, vt cũ Sacerdote alio, qui tùm fortè obuenerat, coràm adeſſet, ad poſtulationem vſquè cognitam fœminarum illarum: atque ità ſecans officioſas loquutiones omnes, in quas migrat initio

vrba-

vrbanitas, re intellectâ (vt externis quoque omni ope ſubueniebat) annuit, dimiſitque quàm citiſſimè. Aliàs cùm ferret neceſſitas, vt parùm honeſta de quopiam audiret; tùm videre erat diffuſum ori eius virgineum ruborem: quandoque Crucis etiam ſalutari ſigno ſe muniebat, recolligebatque: perindè ac ſi obrigeſceret totus, adeò ipſius caſtas aures ſermo ille turbabat. Ægrè etiam, vt ad mulieres ſcriberet, adducebatur: ex quo, literis ſibi à fœminâ nobili Cæſenate redditis, iniunxit ei, qui ab epiſtolis, vt Præfecto Vrbis Cæſenæ reſponſum potiùs mitteret, excuſatâ cõſuetudine non ſcribendi ad fœminas, præſertim ignotas: modò exciperentur primariæ, quibus id iniurioſum; vel affines, & conſanguineæ. Romæ Cardinales Rhedis conſiſtere ſolent honoris causâ, ſicubi Rhedæ aduerſæ cõmeent, quibus Principes fœminæ Dynaſtarum, atque Magnatum Coniuges vehãtur. Cardinalis Bellarminus, quoniã Religioſus vir, immunem ſe interpretans, ab eo genere obſequij, tãtùm, ne quà cooriretur offenſio, vel res admirationem pareret, ſi præſertim obuenirent peregrinæ mulieres, mittebat ad eas, poſtquàm præterierãt, famulum vnum à pedibus, qui à ſe id more fieri, renunciaret. Demùm in eo cuncta odorem ſpirabant puritatis, ac ſanctimoniæ, fruebaturque ipſe altâ animi pace; prorſus perindè, ac ſi corpus, quod corrumpitur non habitaret: adeò vis omnis animæ inferior didicerat, rationi obſequenter,

tem-

temperari.

Hanc ipſam prærogatiuam candoris virginei dederat ei benè cumulatam Deus; prorsùs vt potuerit eam quoquè communicare alijs: nàm in Commentarijs iuratis Religioſus quidam affirmat, ſcire ſe virum aliū neſcio quem graui, & permoleſto inuitamento praui ſensûs liberatū, poſtquàm vltimis morbi periculis aſſidere, ac ſubſeruire Cardinali Bellarmino cœpit; tametſi, in remedijs quicquid eſt eximij, pridem adhibuiſſet. Sacerdos alius, & Paſtor animarum teſtatus eſt iureiurando, quo die à ſacro Collegio Purpuratorum Cardinali Bellarmino funus procurabatur, viſum à ſe hominem, quicùm ſibi amicitia vetus, lachrymis obortis vbertim adflere, „ qui ſciſcitanti cau-
» ſam lachrymarum reſpondit: Dùm video Cardinali
» Bellarmino, propter eius ingentia ſanè merita, tāquàm
» viro ſancto, roſaria confertiſſimè admoueri, & dùm
» ſimul recolo noxas meas, tantâ pœnitudinis vi, ægri-
» moniâque animi concutior, vt ſi domi forem, aut ſe-
» creti licentiam haberem, non poſſem, quin memet
» incuſans grauiter, ac dolenter, claris detonarem voci-
» bus, & cùm anteactæ vitæ deteſtatione, ſicut flumina,
» lachrymas effunderem. Tùm Sacerdos; potes tu etiā,
» Deo propitio, vir ſanctus eſſe, ſicut Bellarminus fuit.
» Excepit verò alter, nondùm è viuis exceſſi, & polliceor
» in his, quæ reliqui ad vitam habuero, me, & alium,
» & meliorem vtiquè futurum: atque hanc verè ſtetiſſe

animo

animo ſententiam, oſtendebant crebri ſingultus cum lacrymis, ſermonem ſubindè interpellantes. Duo item alij donati tranquillitate animi; extinctis tentationibus aſſiduis, moleſtiſſimiſque, tantùm ex eius imploratione: quæ viſa multò ſanè opitulari præſentiùs, quàm diuturnæ, ferèque immodicæ, quas obierant ſponte,corporis afflictationes.

Attamèn, etſi laus hæc vſquè adeò eminẽs Virginitatis, dubio procùl Cardinalem Bellarminũ conſtituit in eo gradu hominum, quos ſuſpiciet, & demirabitur omnis ætas;haùd ego æſtimo tanti virtutẽ hanc excellentiſſimam, cuius eſt, quæ fœda corpori, quæ fœda animæ, prorsùs abigere;quanti donum aliud generalis cuiuſdam, & excedentis ferè humanos fines innocentiæ, quâ noxas etiam leues (quantùm homini permittitur)modis omnibus deuitauit. Siquidèm prorsùs rarum eſt, in tot humanis erroribus ſolâ innocentiâ viuere. Latent res animæ, nèc intelligi queunt, niſi claras eas velit Spiritus idem ille, qui earum ſecretus eſt opifex. Ideò,quæ ſunt huiuſmodi, de Sanctis viris aliter audiri nequiuêre, niſi cùm ipſimet promerent ea, & fides eis habita; cæterâ ſanctitate, & grauitate vitæ decus hoc ad vltimum adprobante. In Cardinali Bellarmino præter conſtantem opinionem virtutis, quàm Heroicæ res eius geſtæ promeritæ ſunt; etiàm auget fidem hanc fama, & vox in ore omnium: videlicet eum fuiſſe à mendacijs alieniſſimum. Et hoc in

more non habuit tantummodò in Religione, vel in Purpurâ; ſed extulit è parentis aluo, cuſtodiuitque exindè perpetuò. Ex quo P. Mutio Vitelleſco affirmare potuit, toto vitæ ſpatio, ſe mendacium nullum, nè in infantiâ quidem, dixiſſe; cùm nobis eſt hæreditaria propenſio, vt excuſatiunculis, & mendaciolis prima illa malefacta protegamus. Hac itaquè oratione candidâ, ſimpliciq́ue, interdùm de animâ intùs, & clàm agēte narrauit quædam, quæ perbenè ſi expenduntur, ſuadebunt facilè (iudicium tamen integrum reijcitur ſemper in Deum, cordis arcana certiùs æſtimanté) in Eccleſiâ Catholicâ, quantum è Scriptoribus colligi ſanè poteſt, haùd ità multis conceſſum, vt vitæ innocentiâ ipſum anteirent. Aliqui ex eis, qui per obſequia, amicitiamq́ue inſinuauerant ſe in maximè familiarem vſum, vt elicere omnia arcana, ſpeculariq́ue abditos eius ſenſus poſſent, & præter hos Cardinalis Verallus referunt, dixiſſe ſæpiùs, ad octauum quemque diem ſe confiteri ſolitum tantummodò, vt Societatis legi pareret; cætera experiri ſibi prorsùs inuentû difficilem materiam iudicij, atquè abſolutionis, cùm ad ſacram exomologeſim accederet. Attamen ſatis nimirùm ſcimus, in ſeipſum quotidiè inquirere ſolitum accuratiſſimè, & fuiſſe conſcientiâ anguſtâ potiùs, timidâq́ue, ex quâ videbatur ſemper ad opiniones adigi ſeueriores, & ſæpè culpam agnoſcere, vbi culpa non erat, indicio vtique mentium optima-

timarum. Is, qui ei à confeſſionibus toto Purpuræ tempore fuit, plurimis affirmauit, de Bellarmino poſſe hoc prædicari prò re compertâ, neceſſariam ei fuiſſe confeſſionem dumtaxat, vt præcepto Eccleſię obtemperaret, hoc eſt annuè tantùm ſemel: cùm cæteroqui potuiſſet annos plurimos hoc ſacramento non indigere,& ad dies ſingulos perlitare Deo in innocentiâ cordis ſui. Addidit verò Cardinalem ſæpè conuentum à ſe ſtatâ die, vt aures confitenti daret, reſpondiſſe ingenuè; etſi diù, multùmque cogitaſſet, non occurrere animo, cuius ſe noxę reum poſſet ſtatuere. Tanta in eo vis erat boni, atquè virtutis: itàque feliciter, rerum vtilium occupationibus perpetuis, aſſequebatur, vt momento quouis temporis Numini placeret.

P. Innico de Gueuara, qui ex Dynaſta Regni Neapolitani Societati noſtrę addixerat ſe, conſecraueratq; Cardinalis Bellarminus dixit quadam die, dùm ille Prę̨ſes in Domicilio Profeſſorũ Romę eſſet, ibidemq; vnà colloquerentur, deſtinatum habere ſe eò regredi, vt celebraret, poſterâ die: moneret proindè Confeſſarium, nè ad Ædes ſuas veniret, ſed opperiretur potiùs
„ domi. Poſteà cùm diù ſermones ducerent; ſunt duo,
„ inquit, in quibus ſoleo delinquere. Alterum eſt, ſi non
„ perpetuâ cuſtodiâ ſim contrà mẽtis euagationes, dùm
„ Officij Diuini penſum exoluo; non quidem horis ma-
„ tutinis, ante primam lucem eàs legens; ſed horis alijs
„ interdiù, propter frequẽtiam adeuntium. Alterum eſt

„ ſi quid otioſè dixerim, vel ioco; ſed haùd nimirùm
„ deerunt culpæ aliæ, quas ignoro. Sic ipſe.

P. Iulius Cæſar Recupitus, item è Societate, iureiurando aſſerit, cùm familiariùs à Cardinali Bellarmino quæſiuiſſet aliquandò, an in his, quæ ad animam deprehenderet, à ſe agi remiſſiùs in Purpurâ; reſpondiſſe, videri auctum potiùs ſtudium illud, idque ex coniecturâ duplici; tùm quià animo res Diuinas contemplanti ille humanus honor haùd inijceret inanes cogitationes, euagationesque; tùm verò quià rei nullius appetens, prætequàm vt in Cælum iret, à Pontificatu optando, ſperandoque ſic erat alienus, vti à re in quâ periclitari æternitas poteſt.

Poſtremò P. Thomas Fritzhebertus Rector in Vrbe Româ Collegij iuuenum Britannorum teſtatur, Cardinalem Bellarminum; dùm colloquia miſcerent ambo in Ædibus Vaticanis, paulò ante quàm languore vltimo tentaretur, quo extinctus eſt; memorabile quid dixiſſe. Erat materia ſermonis Ioannes Berchmans, adoleſcens Belga natus Dieſtemij, qui in Romano Collegio triennale Philoſophiæ ſpatium emenſus, cùm opinione virtutis magnæ antè eos dies obierat. Et meruerant famam hanc, vultus eius ad modeſtiam compoſitus pulcherrimè; puritas per omnia menſuram hominis egreſſa; & cæteri mores, qui aut laudari debebant, aut reprehendi non poterant. Tunc verò maximè flos hic innocentiæ fragrantiam afflauerat

uerat odoris optimi, cum attritû mortis elangüit; conſtanti adhùc famâ, multis ex ipſius impetratione ad proſperas valetudines ægra corpora reduci. Is rumor itàque Cardinalem inuitauit, vt à Rectore perquireret, ecquid maximè præcellens de Iuuene illo crederet poſſe memorari? Tùm ille ſecùm æſtimans, vitam perpetuò innocuam cenſeri poſſe miraculum primum, & præcipuum, dixit; magnum quid, arbitratu ſuo, eſſe, quòd ille nunquàm peccaſſet vel noxam vnam leuem ſpontè, ac prudens, id quod ageret, culpam eſſe. Hanc laudem Cardinalis cùm reputaret aliquantulùm cun-
» ctabūdus, ſubdidit poſtmodùm. Mihi ſanè hæc haùd
» res adeò magna videtur: nam quis ſciens, & prudens,
» vel leuiter peccaret? Deindè ſuper hoc meditatus denuò, at tertiò hæc adiunxit: haùd vnquàm equidèm ità me deliquiſſe memini. Sic item ipſe. Enimuerò, ſi perennis innocentia admirationi eſt in Iuuene, cui ætas annorum tantùm vnius, & viginti; quæ veneratio ſatis deberi poterit viro, qui ad annum propè octogeſimum conſenuit, in tàm longo vitæ ſpatio nunquã imminutâ claritate? & qui toto eo ſpatio, quantum demùm eſt, tametſi negotijs magnis, & honoribus implicitus, nihil niſi laudandum, aùt cogitauit, aùt fecit, aùt dixit?

Vniuerſa hæc optimè rumori conſonant, quẽ excitauit de eo Aula Vrbis, cæteroqui tàm prona factis aliorum interpretandis: conſonant eorum iudicio

etiàm

etiàm, qui verſati cum eo intimè, perhibent cuncti vno ore diuinas leges omnes factis eum ſic expreſſiſſe, vt quæ præcipiunt illæ vocibus, ea redderet ipſe moribus imitatione ſimillimâ: vt ex eo non immeritò à Cardinali Vbaldino irreprehenſibilis, & imago perfecti moris nominetur. Quarè, quod de paucis in ſenio dicitur, defuit malitiæ deſtruendi eius locus, & ferè quam à luſtrali fonte innocentiam hauſit, illibatam ad Superos detulit. Ex hac eâdem innocentiâ fiebat ſubindè, vt indoleret grauiter propter noxas aliorum: & præſertim cùm intelligeret, quemquam obijſſe abſquè pœnitentiâ: quo ſymbolo ſi deſtituitur impius in exitu rerum ſuarum, non admittitur vnquàm in ſedes piorum, ſed reus læſæ potentiſſimæ Maieſtatis proturbatur in Gehennæ loca, tormentis perpetuis excruciandus. Tùm enimverò, tametſi voluiſſet eum culpæ magis, quàm ſupplicio eximi; nihilominùs pœnæ eius iuſtiſſimæ, liberaliter pius, cùm animi mœrore graui ſæpè illacrymauit, & ingemuit. Hæc verò cauſa item fuit, vt Capuæ ſalutaria conſilia daret frequenter his, quorum ceruicibus, in eo vltimo diſcrimine, diuinæ vltionis diſtrictus enſis imminebat: & ſic ab irâ Numinis, & ab ore Leonis circumrugientis rabidè oues ſuas bonus Paſtor eripiebat.

Eius

Eius ergà B. Aloyſium Gonzagam Virginem, & æquè innocentem ſtudia.

CAPVT II.

NVNQVAM tàm egregiè inter pares, & ſimiles amor eminere viſus eſt, atquè inter Bellarminum, & Beatiſſimum iuuenē Aloyſium Gonzagam, de cuius rebus geſtis non poſſum, quin delibem pauca ex his, quæ cùm Bellarmini famaque, & factis coniuncta ſunt. Prò quâ etiàm re haùd equidèm locum alium opportuniorem habui: nam lilium lilio intexere pulchrum opinor erit. Is è Ferdinandi Gonzagæ Parentis, & Principis Caſtilionis domo, optimâ ſpe, ſummæ virtutis, ac pietatis puer, primò trangreſſus in Aulam Regis Hiſpaniarum, & innutritus inter Ephebos illuſtres; quià ſemper dignior inuentus eſt, qui iura ſui famulatûs elocaret apud Regem Cœli, dein Societatem IESV moribus ſuis honeſtiſſimis, & Aris quoquè cumulauit. Huic itàque tùnc Bellarminus ad generalem totius vitæ expiationem aures incolumi dedit: ægreſcenti ſuppeditauit ſubſidia omnia, agentique animam ad vltimum ſpiritum aſſedit, cùm pridèm toto eo ſpatio, quò vnà peruixerunt ambo, magnos ſpiritus ei communicare ſemper, & ab eo viciſſim ipſe ſumere conſueuiſſet; quod poſtremum, quippè beneficij ſe[...]mmodò accepti memor, ſæpè teſta-

teſtatus eſt. De eius virginitate, innocentiâque hæc in Epiſtolâ datâ in Ædibus Vaticanis Cal. Nouembr. „ M. DC. I. ad P. Virgilium Ceparium, habet. Diù „ confeſſiones accepi dulciſſimi, & Sanctiſſimi Fratris „ noſtri Aloyſij Gonzagæ; vnam etiam, quæ vniuer- „ ſam eius vitam complectebatur. Ex quibus colligere „ potui, ipſum nunquam læthalem noxam vllam ad- „ miſiſſe; quod quidem ab anno ſeptimo, & deinceps „ per ætatem reliquam certum habeo; de primo ſeptennio „ facilè coniecturâ aſſequor; neque enim induci poſsum, „ vt æſtimem, puerum hoc ætatis, deſtinatum ad inno- „ centiam tantam, ſe exitiali aliquâ labe inquinare potuiſſe. At in Templo Beatæ Virginis Annunciatæ Collegij Romani, cùm eſſet in Purpurâ, tria in eo virtutum capita diſtinxit, ad quæ nos haùd poſſimus aſpirare, & quæ ego „ vt ſanctiùs referam, vtar fermè vocibus ipſius. Pri- „ mum eſt, inquit, quod vocatus à Deo ſit antè primam „ horam; nàm iuxtà Vineæ parabolam cæteri vocantur, „ vel horâ primâ, vel tertiâ, vel ſextâ, vel nonâ, vel vn- „ decimâ: nempè in pueritiâ, vel adoleſcentiâ, vel iuuen- „ tute, vel maturitate, vel ſenectute. Sed Beatus Aloyſius „ vocatus eſt in ipsâ penè infantiâ; ſiquidem ſeptennis „ dùm erat, qui terminus eſt infantiæ, vocatus ad notitiam „ Dei, ad mundi neglectum, ad vitam perfectam fuit. Mi- „ hi enim diſſerere ipſemet ſolebat, illum annum fuiſſe „ prorsùs initium ſuæ reuerſionis ad Deum; quippè qui „ cœpiſset antè id tempus cogitare neſcio quid de gloriâ mili-

„ militari, & cæterâ Belli vanitate. Si tamen culpæ ſunt, „ quæ ità pueri cogitant, antè eos terminos illuſtratæ „ mentis, Deus paucos innocentes, imò ferè neminem „ habet. Alterum eſt, quod ità gratiâ caſtitatis eſt à „ Deo præmunitus, vt immunis ab inquinamento car- „ nis omni, imò & ſpiritûs fuerit: adeò non facta ſolum- „ modò, ſed etiam ipſa cogitata pura ab iſtiuſmodi labe „ in ipſo exiſtebant. Et verò in Eccleſiâ Dei, tametſi „ virgines multi ſint, & caſti ſaltem ad longum tempus „ multi: carnis tamen titillationum penitùs exper- „ tem nullum, præter hunc Beatum Iuuenem noui; for- „ taſsè haùd deſint alij; ſed mihi noti non ſunt. Quæ „ prærogatiua tàm inſignis longè pluris æſtimanda eſt, „ quàm donum, & virtus tentationibus reſiſtendi; vt vel „ indè fit manifeſtum, quòd Chriſtus Dominus, cùm „ Imperator ſimul & miles manus conſerere cum hoſte „ voluit, haùd permiſit, vt ab hâc parte ſe impius ille „ adoriretur. Multò minùs permiſit interiùs ſibi, è pra- „ uæ libidinis tetro igni, faces admoueri; aut eas etiam „ inter Matris ſuæ Sanctiſſimæ niues, vel ad leuem vſ- „ què cogitationem, accendi. At enim, ſtimulis qui ca- „ rent, coronâ carent victoriæ. Ità ſanè: ſed ſi aliundè „ augetur gratia, & caritas, compenſatur iactura illa fe- „ liciter. Ità, qui nunquàm peccârunt, Chriſtus Domi- „ nus, & Beatiſſima Virgo, caruerunt indubiè dono, & „ merito pœnitentiæ: ſed huius item & meriti, & doni „ felix iactura eſt, quià ſtat innocẽtiæ pretio, ſtat maioris

 gratiæ

„ gratiæ dono. Tertium eſt, eum tranquilliſſimâ men-
„ te, procul ab omni euagatione, inter meditandum
„ fuiſſe. Quemadmodùm enim in terris genua, ità cor
„ in Deo, cùm oraret, figebat. Tametſi verò aduenirent
„ frequentes, qui cognoſcere, ſancto ne operi quiſquam
„ deſit, in Societate ſolent, & ijdem ſæpè fores cubicu-
„ li cùm ſtrepitu reſerarent, clauderéntque; ipſe nihilomi-
„ nùs ſenſit aduenisse eos nunquã: adeò ſopitis ſenſibus
cùm Deo cor eius vigilabat. Hæc tria de Aloyſio inimitabilia cùm recenſuiſſet, ad imitandum alia propoſuit, vſus verbis, quæ maximè indicârunt ipſius animi demiſſionem. *Veniamus*, inquit, *ad virtutes alias, vt diſcamus exemplo perfectiſsimi iuuenis nos imperfecti ſenes, quæ ſit via ad vitam: neque enim turpe nobis videri debet, à iuniore diſcere, qui ſuper ſenes intellexit.* Sic ipſe. Præterea cùm apud Purpuratos Patres cœptum eſt agi de Aloyſio inter Cœlites conſcribendo, connumerandoque, Cardinalis Bellarminus in eorum Senatu diſſeruit primus, & complexus multa, in fine Sanctos omnes eâ glorioſâ inſignitos appellatione dixit, vel propter innocentiam, vel propter excedentem & admirandam vitæ auſteritatem: at appellationem hanc Aloyſio deberi propter vtramque laudem, ſicut debita olim S. Ioanni Baptiſtæ. Cui ſententiæ ſtatim adhæsêre ſuffragia cæterorum aſſenſu miro, deque re, vti perorauit, ità decretum fuit. ¶ Verùm non dictis modò B. Aloyſium adeò impensè

coluit:

coluit: ſed facta etiam adiecit, ſolitus quotannis, quoties reuerteret eius obitûs anniuerſarius dies, in Templo eodem Romani Collegij, ſacras eius reliquias piè, ac venerabundus inuiſere; & indè ire etiàm in domicilium ipſum, in quo aſſidere valetudini eius, fouere deficientem, ſatiari vultu, & complexu meruerat. Haùd tamen ferre diù potuit illud pro ægris quotidiè, veluti carens religione cubiculum, vſurpari; ſiquidem ad Sancti Iuuenis memoriam, & loci venerationem impetrauit, vt poſſet in Sacellum dedicari: quò idem eſſet, & obitûs eius, & ſanctitatis monumentũ, ibique ara, vbi cecidit tam innocens victima, poneretur. In eo ornando ipſe ſuppeditauit expenſas omnes; laquearia auro lita, cum lycnis præpendentibus antè Beati Iuuenis effigiem: parietes non è marmore elaborati, aut diſtincti gemmis: ſed exprimẽtes, apparatu nobiliore, imagines virtutum. Pars vna ipſum puerulum habet, dùm nixus genibus ante Crucem, nudatusque humeros flagris ſe cruentat, & nullius culpæ reus flagellat innocẽtiam. Adſtant foribus interim famuli, & perſpectant rimulis paruum Dominum, piè aduersùm ſe ità ſæuientem; eaque res denunciata Ferdinando Parenti, aditum in Societatem Filio impetrat. Hinc ponè viſitur mutatâ veſte inter Præſules, & alios, è Sacris Paginis ſalutaria monita diuidere, Mundoque, & pompis valedicere. Dein inter Vincentiũ Mantuę Ducem, & Ferdinandum fratrem, inter

 quos

quos, graui ortâ controuerſiâ non ſatis conueniret, litem ipſe dirimere. Prò ſcribus, & è regione Aræ: quià anno Domini M. D. X C I. ſæuijt Romæ fœda lues, adeſt in publico Xenodochio, inter plures è Societate; ac tametſi pollui cuncta ſanie, odore, contactu cerneret, prò inuitamento habens, quod terrori alijs fuiſſet, dùm cæteri ſcopis pauimentum purgare, cubilia ſternere, manantia tabe ſtragula verſare, recreandæ defectioni cibos adferre prò ſe nituntur; adſpicitur ipſe ad pedes vnius, ſuccinctus linteo, ſordes abſtergere nequicquàm nauſeabundus; nullâque re lætior, quàm ſi in morbum incideret, tolerantiæ comes futurus, quibus erat ſolatium. Pars altera parietis, eum item genibus poſitis, antè Crucem habet; dùm incumbens pluteo percepta diuinitùs lumina, quæ de Angelis didicerat inter meditandum, perfuſus animæ liquidis voluptatibus in pugillares refert, par Mentibus illis puriſſimis Scriptor, & Commentator. Ac prætereà eſt lectulus eius verè floridus, ex quò eo, quem prænũciauerat die, flos caſtitatis, innocentięque, reſolutus nõ tàm in ſua initia, quàm in odorem ſuauitatis ad Cœlum migrauit.

Hunc ipſum Beatum Iuuenem Cardinalis Bellarminus auctorum Cœleſtium numerum, eique etiàm aras dedicandas, prædixit eo ipſo veſtigio temporis, quo nobis ereptus eſt. In epiſtolâ enim, de quâ paulò „ antè memini, hæc habet; Exiſtimo equidem, rectâ

cum

„ eum in gloriam Beatorum abiuiſſe, ſemperque Reli-
„ gio fuit prò illius animâ preces ad Deum fundere,
„ quippè cùm vererer, nè Diuinæ Gratiæ, quam in ipsâ
„ cognoui, fortaſſis iniuriam facerem. At contrà religio-
„ ne nullâ prohibitus ſum, quin eius precibus me ego
„ commẽdarem; in quibus ſubſidij multum rebus meis
„ ineſſe ſemper duxi. Atque id cauſę fuit, cur demortui corpus proprio ſarcophago condi voluerit, quoniàm ipſum è communi vmbrâ ſepulchrorum, nõ luci modo; ſed aris quoque certo repromitteret, articulatim aſſerens, futurum aliquandò, vt ſanctitate, atque miraculis clarus adoraretur. Ipſe tamen ſtudia hæc ſua tùm maximè oſtendit, cùm optauit moriturus (ſicùt in tabulis teſtamẽti habet) ad pedes B. Aloyſij, filij ſui ſpiritualis, ſepeliri; vt hoc pacto, quos beneuolentia, & mores coniunxerant, hos videretur etiàm ſepulchrũ miſcuiſſe. Sed quoniàm eorum incidit mentio, quæ egit Cardinalis Bellarminus, vt B. Aloyſio cœleſtes honores, atque Aræ decernerentur; de re ſimili dicam, & non in alium locum differam occaſionem illam, quam ipſe dedit primæ venerationi; quâ S. Ignatius Loiola noſtræ Societatis Fundator, & Parens Romæ cœptus eſt coli. De hoc enim meminiſſe debui, nè inter eius facta, adeò digna res memoratu ſileatur. Anno M. D. LXXXXIX. Cardinalis Bellarminus, vnà cum Illuſtriſſimo Collegâ ſuo Cæſare Cardinali Baronio venerat ad Templum Profeſſorum Societatis, in die anniuer-

uerſario obitûs Ignatij, habiturus ibi clauſis valuis de laudibus eiuſdẽ adhortationem ad Socios. Qui è Romanis domicilijs eò conuocabantur, vt ex ore præconis tanti de optimi Parentis famâ, geſtiſque cognoſcerent. Dixit verò ipſe, vt ſemper ſoleret, peregregiè, traxitque in admirationem viri non ſocios modò, ſed & Cardinalẽ Baronium. Qui propterea, dùm cæteri, concione dimiſsâ, circumfuſi ad ſepulchrum Ignatij, ac nixi genibus aliquantulùm orãt; proſtratus pariter, primò ſolúm, vbi ſacræ eius Reliquiæ ſeruabantur, exoſculari, deindè cœleſti quodam inſtinctu diuinitùs perpelli, vt continuò Ignatij imaginem adferri ad ſe iuberet, ſcalaſque inſuper, quibus eam publicè honorandam è ſuperiori loco proponeret. Auctoritas viri tanti vicit noſtrorum modeſtiam, qui diù ergà Ignatium cultûs ſigna edere recuſauerant, rati ſufficere interim, ſi Patri Sanctiſſimo virtutes eius in animis Filiorum Templa, & effigies ponerentur; donec Deus Famuli ſui gloriam ipſe in luce publicâ collocaret. Quarè ijs, quæ poſtulauerat, allatis, acceptam tabulam ipſe primus religiosè veneratur: poſt ſcalis aſcenſis ſuprà ſepulchrum ſuſpendit, adoratque rurſus; nemine Filiorum inſpectante hæc inſperata gaudia dulciſſimi Parentis, cui non præ gaudio ex oculis vbertim lacrymæ præſilirent.

Demùm, quoad ritus deuocandi ad Cœleſtium venerationem eorum tùm animas, tùm nomina,

qui

qui in Eccleſiâ caſtè, ſanctèque vixerunt, nèc illud omiſerim, quod Cardinalis Bellarminus hâc ſuper re P. Virgilio Cepario aliquandò dixit; dùm is negotia id genus cum eo tranſigeret, experireturque difficultates, quæ tùm oriuntur, cùm commentarij rerum ab eis geſtarum formantur, longo pòſt tempore, quàm obijſſent illi, qui de ijſdem teſtificari poſſent. Cenſuit enim vir iſtarum rerum expertiſſimùs, prorsùs è re communi Eccleſiæ eſſe, ſi de ijs, qui relictâ inſigni de ſe opinione ſanctitatis, diem obeunt, ſtatim auctoritate publicâ in Commentarijs referantur narrationes boni, vel mali; quò de ipſis deindè poſſet decerni tutiùs. Deueniret enim certior ad poſteros veritas; quippè ab ijs expreſſa, qui mortuum nôrant, & non à famâ tantùm, quæ incerta certis ſæpè miſcet, & falſis vera confundit: vti neceſſariò fit; cùm ea poſt annos centum indagatione ſerâ perquiruntur.

De orationis pio exercitio, ac ſtudio ergà res animæ.

CAPVT III.

EXPERTVS egregiè Cardinalis BELLARMINVS, quàm dicatur ſapienter à Diuo Athanaſio illud; *Sufficit animæ puritas, vt per*

per ſe Deum ſpeculetur. Etenim eius purus ab omni labe animus, cœpit in pueritiâ ipsâ; continuauit in Religione pariter, & in Purpurâ; inſtitutumque id vſque ad vltimum vitæ diem ſeruauit, quotidie cœleſtia meditandi. Horis verò, quas pio huic otio ſepoſuerat, mirum eſt, quàm accuratè à ſenſibus reciperet ſe, & quàm ſtudioſè obſequia ſua pararet venieti Deo. Eum morem, vt diximus, vſurpauit ſemper, vt Diuinas laudes, quâlibet die eis præfinitâ, & non pridianâ anticipatione perlegeret, parteſque earum ſingulas horis diſtinctis etiàm recitaret. In quâ ſanè re haùd equidem ſcio, alium magis tenacem propoſiti fuiſſe, & quidem inter Purpuræ, atque Archiepiſcopatûs aſſiduas, fereque omnium horarum occupationes, quæ penè ipſum obruere videbantur. Cùm in Societate erat, ad eum finem notatũ in tabellulâ Horologium Solare circumferebat: vt quandò domo aberat, vel in itinere, ad id eo interprete, & monitore vteretur. Dein in Purpurâ vſui erat Horologium ſpiris mobilibus, ac dentatis aptum; quod noctu, interdiuque paruis machinulis adproperans, aut æquare, aut referre motus citatiſſimos Orbium maximorum, ſonis pulſu malleoli datis, horas narrat; & cùm ſilet etiam temporis momenta mõſtrat digitulo pererrante totam horarum exteriùs deſcriptionem. Quià verò, ex hoc genere, quædam hoc inſuper habent commodi, vt quâ pridiè quis diſpoſuerit horâ, eâ ipsâ excitent; adiuncto vigili opuſculo, quod vbi momen-

mométum deſtinatum adeſt, innumeris pulſibus crepitando, tinniendoque altè à ſomnis auocat; excubitore ſimili, Cardinalis, vt haberet vigiliarum, ſomnique diſcriminata tempora, & vt euigilaret ad matutinas preces, ſpatia diei, ac noctis diuidebat. Si, dùm ſermonis copiam alijs daret, tempus precum aliarum conſequentium appeteret, ſecretum ſibi ab eis rogabat, ac pòſt, vbi abſoluerat, referebat ſe ad inchoatum, ſeu negotium, ſeu colloquium. Quàm piè huic muneri ſupplicandi ſe traderet, ſatis exprimebat in eo non animi modo, ſed fuſa per vultus etiam, & corpus totum veneratio. Nullo vſus adiutore ex his, qui erant ei à Sacris; ſed ſemper ſolus in horariâ precatione: quã Deo nixus genibus, aut ſtans aperto capite immolabat; quemadmodum de S. Franciſco hiſtoriæ referunt: cùm interim ei oculi ardeſcerent, & vocem ſubindè ſuſpiria quoquè interpellarent. Aliquãdò, dùm, ad S. Andreæ in Mõte Quirinali, pijs meditationibus animum exerceret, ipſum adijt Religioſus quidam ex Societate, qui, vti modeſtiâ ſummâ inambulantem inuenerat, interrogauit; nùm Officij penſum intereà perſolueret. Quam interrogationem ipſe demiratus ſubdidit, haùd ità modico cum obſequio tributum illud Deo à ſe reddi conſueuiſſe, de quo & obligatio, & præceptum erat. Narrauit Cardinalis Petrus Aldobrandinus, ab ſe quâdam die, ad Cardinalem Bellarminum fortè cùm veniſſet, repertum in ho-

rarias preces intentum adeò, vt tametſi ab Aulicis in conclaue ipſum admiſſus foret, ille nihilominùs immotus hæſerit, & prorsùs perindè, ac ſi feriatus à ſenſibus ageret cum Deo. Poſteà functus pio negotio, exhibuit officia omnia tanto Hoſpiti, qui, vt erat Princeps apprimè prudens, ſic rem interpretatus eſt, vt iudicauerit omninò dedecere, Deum deſeri, vt homo hominem alloquatur.

Ad hæc verò, quæ cunctis Sacerdotibus ſunt cõmunis obligationis, addidit quotidiè officia duo B. Virginis, ac Defunctorum. Ad horam etiam ſermonis de prandio, quæ animi causâ ſumi ſolet, ipſe nihil aliud, quàm ſecretò ſolus inambulare, & aperto capite recitare eiuſdem Virginis Roſarium, & Coronam alteram Chriſti Seruatoris;vt cũ Deo ac Superis nõ modò mente,animoque plurimùm ageret, ſed ore etiàm aſſiduè loqueretur. Has preces eaſdem iterabat ad interualla negotiorum; ſiue dùm ad Senatum, & Conuentus habendos expectaret aduentantes alios Patres; ſiuè dùm intereſſet Sacris Pontificalibus. In his verò nunquàm deſiderabatur, niſi cùm oblangueſceret. Et tùm omnibus aut ſpectaculum erat,aut exemplum, quâ modeſtiæ, quâ ſilentij laude perpetui, nemoq; ipſum intuebatur, qui per vultum corporis pietatem animi non introſpiceret:ex quo non pauci poſtmodũ, dùm exiret indè,Sanctum eum appellabant.

Attamen apparatus hic tam ſolers, quò ſacrificium labio-

labiorum deuouebat Numini, minùs habuit curæ quàm alter, quò mentis vires diſſipatas in negotia plura, ſtatis horis conuocabat, vt in ſeipſum tranquillè deſcenderet animus, ac Diuina contemplaretur. In Purpurâ perpetuò antè primam lucem, horâ integrâ incumbuit in Sacerdotalis officij matutinas preces: horâ dein alterâ prouolutus in genua meditabatur. Exercitium hoc verò cuiuis Chriſtianorum rebatur tàm neceſſarium, vt interdùm diceret Aulicis ſuis, putare ſe inter Catholicos neminem eſſe, qui ſaltem ei quartam horæ partem quotidiè non impendat. Nec enim exiſtimabat rectè poſſe agi de diſponendo die, niſi Deus primùm imploraretur. At Prælatis eſſe id multò maximè propriũ, præter S. Auguſtini, S. Gregorij, S. Bernardi pronunciata, ipſe quoquè Præfatione Libelli, *De Aſcenſione mentis in Deum*; oſtendit exemplo Moſis, cum adiectâ explanatione S. Gregorij. Quippè is Tabernaculum ingrediebatur ſæpè, vt contemplaretur Arcam Dei; egrediebatur verò, vt ſuſtẽtaret, humero Principis, imbecillitates populorum.

Et hinc ipſe non facilè acquieſcere excuſatis occupationibus, quibus Eccleſiaſtici interdùm, aiunt, præ„pediri ſe, ne otio eo ſancto poſſint frui. Nàm ibidem, ſi „nemo, inquit, cogitur negotijs exteriùs adeò ſe ob„ruere, vt naturæ deſiderijs deindè deſit, ſomnoque, „& cibo vires non recreet; multò magis eſt ſanè cõueniens, tẽpus inuenire, in quo defectioni animæ proſpi-

 ciatur.

ciatur, cuius cibus oratio eſt, & ſomnus contemplatio; quæ apparat dein, atquè diſponit gradus aſcenſionis in corde, vt eniti poſſit eò, vbi videtur Deus Deorum in Sion, in quantùm hic, obumbrante valle lacrymarum, videri poteſt. Hæc non magis præcepit alijs, quàm præſtiterit in ſe: nàm quidquid domi, neceſſarijs, aut ſtudijs, aut occupationibus demi poterat, Scripturæ Sacræ, aut piæ commentationi totũ dabatur. In quo ſenſu epiſtola eius nuncupatoria ad Paulum v. Pontificem, Libro explanationum in Pſalmos Dauid, hæc habet. *Cùm primùm, ex Ordine Religioſo, ad Cardinalatum imperio Sanctæ memoriæ Clementis* VIII. *Pontificis maximi vocatus ſum: mecum ipſe cogitare cœpi, ſtudium contemplationis rerum ſacrarum, ob auctas publicas occupationes non eſſe facilè deſerendum: & cùm ambigerem, quid potiſſimum ex corpore ſanctarum Scripturarum mihi deſumerem, in quo meditando, & explanando laborarem, obtulit ſe liber Pſalmorum, quem Eccleſiaſtici omnes quotidiè legunt, & pauci admodùm intelligunt. Nequè terruit me multitudo eorum qui in pſalmis elucidandis egregiè deſudarunt: quoniàm tanta eſt pſalmorum obſcuritas, vt nullius labor ijs explanandis ſuperuacaneus videri poſſit. Quarè horas illas, quibus à publicâ functione vacabam, & præſertim nocturnæ quietis tempora in meditatione Dauidicorum Hymnorum, non ſine animi voluptate, conſumpſi.* Sic ipſe.

Modus, quo vſus eſt in hâc exercitatione cœleſti, difficilis quidèm explicatu eſt: ſed facili coniecturâ, aſſe-

aſſequi poſſumus, ipſum indè haurire ſolitum planè liquidas voluptates. Quippè cùm ad eam rediret nunquàm ſedatâ ſiti; nèc aliter, atque infantuli, quandò aridi inuolant in papillas Genitricis. Interdùm ſic mergi viſus eſt in eo ſuaui, & tàm dulci otio, vt nèc aſpiceret, nèc audiret, ſi quis, aut accederet, aut loqueretur: poſteàque, veluti ab alto ſomno excitatus, cum tremore apud ſenſus iterùm, atque ad humana redire conſpiciebatur. Et tùm ardebat oculis, ac vultu toto; nimirùm incenſus ab eo igne, qui in meditatione exardeſcit, & incaleſcens ab eâ ſobriâ ebrietate, cuius eſt vires animæ non euertere, ſed, ſicùt caſtrorum aciem, ordinare. Sic deindè plenus Deo ad Aram ibat, vt Patri Æterno, ſimùl cum incruentâ filij victimâ totum immolaret ſe. Sacro eius quotquot interfuêre circà primam lucem, teſtantur ad decorum ità componi, formariq́ue ſolitum, vt modeſtia eius ad pietatem inuitaret omnes: & propterea inter cæteros Iulius Sanſedonius Epiſcopus Craſſetanenſis, ad Cardinalem Bellarminum, cùm erat celebraturus, affirmauit, ſe de induſtriâ iuiſſe frequenter. Ritus etiàm, ceremoniasq́ue Eccleſiæ exprimebat eleganter; & adnitebatur voces ſingulas integrè, & clarè pronuntiare. Antequàm verò ex pane verbis ſacris, & verendis eliceret immolandum Agnum Dei, moram aliquam quieſcebat, vt quod erat facturus interim animus cogitaret. Sacro perſoluto ſupplicabundus, vt gratias

Deo

Deo ageret, hærebat in Sacello ipſo, vel in cubiculo, donec hora negotiorum appeteret. Itáque ferè in hæc exercitia pietatis, manè horæ quatuor à puncto ex quo euigilauerat, ſemper inſumebantur; & ideò fiebat, vt multò antè à Deo illuſtrāte, quàm à Sole radijs contingeretur. Secretum hoc tamen, quod ſumebat in Purpurâ quotidiè, ratus eſſe perminimum, & ſimul reputans nimiùm pulueris, ſordiumque colligi campeſtri hoc opere, & exercitatione humanæ vitæ, vt eum excuteret ſubindè, & vt cauſam animæ ſupremo Iudici meliùs præpararet, prò more habuit, ſicut indicauimus ſæpè; ad vnius menſis ſpatium quotannis abdere ſe in domo Nouitiorũ S. Andreæ. Secedens ergò in loca pura, & innocentia, fruebatur ſedibus ſacris, & tùm maximè, ſi vnquàm aliàs in eius caſta, & nullis contaminata vitijs pectora influebat Deus: animumque repetens à negotijs, & rebus externis, quibus eum commodauerat veriùs, quàm tradiderat, nulli tùm copiam ſui ad ſermones dabat, nè vel tantillum temporis, animæ pijs illis ſtudijs adimeretur. Cõſcius etenim erat, quò magis vacuo, liberoque animo ad Deum accederet, eò ſe poſſe magis Diuinis luminibus, ac donis illuſtrari, atque impleri, quorùm deindè ad nos fructus ſanè vberes profundebat. Nata nempè ex huius tranquillitate ſeceſsûs pia Opuſcula illa, quæ luci tradita, ſunt magnæ iam vtilitati: & quidem non ijs tantummodò, qui in Eccleſiâ Catholicâ pieta-

pietatem colunt; ſed plurimis Hæreticorum etiam, quod ſummoperè admirationem parit. Legitur Liber eius, *De Aſcenſione mentis in Deum* à Proteſtantibus, quos vocant, in Britanniâ totâ, redditus idiomate Regni, ab vno ex Miniſtris adulterantibus verbum Dei; & pariter Libelli cæteri, quos deindè ſcripſit, inter eorum mãnus aſſiduè inueniuntur. Imò Iacobus ipſe Rex Magnæ Britanniæ (quod ab idoneis auctoribus refertur) penès ſe Libellum habuit *De Gemitu Columbæ.*

Quin imò in hoc etiam ſtuduit Cardinalem Bellarminum æmulari, quòd, cùm ſcripſiſſet florẽti ætate Volumina Controuerſiarum, compoſuerit in ſenio Libellos pios. Sic enim ipſe, pòſt Libros operoſiores, edidit Meditationem in Orationem Dominicam. In cuius Præfatione, alloquens Ducem Buckingamum (huius enim nomini Opuſculum dedicauit) de Bellarmino hæc habet. *Nec deeſt Cardinalis Bellarmini exemplum, qui digladiationibus polemicis, & controuerſijs, quibus priorem vitam in ſolidum mancipauerat, non ità pridem valedixit, contentus meditatiunculam aliquam quotannis edere, eamque duobus, aut tribus fabuloſis ornatam miraculis; quâ in re me æmulum non inueniet.* Sic ille: quamquàm hoc poſtremum addere ſanè Regius Auctor non debuiſſet. Finis Cardinalis Bellarmini in his Opuſculis erat tantùm publica vtilitas, & vt ſcriptione ſaltem, dùm voce nequibat,

cordibus

cordibus faces admoueret, excitaretque in eis amorem, & timorem Domini. Et fuit vtiquè voti compos, quia tranſlata exterarum gentium linguis, quò imperitis etiam prodeſſent, habuêre multiplicem editionem, fructu animarum vbique magno. Sed quod mireris, hic eius acceſſus ad Deum erat, non ſolùm animæ gratum ſolatium, ſed corpori quoquè ſalubre laxamentum. Geſtire enim vultu toto, & colore ſanitatis proſperrimo vti videbatur: vt poſſent ſolitudo, atque aſperitates ab eo inter amœna numerari. Quæ dùm ipſe auidè captaret, Deus interim haùd patiebatur eum fraudari virium illâ redintegratione; quam laboribus magnis, & aſſiduis obſeſſus poterat ſectari quotannis, dùm, vt more fit in Aulâ, cæteri in Autumno feriantur.

Eodem vſu pia meditandi, tantam adeptus facultatem erat loquendi cum Superis, ac Deo, vt videri poſſet ſemper orare, & nunquàm deficere. Ex hâc abũdantiâ cordis, oris ſermo prodibat, aut Cœleſtia referens, aut humana miſcens cum Cœleſtibus virtutibus, quarum ſemper effundebat in fine documenta. Sic etiam ſæpè, dùm externa, & humana procuraret, agitaretque; eius interior conuerſatio in Cœlis erat: ex quo & oculos ſuauiter attollebat, cùm leni motu quodam labiorum, quæ ſonum occultare, cætera loqui viderẽtur. Quoties diuitias, pompas, & quicquid ornati mundus habet, obtuebatur; tùm hæc vſurpare cum

Deo:

„ Deo; ſi tàm multa bona, Domine, tribuiſti peregrinis „ habitatoribus terræ, interdùm hoſtibus tuis, & his „ qui maledictis proſcindunt nomen ſanctum tuum; „ amicis quid non dabis, & his qui aſſiduè cum Superis „ cœleſtia ora ſoluunt in laudes tuas? Denique inter res aſpectabiles nulla ei delectatio: & viſus eſt in hâc parte horsùm adduci, vt à ſtudijs ipſis Theologiæ Scholaſticæ, quoniàm ſucco careant liquidæ pietatis, auerteretur ferè nauſeabundus, eiusque Auctorum lectioni ægrè, & niſi admoneret neceſsitas, deuexâ ætate animum denuò commodaret. At Libros, qui de Deo cùm ſapore dulci affectus pij diſſerebant, hos auidiſſimè (vt qui eos appellitaret cibos delectabiles ori ſuo) in ſenio præſertim euoluebat.

Hinc eius naſcebatur aduersùs res ſacras omnes ſimplex illa, & conſtans veneratio. Erant cubicula domi diſpoſita tabellis ſanctiſſimarum picturarum, nè in quotidianâ vitâ traducendâ exemplar ei deeſſet; & vocabat Sanctos, qui eis exprimebantur, cuſtodes, ac defenſores domûs ſuæ, eorumque aſpectu virtutem in ſe, nè deficeret, identidem excitabat. Capuæ Archipræſul dùm erat, Theſaurum ſacrarum Reliquiarum recognouit, curauitque, vt quàm poſſet ſplendidè, ſumptuoſèque cuſtodirentur. Exiſtimabat verò eas longè ſitas in Templis decentiùs, quàm in domibus priuatorum; & hinc haùd eis aggerendis inhians vnquàm fuit, recuſauitque eas etiam, cùm

ſpontè offerebantur, contentus pauculis aliquot incluſis; tùm in Cruce argenteolâ, quàm dependentem à ceruicibus geſtabat antè pectus; tùm in Cruce aliâ maiori è ſimplici ligno, quam in Muſeolo attinebat, colebatque piè magis, quàm magnificè; cùm eſſent in eâ ſacræ particulæ paruis loculamentis diſcretæ: intectæ verò non gemmâ cryſtallinâ; ſed paupere, perſpicuo tamen vitro. Atque hanc, quippè gratiſſimi vſus, & quoniam erat quãtum diuitiarum domi foret, teſtamento legauit Cardinali Aldobrandino, his verbis dignis æternâ recordatione. *Relinquo autem Illuſtriſſimo Domino meo, id quo pretioſius nihil habeo, videlicet Crucem ligneam reliquiis pretioſiſſimis refertam.* Quâdam die familiæ fruſtulum veſtis Sancti Caroli diuiſit veneratione ſummâ, nudatoque in obſequium capite. Dixit ſæpenumerò, mirari ſe, vti magnum Dei famulum, B. Thomam de Villanouâ Valentiæ Archiepiſcopum, ac indolere etiam, quòd ſerò nimis vitam eius præ manibus habuerit, quoniàm illam imitari Capuæ ſtuduiſſet. Vitam quoquè vbi perlegit Ioannis Riberæ item Archiepiſcopi Valentiæ, & Patriarchæ Antiocheni, exarſit deſiderio inueniendi in epiſtolarum reconditorio domi epiſtolam ab eo ad ſe tranſmiſſam, ſtudio eam inter reliquias venerandi.

P. Bernardinum Realinum Religioſum noſtræ Societatis iudicabât virum eximiæ ſanctitatis, & ideò olim,

olim, cùm Præpoſitus circumſpiceret ſedes omnes Prouinciæ Neapolitanæ; Lupijs vbi ad Collegium venit, reperitque eius loci Patres omnes prò foribus ſe aduentantem excepturos, ſtatim prouoluit ſe in genua, vt Realinum amplexaretur. Et dùm is viciſſim eum venerans nixus genibus piè reſiſteret, hæſere ambo aliquandiù mutuis amplexibus impediti; cùm interim cunctis foret ſpectaculo Prouincialis Præpoſiti eą notabilis demiſſio. Poſtquàm verò exceſſit è viuis Realinus, particulas aliquot tunicæ eius apud ſe habuit venerabundus. Ad hæc, vt lucraretur piaculares Pontificum indulgentias, diù multumque laborabat inſiſtens operibus pijs; cùm diceret, pro eis conſequendis nimiùm exigua præſcribi: ſunt enim illæ pretium Sanguinis Chriſti. A Pontifice proptereà difficulter, & tantùm ob cauſas graues, in gratiam aliorum, eas flagitabat. Atque hæc in eo diſpoſitio interior, quantum illa indicare viſa ſunt, quæ ab ipſo exteriùs ad miratione digna vel dicebantur, vel gerebantur. Quamquàm eadem occultare, aut obſcurare ſaltem adnitebatur, nè ad miraculum eminerent dona eximia, quibus à Deo benè cumulatum animum gerebat. Proindè fateri debemus, quæ narrata hactenus, tenuem fuiſſe partem eius ornatûs, quem vtique clàm oculis intrà pectus Deo, quanto cæteris obſcuriùs, tanto ſecuriùs, pulchriusque oſtentabat. Quarè

fuerit hæc eius ſanè vera laus, ipſum virtutibus magnis ſic vitam, quâ publicè, quâ priuatim inſtituiſſe, vt cùm palàm laudares, ſecreta meliùs audirent.

Perfecta eius humilitas.

CAPVT IV.

ROBERTVS Bellarminus, apud nationes omnes tantum nomen, & qui viſus à Purpurâ honoris multum accepiſſe, plus dediſſe; tot proſperis, ſeù famæ, ſeù gloriæ circumfluentibus haùd proptereà ſuperbiâ vllâ afflari: quæ tamen in eo, ſi vnquàm aliàs, quæſita meritis videri potuiſſet. Imò peruenari occaſiones omnes demittendi ſe coràm Deo, hominibusq;, & vileſcere penitùs in oculis ſuis. Attamē nemo erat, qui dùm adſpiceret corpus eius totũ, quippè figurã animi, perquàm modeſtè ſitum; audiret verba oris leniſſima; obſeruaret agi ab eo ad virtutē omnia: non ſimùl iudicaret, imaginem intueri ſe chriſtianæ humilitatis abſolutiſſimam, pulcherrimamque; etiamſi cuperet nimirùm ipſe, eſſe tàm occultus hominibus, quàm erat manifeſtus Superis, ac Deo. Ad hæc declinandi causâ tumorem, ac faſtum omnem, comparabat identidem ſe, tanquàm menſurâ excedente, cùm virtutibus heroicis præcipuorum quorumdam Sanctorum; quo meliùs agnoſceret imperfectum ſuum; imò

imò & cum Sole ipſo nitidiſſimo Diuinarũ perfectionum, vt eâ comparatione, quicquid explenduerat in ſe doctrinæ, atque virtutis coràm hominibus, videretur, vti lumen deficiens, vaneſcere ſtatim, ac extingui. Atque hinc eò demiſſionis euaſit, vt de ſe ſpecioſas opiniones ignoraret ipſe, & crederet ab alijs pariter ignorari.

Tametſi verò hiſtoria hæc ſit huius virtutis ſparſa documentis: nihilominùs his exemplis eius vita ſic abundauit, vt in iuſti capitis molem, quæ ſuperſunt, coaleſcere poſſint. Ante omnia reſpuere adnitebatur ſignificationes excellentiæ omnes, etiàm ſi eſſent ex eo genere, quæ citrà vitium vllum à ſapientibus quoquè admitti ſolent. In voluminibus ſuis, quæ paſſim prælo reſtituebãtur, haùd vnquàm permiſit propriam ſui ipſius imaginem figurari. In epiſtolâ quadam. *Effigiem meam*, inquit, *ante libros quos impreſſi, ſemper equidem depingi vetui; tametſi rogauerint multi: cùm è viuis diſceſſero, poſteri de me ſtatuant, vt velint.*

Lepidè alteri picturam eius deſideranti, ſimilia vſur-
„ pans, atque olim S. Paulinus, reſpondit; ſcire velim
„ imaginem veteris hominis flagites, an noui; poſteàque
„ ſubdidit, illam, quâ vetus homo pingitur, quià exole-
„ uit nimiùm, redactaque ad informem materiam eſt,
„ mitti non decet: ſicut nèc alteram, quæ eſt hominis noui, quià inchoata, needùm abſoluta. Quibus verbis oſtendit ſapienter, vt vultus hominum, ità ſimula-

ſacra vultûs,& imagines imbecilla, & mortalia eſſe; formam verò mentis æternam. Atque hanc expreſſam in ſe, non coloribus, ſed moribus, adhuc eminere magis,dùm has ei humilitatis vmbras adderet, pictor egregius faciebat. In ijſdem quoquè ſcriptis à ſe voluminibus haùd paſſus eſt verſus adiungi, qui laudes continerent,ac famam ſui. Et huius rei venerari teſtem hoc loco mihi liceat VRBANVM VIII. Pōtificem Maximum; à quo, priuſquàm ampliſſimi Senatûs ſuffragatione frequentiſſimâ, & vix aliàs datâ totius Eccleſiæ gubernaculo præficeretur, Bellarminus recuſauit Latinam Oden pulcherrimam,quam in Librum ſuum, *De Aſcenſione mentis in Deum*, ille conſcripſerat: & quæ extat inter lyrica Poëmata, ſcripta ab eo in Purpurâ ſtylo graui, & pereleganti, ſecundiſſimoque genio, typisquè edita, paulò antequàm in Vaticano, non carminum iam, ſed cœleſtium oraculorum Vates coronaretur. Inter codicillos etiam ei, qui ſibi à confeſſionibus, miſſos, nè ad Bibliopolam Coloniēſem verſus alios neſcio quos tranſmitteret imprimendos, vetat primò, quià diceret poſſe homines rem trahere in deteriùs, ſumereque occaſionem indè praui documenti, quaſi ſe conſcio, & ſuaſore illi ederentur; cùm tamen Scriptura Sacra prohibeat, quamdiù vita ſuperat,quæ eſt militia,& pugnæ locus, victoriam celebrari; ex quo dicitur, *Lauda poſt mortem; lauda poſt victoriam.* Dein adiecit cùm certò cognoſceret,veritati conſentanea

ſentanea non eſſe, quæ de ſe carminibus ijs dicerentur, hinc ſibi religionem fore, ſi, vt promulgentur, aſſenſum daret. Sed cùm potuerit encomijs id genus fraudare Libros ſuos; nequiuit amicorum iuxtà, aduerſariorumque cohibere calamos, inhibere ſermones, quin de eo exprimerent opinionem egregiam. Coactus enim ſæpenumerò eſt vel inuitus pati famam, iuſtiſſimasque laudes ſuas. Et interim quàm his ægrè intereſſet, colore vultûs, & verbis etiam ſatis oſtendebat. Epiſtolam ſcribens Palatino Inouuladiſlauiæ. *Mærore plurimo*, inquit, *in tuis literis legi, me pluris æſtimari, quàm quanti ſim apud Deum. Profectò (ſicut S. Franciſcus dixit olim) tantæ magnitudinis eſt homo, quantam coràm Deo, nè ſtatim effluat, retinere poteſt. Diuinam Maieſtatem ores, vt miſereatur mei, & vt miſericordiâ ſuâ, qui opifex eſt rerum admirabilium, ipſe talem efficiat me, qualem eſſe iudicant probi viri multi. Libellus ille meus vltrà meritum gratus omnibus filijs Eccleſiæ fuit: vtinam ſit eis æquè vtilis.*

Enituit in eo inſuper hæc virtus demiſſionis ex vno capite, ex quo in alijs vitij aduerſi cooritur ſæpè ſuſpicio. Amicis enarrare intereà quædam ipſe de ſe audiebatur, ex quibus æſtimari plurimi à viris grauiſsimis cœptus eſt; & aberat faſtidium aurium, quià dicebãtur ab eodem animo, ingenioque, quo geſta erant, & nõ in gloriam referebantur, quæ ità oratione ſimpliciſsimâ, procul à ſpecie omni inanitatis, atque iactãtiæ vtiq; dicerentur.

cerentur. Attamen, etſi viri quique perfectiſſimi, quemadmodùm S. Auguſtinus diſſeruit, quandò promiſcuis proprijs laudibus ſermones ſerunt, minimè iactabundi, & Diuinæ tantùm gloriæ perſtudioſi, nihil tùm à virtute deſciſcunt; imò amore ergà Deum incaleſcunt magis, haùd ſecùs, quàm faces, quæ cùm flammam quatiunt, ab Euro non extinguuntur, ſed accenduntur vehementiùs; Cardinalis Bellarminus, quià ſciret raró quemquam ergà bona ſua ſatis cautum eſſe, frequentiùs, quod alibi indicauimus, ſecretiore cuſtodiâ occultabat theſauros ſuos. Quarè ſi quid ſubindè de ſe narrauit, vel inducebatur, quia fieri ab alijs maiora exiſtimaret; vel certè quià comparatione ſuæ perfectionis interioris duceret ea pretij eſſe quàm minimi. Conſtare hoc affatim poteſt ex parte extremâ ſcripti ab eo Commentarioli de vitâ ſuâ: etenim poſtquàm narraſſet multa, quæ indicant haùd dubiè virtutes magnas, addidit nihilominùs, ſe ab amico, & fratre rogatum, vt ea ſcriberet, de virtutibus proprijs tacuiſſe, quoniàm ignoraret, nùm in ſe vllę veri generis inuenirentur; ſed & vitia ſiluiſſe; quià hæc narrata poſteris profutura non crediderat.

Non hîc prætereo induſtrias velandi ea, de quibus ſplendidè ab alijs, atque magnificè aduerteret iudicari. Quippè eum ad finem ipſe immiſcere ſermonibus iocos, quibus illa contemnerentur: contrà verò, ſi quæ deprehenderat in ſe vitia naturæ, ea non ſupprimere,

ſed

ſed facetijs celebrare, vt non idoneus, aut ægrè ad magna ſufficiens iudicaretur: ideoque vltimis comitijs Pontificum inter Purpuratos nihil commemorabat frequentiùs, quàm ſurditatem ſuam, & valetudines alias, quas affert ſenectus vltima morborum. Dùm erat Romani Collegij Moderator, librum reperit, in quo ij omnes, qui è Societate in Academiâ illâ literis nauârunt operam, ſunt deſcripti, cum additâ cenſurâ ingeniorũ. Legit verò de ſe, quòd dùm ſtuderet illâ ætate, viſus fuerit ingenio P. Franciſcum Suarium anteire. Atqui faſſus eſt hoc ingenuè haùd probabile ſibi nimirũ eſſe poſſe, qui quidem haùd extremi ingenij ſe virũ exiſtimabat, ſed mentis vim cũ exceſſu perſpicacem habere vtiquè negabat; & capacem tantùm ex æquo diſciplinæ cuiuſcumque agnoſcebat. Sic defugiens ſibi aſſentari, reliquit poſteris iudicium: & hi ambos viros indubiè æſtimabũt inter ingenia ſæculi ſui facilè primos, atque adeò inter ſe pares, excepto, quòd, ſi Bellarminus ſit iudex, maior alter exiſtimandus ſit. Ad hæc ſi alij fortè corporis exprobrarent vitia, id pacatè admodùm ferebat. Ex quo aliquandò in Belgio cuiuſdam proteruitas ei obiecit, quod auriculis eſſet grandiuſculis, eoque ab irriſu minimè incitatus nihil aliud, quàm (vt olim S. Gregorius Turonenſis) vſurpare verba illa, *Ipſe fecit nos, non ipſi nos.* Iterùm cùm in ſcripto quodam legeret, haùd ſe futurum Pontificem, quià ſimplex nimiùm videretur,

 ad pa-

ad paginæ marginem adſcripſit, *Felix ſimplicitas, quæ me à tanto onere liberauit.*

De impreſſis à ſe voluminibus temperauit ſemper exaggeratè loqui, inuituſque intererat, ſi ab alijs coràm laudaretur, vt qui contentus ſemper teſtimonio ſolius vtilitatis, quam vnam expetiuerat in illorum editione. Rogatus de re dubiâ, vel de ſenſu Scripturarum, Auctorisvè alterius, pari facilitate, ac luce tantùm, quæ rem exponerent adferebat, oſtendens apud ſe paratam, ſed non plùs nimiò venalem eſſe ſapientiam. Si qui verò explanationi non ſatis acquieſcerent, tùm ipſe confirmare quidèm, quæ ſemel dixerat, ſed poſt digredi ad alia, addereque ſolummodò, quemadmodùm vultis, demùm ità ſit. Vni ex Purpuratis, & quidem amico, monenti ſcripturam eius neſcio quam aliâ formâ mutandam eſſe, vt foret illa melior,(in quo tamen re ipsâ decipiebatur) leniter reſpondit, ſatis benè ità nimirùm habet; nec plura cõgeſſit in eam rem: atque hic modus, quò ſua interim tuebatur. Secùs cùm ſuberat emẽdationi locus; non modò enim in hâc parte S. Auguſtini veſtigia ſequutus, promulgauit libellum retractationum: verùm etiã paratiſſimus fuit, vt ſubiret aliorum arbitria, cenſuramque non detrectaret, quod alibi memorauimus. Ex quo Raphael Epiſcopus Zacinti, in Cardinali Bellarmino, inquit, ea res fuit ſanè admirationi magnæ: cùm obſtupeſcerent cuncti virum excellentem, & qui do-

ctrinâ, atque eruditione ætatis ſuæ cæteros anteiret, opera nihilominùs, quæ ſcriberet iudicio ſubijcere aliorum, ità vt, & cenſuram peteret enixè, & cum voluptate etiàm audiret, ſi quæ minùs digna typis, ac luce iudicarentur; ferè vt auctor in ſcribendo optimus, intereà vel ignoraret præſtātiam ſuā, vel illius ſaltem obliuiſceretur. Vſus verò hâc demiſſione, nòn ergà viros modò primæ ſapientiæ, ſed ergà alios etiàm haùd ità ſupremi ordinis. Venêre in manus meas ipſius literæ ad Balthaſſarum Morettum Antuerpiæ Bibliopolam, in quibus; cùm ab Vrbe tranſmiſiſſet ei librum *De felicitate Sanctorum*, monebat, vt ſuo arbitratu mutaret capita rerum neſcio quæ, & vt librum ederet, modò ipſe dignum luce exiſtimaret. Porrò ſicùt libenter audiuit ſemper eos, qui ſcripta ſua, aut pronunciata corrigerent; ità cùm rogaretur aliorum opera cādidus Iudex æſtimauit rectiſſimè: tametſi hoc defugeret in Theologicis controuerſijs, excuſatâ mole occupationum aſſiduarum, & quòd adderet, haùd vtique defuturos, qui id meliùs potuiſſent præſtare. Atque ab his abſtinuit fortaſſe, non tàm quià metueret, nè cenſura poſtmodùm diſpliceret, quàm quià nollet alijs ab hac parte præſtantior iudicari.

Non diſsimilia factis oſtendens, prorsùs nihil ſibi ad ſummam demiſsionem defuiſſe paſsus eſt: adeò fruebatur occaſione omni, in quâ poſset ſubſeruire alijs, ſed ità, vt à Purpuræ decoro nunquàm declinaret.

 Quin

Quin potiùs eiuſdem Purpuræ lux in eâ circumfuſâ demiſſionis veluti vmbrâ non extingui, ſed eminere pulchriùs videbatur. Cùm in ſummo Tēplo Capuę, vti conſuetudo eſt Eccleſiæ feria v. Cœnæ Domini, pedes duodenis pauperibus proluiſſet, perfunctus pio munere cœpit eoſdem inſtituere primis Chriſtianæ ſapientiæ rudimentis. Ægerrimè verò tulit, ſeniorem ex his, qui ordine primus S Petrum referebat, atque ab anno centeſimo vix aberat, adhuc Apoſtolicum Symbolum ignorare. Quam ob cauſam non modò ſic rem diſpoſuit, vt deinceps Paſtores animarum magis in hâc parte eſſent induſtrij: ſed ipſemet inſtitit teneras aures puerorum, ſicùt ignobiles, & rudes homines publicè imbuere fidei documentis, nullo ex minoribus Sacerdotibus detrectante munus, quod Antiſtes ſupremus occupaſſet. Rogatus vt cauſæ alicui patrocinaretur, tametſi potuiſſet hominem, qui hoc flagitauerat, nullo negotio deuocare ad ſe, aut vnum ſaltem ex Aulicis mittere, qui, quod in rem eſſet, dein renunciaret; nihilominùs ſæpè adire ipſemet voluit. Quo pacto aliquandò, cùm quidam è Laicis Adiutoribus Societatis negotium pertractari cum Pontifice, ipſo interprete, cupiuiſſet, & Cardinalis ſuper eâ re plura intelligere deberet, ſemel & ſæpiùs commeare ad eum ſuâ dignitate, ac Purpurâ inferiùs eſſe non duxit. Similiter quò alius ad ſepta monaſterij ſui, quæ deſeruerat, rediret, contulit ſe ad domicilium, vbi Genera-

lis Procurator Ordinis habitaret, vt rem efficaciùs per-urgeret: proſsùs vt cùm re nullâ libentiùs caritatis officia, quàm cum humilitate coniungere videretur. Commeantes ad ſe externos excipiebat, deducebatque officioſiſſimè, ac minimè patiebatur migrare à ſe obſequij, & honoris artes; imò eas ornabat verbis, & ſummâ comitate. Tùnc verò videbantur hæc ab eo fieri benigniùs, cùm vel de ijs obſequijs, nec æmulatio, nec certamen eſſe poterat, vel virtuti honor exhibendus eſſet. Tametſi enim reueritus eſt quemlibet; venerabatur potiſſimùm eos, quos putaret eſſe Deo cariores; dixitque ſæpiùs, nos haùd debere coaſpernari quemquam, & ſi mendicus ſit, dùm ignoramus nùm ille gratior ſit oculis Dei, quàm ipſi nos ſimus. Hinc aduentantes pauperes ad audientiam ſic excipiebat, vt eis, quò ſecùm vnà conſiderent, interdùm proprijs manibus ſellam aptaret. Deprehenſus eſt quoquè non ſemel ſtans eos audire, dùm præſiderent illi, vel coacti laſſitudine, vel ſenio.

Par ei ratio, cùm iuſtis laudibus eos cohoneſtabat, quorum eminerent merita; fuitque in hoc genere tàm eloquens, vt vnumquemque ad modeſtiæ ſenſum, & colorem inuitaret. Nullis inuitamentis Aſſeclas honorarios ad ſe deducendum, cùm ad Pontificias, & publicas functiones iret, allicere ſolitus eſt vnquam. Imò iuſſit ſæpè Antiſtites, & Prælatos, qui venirent, vt eius egreſſibus adhæreſcerent, & comitarentur honoris

noris causâ, iuſſit, inquam, ab officio quieſcere, quo ipſe vtiquè non indigeret. Nequè tamen elanguit cura eorum, frequentesque eum deduxerunt. Iuxtà hunc modum res eius ceteræ temperabantur; non domi ſupellex perelegans; non tabulæ pictæ ab auctoribus laudatiſſimis; non ſericæ, aut pretioſæ veſtes: & tantũ in muris cubiculorũ periſtromata quædam vulgaris operæ, ac plena vetuſtatis, vt tegerentur illi veriùs, non ornarentur. Super menſam tenax diſciplinæ ſuæ parco, parabilique defungebatur cibo, quem etiam ei patinæ fictiles miniſtrabant. Famuli à pedibus non ſuccincti gladio incedebant: & tàm ipſi, quàm Rhedæ tantùm ad decorum Purpuræ veſtiebantur, cunctaque modeſtum eius animum referebant.

Super omnia voluntas illa vehemens abdicandi ſe Purpurâ, vt ſuo poſſet Ordini reſtitui, redireque ad Socios, interque eos ſedem ſenectuti proſpicere, indicium fuit planè animi eius quàm demiſſiſſimi. Quocircà dictitabat, annos quos magis in tranquillo traduxerat, fuiſſe illos, quibus in Religione olim, & poſtmodùm Capuæ vixit: vbi procul ab Aulæ ſtrepitu in ſubſidium animarum penitùs incubuerat. Huc ſpectat, quòd Mauritius à Sabaudiâ Cardinalis, ac Princeps, in quo par ad familiæ amplitudinem, cum magnanimitate pietas ineſt, atquè Religio, teſtatur ex ore ipſo Cardinalis Bellarmini audiuiſſe ſe, illum optauiſſe ſæpiùs Purpuræ valedicere, atquè in re priuatâ viuere ſuperſtitem

ſtitem dignitati ſuæ. Imò & addidiſſe, futurũm ſibi ſolatio magno, ſi apud Socios ſuos obſcuro habitu, & Aulæ nullo cultu occupare lethi diem potuiſſet; atquè hæc putauit ipſe de Bellarmino vtiquè credi poſſe, qui alienum ſe adeò ab ambitione omni, & cætero mundi faſtu ſemper oſtenderat, & de quo minimè recens huius rei, aut repentè collecta opinio circumferebatur. Et verò moliri abdicationem hanc non diù diſtuliſſet Bellarminus, niſi conſilia amicorum diſertè illi affirmaſſent, fore irritos conatus, & flagitanti præcisè negandum. Congruit his pia ipſius illa cogitatio, quà vnum illud vitæ genus de cunctis expetendum eſſe pronunciabat, in quo poſſit quis de ſalute eſſe ſecurior. Ideò dùm in Societate viueret, quamdiù Præpoſitorum voluntati exequendæ totum impendit ſe; vt aiebat, anceps de ſalute nunquam fuerat: ſecùs vbi præfici gubernationi aliorum debuit, & multò magis cùm ad Purpuram, atquè ad infulas euectus eſt: quoniàm hinc foret rationem de alijs Supremo Iudici redditurus, tametſi ignoraret cuius noxæ reus poſtulari deberet. Et hoc ſanè, ſicut ego interpretor, ignorauerit perpetuò, quià nunquàm ingenium idem ad res diuerſiſſimas parendum, & imperandum habilius fuit.

In hanc ſententiam honeſto viro, ac pio ſciſcitanti, quod hominum genus crederet magis idoneum, quò ſalutem quis conſequeretur, reſpondit ſtatim; niſi me fallit animus, opifices ij ſunt, quorum vita labor eſt,

& qui

& qui diutino quæſtu propulſant famem: nàm hi manè quod incipiunt opus, hoc totum diem procedit, itàque eis laborantibus nihil ad otium ſupereſt; ad virtutem nihil deeſt. Poſſident verò, vt ſe, & familiam alãt, tenuem illam ſiuè copiam, ſiuè inopiam, quam ſudore vultûs ſui ſibi pepererunt: qui titulus poſſeſſionis omnium eſt æquiſſimus, & optimus. Addidit tamèn hoc intelligi, dummodò ipſi ex opere compendium vberius, quàm iuſtius non fecerint. Totum hoc exemplo Chriſti Domini confirmabat, qui vtiquè Sapientia Æterna, cùm in terris ſtatum eligeret, Parentem adoptauit opificem, exercuitque operam fabri, creditus ex eò etiàm *Faber*, *& filius fabri*. Pòſt ipſe nec illud omiſit, quod ſine admiratione audiri non poteſt, ſe dùm per Vrbem itaret in Purpurâ, adſpiceretque eiuſmodi opifices intrà officinas ſuas ingemere laboribus; ità inuidere eorum felicitati, vt optauerit non ſemel cum eorundem humilitate, ſordidâque inopiâ Purpuram commutare. Adeò parùm oculi eius conniuebant circumfuſi nitoribus ſplendidæ iuxtà, atquè ampliſſimæ dignitatis.

Egregia hæc ſint, & ſumma modeſtiæ, atquè demiſſionis indicia, ſi de alio narrentur. At Bellarminus in hâc virtute adhuc ſe magis nobilitauit. Oculis ipſe ſuis vſque eò euiluit, vt interdùm palàm contemptui ſe eſſe non depuderet: quin potiùs animo propterea lætaretur, qui gradus virtutis huius eſt meritò ſupremus.

Opi-

Opinio quædam ipſius typis iàm edita, denunciata Pontifici fuerat veluti noua, nec ab auctoribus optimis defenſa: & erat tamèn è pronunciatis melioribus, in quæ conſpirant Theologi communiter, & Patres. Dùm ità ergo ſecretò reus ageretur; gnarus latentis accuſationis ab amico efficitur, moneturque optimum fore, ſi datâ occaſione, vel quæſitâ etiàm, dùm ſermo ei cum Pontifice, prò causâ ſuâ, imò pro veritate diceret. Verùm ipſe ità diſſerere contrà cum amico cœpit. Si de hâc re colloqui ideò cum Pontifice debeam, vt alius causâ, & exiſtimatione cadat; non poſſum quin abſtineam; cùm Chriſtus Dominus iubeat nos reddere prò malo bonum. Sin vt poſſim exiſtimationem tueri meam, pariter non poſſum quin ſileam: quantùm enim exiſtimationi meæ ſenſero adimi; intelligo tantumdèm addi merito, & voto meo; nec aliter deindè fecit: ſed & cùm Pontifex ſpontè de ſententiâ illâ meminiſſet, ipſe rem nihilominùs plenus conſtantis ſilentij diſſimulauit.

Intererat quâdam die Theologorũ diſputationibus in Templo S. Mariæ Tranſpontinæ, quam vocant, qui locus eſt Ordinis Carmelitarum. Dùm verò inutiliter adſtreperēt illi mutuò, Cardinalis indicauit modeſtè, ab arguente poſſe vtique finem fieri, & eſſe quòd is reſponſioni datæ acquieſceret; quam dumtaxat voce, & clamoribus iàm vrgeret. Ille his auditis, haùd iræ temperauit, & quædam ore confuſo iactans, poſtremò

 dixit

dixit, petiturum ſe precibus à Deo, nunquàm vt euaderet Pontifex. Inurbanitas ea credi vix poteſt quantoperè Purpuratis, qui plurimi obſidebant, diſplicuerit: neminem tamē iniuria audita minùs, quàm ipſum, cui illata fuerat, irritauit: ſiquidem vt is qui præoptabat immeritò, quàm iure contemni, non vultu, non verbis ſe indigna pati ſignificauit, adeò iram ſuperârat. Tùm Cardinalis Millinus Summi Pontificis Vicarius, auctoritate ſuâ ſeuerè hominem increpitum ſilere iuſſit, pœnarum etiàm iniecto metu.

Ex hoc ſtudio demiſſionis, quoties ei ſuaderetur, vt de ijs conqueri haùd abnueret, qui nō prò conditione meritorum intereà ſecùm agerent; id recuſando iterabat frequens, plùs gloriari ſe caritatis vnciolâ vnâ, quàm pondo exiſtimationis propriæ; & nolle cùm iacturâ gratiæ cœleſtis ſibi inter homines opinionem augeri. Sententia hæc verò videtur experienti quotidiè difficilior, & ſanè, niſi Deus ipſe interpres interior accedat, proprius Amor, orator domi noſtræ aſſiduus ſuadebit facilè, quicquid demitur exiſtimationi noſtræ, detrahi famæ communi Religionis ac Dei, cum quo ſæpè, noſtram ſuperbiam ad alia vocabula transferentes, vſurpamus promiſcuè, confundimusque iura, & numen prætendimus ambitioni propriæ: quâre nihil in ſpeciem fallacius, & nulla eſt magis praua religio.

In ijs conſeſſibus Purpuratorum, quibus interueniebat

niebat Cardinalis Bellarminus, inuentus vnus eſt, qui inductus æmulatione laudis eius, cùm ſententiæ dicerentur, nihil ſentire idem, nec eius conſilia velle vnquàm rata eſſe. Eo parùm decoro certamine Patres cæteri offendi videbantur; & Bellarminum ità contemni, nec inuicèm contemnere timiditati adſcribebant: cùm probè ipſi ſcirent, quanto maiore vi ac famâ ſtarent eius oracula, quàm alterius dicta interdùm dubiæ, interdùm certæ, ſed non ità primæ auctoritatis. Proindè ex eis alter quâdam die hortatus eſt Mutium Vitelleſcum, qui tùm prò Italiâ erat Aſſiſtens, vt pro ſuâ ergà Cardinalem Bellarminum familiaritate, ei ſuaderet, modeſtiam aliquantiſper in loco poneret, & verbo tantùm vno (poſſet enim) æmulum, nè plùs, confunderet. P. Mutius inſtitit, vti res poſtulabat. At Cardinalis Bellarminus ore, ac vultu leni ſubridens, digiti vnius primò, & pòſt brachij oſtensâ magnitudine; mihi ſatiùs, inquit, & meliùs videtur tantillum caritatis, quàm menſura quantalibet, & excedens propriæ opinionis, ac famæ. Haùd equidem vllius conditioni nocebo; nec premendo alium me extuliſſe velim. Excepit alter haùd contrà caritatem quidpiam peti, ſed vt tantùm efficeretur, nè ille aduersùs eum perpetuò obliquus, & ſemper diſſentire manifeſtus, detrectare pergeret ipſius dicta. Cardinalis nihilominùs ratus arduum eſſe, æquo examine rem librare, à propoſito minimè receſſit.

Vt verò hanc deliberationem eius Cardinalis alter intellexit, obſtupuit ſanè, & morem ac modum agendi eſſe dixit ſanctum innocentem , & quem Aulici vtiquè hactenùs, nec docuiſſent pariter, nec didiciſſent.

Sed Cardinalis Bellarminus in diſciplinâ Chriſti ſatis didicerat, ſapientiã huius Mundi interitum afferre: ideòque cùm incedere mallet tramite ſublimiori, ſolummodò rumorem expauit, quo ſpargeretur inter Cardinales duos non ſatis conuenire. Rem ergò interpretans caritati parùm conſonam , ac inter ſupremi Ordinis Eccleſiaſticos pernicioſi documenti, facilitate ſubmittendi ſe, colendoque vt parem , qui ſe non ferebat ſuperiorem, conatus eſt, ſi quo modo poſſet, demereri animum eius. Primus ſemper ad obſequia addidit quoquè illud cæteræ comitati, vt dexterâ eum amicè prehenderit aliquoties, oraueritque mutuò ergà ſe animo, & vnâ mente, conſilioque eſſe vellet. Sic nullius inquinando famam , etiàm quòd mireris abſque ſuæ famæ damno, ceſſauit à propriæ gloriæ patrocinio; cuius cæteroqui tantum ſibi iam ſcriptis , factiſque pepererat, vt propiùs faſtidium eius eſſet, quàm deſiderium.

Verùm hæc, non ab ingenio ſuaptè ſpontè lãguido, ac remiſſo prouenire, ſed à naturâ præferuidâ, quã mitigauerat virtus, ſatis ipſe manifeſtauit, cùm animo conſtanti eſſe interdùm oportuit. Religioſo viro neſcio cui titulum Magiſterij à Paulo V. Pontifice impetrauerat,

in præmium defenſæ ab eo Eccleſiaſticę iuriſdictionis. Cardinalis alter, Ordinis eius Patronus, tempore quo haberi Senatus debebat, petijt ab eodem Pontifice gratiæ abolitionem. Quod tùm odoratus Cardinalis Bellarminus ad ſolium Pontificis ſtatim adijt, obtinuitque ſanctâ cum libertate, vt non aliter decerneretur. Magis hanc eius experti conſtantiam alij, qui non perindè ac decuit, dignitatem ipſius revererentur. Etenim cùm in re cæterâ planè iniurias illatas, doloremque animi condonaret, nec reuolueret iras, poſtquàm offenſio languerat: videbatur memoriâ valere tamen ergà iniurias illas, quas non tàm ſibi, quàm Purpuræ contingeret irrogari.

Et verò tùnc apparuit lenitas eius cùm acri, ſed iuſtâ obiurgatione coniũcta; quandò Cœnobita neſcio quis libello edito, non modò acerbiùs iuſto inuectus fuerat in pronuntiata quædam è Cardinalis Bellarmini voluminibus excerpta; ſed etiàm ei opiniones aliquot, quæ nec parentem ipſum habuerant, & ad cenſuras neceſſariò prouocabant, veluti genuinas fide non optimâ ſuppoſuerat. Quâdam die ergò cum vnâ ambo conloquerentur, in Cardinalem Bellarminum, cuius erat de libro illo ferre cenſurã, Religioſus eiuſdem libri Auctor eâ arrogantiâ detonuit; vt Aulici, qui cuncta inaudiuerant, ſuperba eius, & Purpuræ contumelioſa dicta haùd putârint abſque animaduerſione graui debere permitti. Cardinalis quippè moderatio videbatur

batur nimis obnoxia eſſe contemptui. Ventum interim ad codicem eſt, in quo ſententia, vt imponebat alter, è Cardinalis Bellarmini libris accepta refellebatur. Inuenitur locus, & minimè congruit, imò & opponitur ijs, quæ Bellarminus pridē aſſeruerat in eâ voluminis parte, ad quam hominis, ſeù temeritas, ſeù imprudentia prouocabat. Tùm verò Cardinalis, poſtquàm ſpatium animo dèderat, donec omnis ira reſideret; cogitaueram, inquit, Theologiæ parùm te didiciſſe; iàm aduerto Grammaticæ te adhuc minùs ſcire, & Latini ſermonis penitùs rudem eſſe.Ità qui diù moderans paruerat dicto Sapientis; *Ne reſpondeas ſtulto iuxtà ſtultitiam ſuam, nè ei ſimilis videaris:* neceſsè habuit obiurgans parere etiàm dicenti; *Reſponde ſtulto iuxtà ſtultitiam ſuam, nè ſibi ſapiens videatur*; eiuſque demiſſio, & lenitas non à naturâ ſegni viſa eſt, ſed à virtute, ac ſapientiâ naturam poliente, ortu generoſiore nata, & educata demùm eſſe.

Quàm fuerit alienus ab omni cupiditate, & affectu rerum terrenarum.

CAPVT V.

APVD omnes, magnus Bellarminus fuit, & veræ magnitudini eius imprimis illud propè inſtar miraculi addunt, quod opum, ac diuitiarum,

rum cupidine non ſedatâ modo, ſed extinctâ penitùs fuerit: vt de ipſo S. Cypriani dictum poſſit vſurpari; *Nihil appetere, nihil deſiderare de ſæculo poteſt, qui ſæculo maior eſt.* Verſatus annos plures, in eâ diſciplinâ, in quâ hæc aſpernari homines diſcūt, potuit, dùm Antonio Ceruinio conſobrino ſcriberet, principiū epiſtolæ auſpicari à verbis illis; Si annis quadraginta, quibus in Ordine Religioſo vixi, non didiciſſem regere inferioris animæ vires, ac rebus mundi huius facere pretium, quo æſtimarem eas, non quanti veneunt, ſed quanti valent, Epiſcopus eſſem ego ſanè non bonus. Præſertim cùm Epiſcopi ſit in ſemitâ perfectionis, & in aſcenſu animi ad Deum altiùs niti, quàm Religioſi debeant. Hoc imperium in naturæ motus deprauatæ originis vitio tàm exercuit placidè, vt conuictores, & familiares eius propè iudicârint, eum ſenſus, quos vinceret, non habuiſſe: & ad occaſiones tamèn, ſatis oſtendit ſe domitis potiùs, quàm per ingloriam, & ſocordem innocentiam ſopitis naturæ viribus fuiſſe. Ergà affines, & agnatos, ergà quos cæteroqui à naturâ ipsâ per amorem omnes inſtituimur, nemo affici temperantiore animo potuiſſet. Etenim ità pio ſtudio durauerat pectus, vt audiuerit obitum eorum, & non lacrymæ tamèn manauerint; vel iuſto cōploratu ſit mortuos eos proſequutus. Quin imò nec propterea lugubrem domum, vti fit, pullo amictu cū familiâ mœſtâ, vſurpauit vnquā: & idcircò in epiſtolâ

câ-

eâdem ,aiebat, ſi qui finirent ex eis in hâc vitâ mortalitatem, & concurrerent veriſimilia,ex quibus ſperari ſapienter crediqúe poſſet, eos locum inter pios obtinere, tùnc non eſſe quod mœreat: cùm inuideret potiùs,& ab eorum exitu lætaretur, vtpotè quorum iàm æterna ſors in tuto eſſet.

Circumſpectus deindè,& parcus adeò ſubſidia ſuppeditauit ſuis, vt S. Auguſtini morem , ac modum nunquàm declinârit, ſuadentis tantùm erogari, non quibus diteſcant, vel opimentur; ſed quæ efficiant, vt illi minùs egeant. Germanus eius Frater proles numero ſatis multas proprijs redditibus,iuxtà familiæ ſuæ Ordinem & gradum, ægrè, aut vix alebat; erant ex agnatis alij, à quibus haùd aberat inopia. Ipſe nihilominùs eoſdem vti cæteros pauperes oculo pietatis reſpiciens prorsùs adæquè ſubleuabat. Munia nonnunquàm eis impetrauit prò merito eorum tamèn, vt vitæ honeſtæ alimenta eis indè ſuppeterent. Quòs verò illi ordinata caritas primo loco , vti propinquiores , commendabat, ſuſtentauit ex proprio cenſu; ſed parſimoniâ tantâ, vt etiàm duris iudicibus, ac pauidæ conſcientiæ penè ab hâc parte nimiò eſſe parcior videretur. Qui cùm in egenos, & loca pietatis alia diſtribuerit circiter aureorum quinquaginta millia; planè publicus Parens in locum affinium, atque agnatorum adoptaſse ſibi pauperes videatur.

Rogârant enixè multi ore tenùs,ac per epiſtolas, vt ali-

aliquantò liberaliùs eos coleret: quod & ſuasère perpetuò, qui eius in familiâ erant: ſed plenus conſtantis animi, nihil immutauit vnquàm. Inuitarunt ſæpiùs, vt ſe ad patrium ſolum vel ſemel referret, quo ità miſereſceret eum inopiæ ſuorum, eſſentque oculi iudices, quàm cogerentur in anguſtum tenues ipſorum copiæ: & abnuit ſemper, præſertim cùm poſt generalia Comitia Ordinis Cœleſtinorum, vt diximus, Aſſiſio Romam remigraret.

Capuæ cùm vitio aëris afficientis tentaretur aduersâ valetudine, quæ humorem è corpore ſupero extillantem in tibias ad tumores vſquè deriuans, medicorum curam iàm omnem ſuperauerat; Petro Guidotto ſuus OEcônomo viſa tùm opportunitas eſt eũ adhortandi, vt cenſu annuo nõ imminuto, commutaret eum Archiepiſcopatum cùm Eccleſiâ Politianâ; itàq́ue territus loci intemperie, domum ad ſuos remearet. Sed Cardinalis ſatis intellexit vndè conſilium oriretur: ideò reſpondit leniter, ô Petre, *Caro, & ſanguis reuelauit tibi*, hæc tibi argumenta ſuggerunt affines mei: ſedenim ego prò hâc re nihil audio: nam hoc pacto Eccleſias quaſi mercaturâ diſtrahere, non eſt via quâ ad Cœlum itur. Religioſo cuidam viro id molienti, vt Cardinalis Angelum de Aciariâ ſororis filium aureis non ampliùs ducentis iuuaret, quo Archiepiſcopatu Theatino potiretur (Archipræſul enim eius loci ipſum ſibi deſtinauerat ſubrogare, dummodò prò

 red-

redditibus, quos illi cederet, fieret compenſatio, ad quam ſummula ea tantùm deerat) ſubſidium hoc tenue negauit, cùm diceret haùd velle ſe ijs adiumento eſſe, qui de Eccleſijs ità tranſigerent, & tamen merita viri cæteroqui non ignorauit; vtporè quem ſciret innutritum diſciplinâ, & moribus ſuis, ex quo & Epiſcopus Theanenſis poſtmodùm obijt.

Quòd agnatis parcè adeò conſuluerit, non ex naturæ arctæ, contentæque id vitio naſcebatur, vt ſatis oſtédunt in alijs rebus ſumptus eius eximij piarum largitionum, ac ſpontè facta prouentuum imminutio, abſque eo quod à Pontifice vnquàm flagitârit ſibi côditionem augeri. Præcipua ei ad redditus annuos Procidæ Abbatia erat, æſtimatione quidem ad aureos mille, ſed re circiter ad ſeptingentos. Poſtquàm verò ceſſerat iuriſdictionem illius Antiſtiti Neapolitano, inſulamque in Eccleſiæ tribum ſimplicem redegerat, nè detrimenti quicquam incolarum animæ paterentur, ex Pontificio Diplomate, Præfecturam ibi perpetuam fundauit, deciſis ex eâ ſummâ annuè aureis centum, prò noui Præfecti ſalario: tametſi obtulerint ſe, qui onus illud acciperent, contenti annonâ, quæ fortuitò eis obtigiſſet, incerta ob emolumenta, quorum ingens modus indidem ſperabatur. Ad hæc quià Domini eius loci enixè petebant, vt Abbatiam ipſis conferret, facilè inductus eſt perſuaſione, quam habuit de obligatione reſidendi, vt Thomæ

de

de Aualos illam permitteret, à quo cùm penſionibus annuis aureos quingentos viciſſim accepiſſet, ſummam eam totam ſtatim in familiam diſtribuit. Gioiæ Dragomannio Pientino Epiſcopo non copioſo, debenti annuis penſionibus item aureos quingentos, exacto triennio ſummam eam donauit tantùm eo nomine quòd ex inopiâ ægrè eſſet ſoluendo; ſed eâ lege tamẽ, vt Epiſcopo Montis Piloſi item inopi condonaret ipſe penſionem ducentorum. Non diſtulit tamdiù abdicare ſe penſione alterâ, quâ ei aureos pariter ducentos debebat Strongoli Epiſcopus: ſiquidem commiſerans eius egeſtatem, nè quidem admiſit primam ſolutionem.

Quo tempore Capuæ Antiſtes erat, vacauit in Diœceſi Abbatia Sãcti Benedicti, cuius cenſus annuus erãt aurei circiter mille, & poſſidebatur à familiâ Neapolitanâ de Angelis, titulo iuris patronatûs quem appellant. Sed quià Clemens Pontifex intellexit ex priuilegio dumtaxàt, non ex fundatione eam familiæ illi competere, ius aboleuit, & Cardinalem Bellarminum nouum loci Antiſtitem nominauit. Verùm ipſe repentè per literas gratiam recuſare, reſcribereque Pontifici, ad pedes eius beneficium ab ſe referri demiſſiſſimè; tùm quià nollet multiplices aggregare titulos; tùm quià ſatis ſibi videretur eſſe diues; tùm demùm quià argumenta ſuberant iuris patronatûs, & ipſe lites fugeret, quæ non poſſunt ali-

 abſquè

abſquè temporis pretioſi damno. Haùd tamen Pontifex à propoſito receſſit; ſed reſpondit titulos ipſius non tot numero eſſe, vt religio ſit ei veniam denuò fieri tituli alterius; deindè ipſi libenter Eccleſiaſticos redditus ſe nimirùm augere: quòd certò ſciret, cùm vtilitate ſummâ, pauperibus magnâ ex parte eos erogari. Poſtremò, defendendam eſſe Eccleſiæ libertatem, ac vindicandum ius, quod amiſerat: id verò poſſe neminem cõſequi adæquè, atque ipſe, cui iàm ſuberat in Prouinciâ illâ gratia, & auctoritas. Tùm ipſe reſcripto Pontificis minimè auſus refragari, has contrà literas dedit.

„ Exoſculor humillimè ſanctiſſimos pedes Beatitu-
„ dinis tuæ, & gratias plurimas propter humaniſſimam
„ epiſtolam, quam ad me ſcripſiſti, ago. Quoniã hęc tibi
„ mens eſt, BEATISSIME PATER, vt defendam libertatẽ
„ Abbatiæ S. Benedicti, obediam, & quidem nõ *ex triſtitiâ, aut neceſſitate, ſed corde magno, & animo voluntario*, vt
„ Sacra Scriptura loquitur. Siquidem nihil tàm vehemẽ-
„ ter velim, quàm vt voluntas mea tuæ ſit obſequens vo-
„ luntati; ſcio etenim eandem eſſe, atque volũtatem Dei,
„ cuius Vicaria poteſtas tibi meritò incumbit. Nõ addo
„ plura, ſed refero me ad exoſculandos tibi ſanctiſſimos
„ pedes; meque, & hanc Eccleſiam meam commendo
„ gratiæ, ac beneuolẽtiæ Sanctitatis tuæ. Familia de Angelis prouocauit ſtatim ad Miniſtros Regios, ſed irritis conatibus, adeò illi Cardinalis Bellarmini ſanctimoniam,

moniam, & integritatem reuerebantur. Quarè vl-trò ei permiſêre, vt Abbatiæ poſſeſſionem adiret, ip-ſamque in libertatem priſtinam aſſereret. Romam cũ remigrauit, inſtitit apud Paulum V. Pontificem, vt an-nueret cupienti Abbatiâ eâdem ſe abdicare, quò ex eâ Capuæ Collegium Societatis IESV fundaretur. Tam-etſi verò id non conceſſum; Collegium nihilominùs aliâ inchoatum eſt viâ, fuitque Bellarminus auctor, vt Templum, atque Ædes Abbatis Societatis vſibus de-derentur, transferrenturque ſacra loci eius munia in Ædem maximam Ciuitatis.

Deniquè quandò, vt obtemperaret, ac ſubſeruiret Pontifici, priuauit ſe Capuæ Sacerdotio, cuius erat prouentus annuè aureorum ad nouem ampliùs millia, cogitationem de diſponendo ſibi cenſu eidem Pon-tifici relinquens, breui ex duodecim millibus au-reorum (quæ erat integra ratio prouentuum ipſius) redactus eſt, inuoluendo ſimul Cardinalium pauperũ ſalaria, ad ſummam dimidio minorem. Et hanc iocò indicauit quâdam die Cardinali cuidam primario, qui cùm proprios redditus numeraſſet ad aureorum ſexa-ginta millia, tùm ipſe lepidè, ſi ita eſt, inquit, hi magni redditus nihilò ſuperant meos. Quod iactauit ludens in quartâ Vocalium; quæ inter notas numerorum, ſoli-tariè ſi accipiatur, nihilum numeri eſt: adiecta verò ad ſex millia, qui erat cenſus Bellarmini, efficit vt ex-currat numerus ad ſexaginta millia; & in hoc ſenſu,

aiebat,

aiebat, ab eo ſe tantùm nihilo ſuperari, ſimulquè (vt inter ludicra etiàm pulchrè intereà ſeritūr verùm) oſtendebat diuitias, & quæ effusè affluant opes, planè duci à ſe rem nihili, interque inania recenſeri.

Conſtans hæc, & perpetua voluntas ſpoliandi ſe redditibus proprijs, præſertim in Cardinali haùd ità copioſo, fuit Clementi VIII. primùm, dein & Paulo V. Pontificibus admirationi magnæ. Ille propterea gloriatus eſt aliquandò, ſe Cardinalem vnum ex eorum numero feciſſe, quos Aula raros videt. Hic verò Bellarmino ipſemet dixit aliquandò, longè aliter eum eſſe comparatū, atquè cæteri ſint, qui (vt ingenia cuiquè ſunt ad ſuam exaggerandā inopiā nimiò plùs facūda) hoc flagitarent perpetuò, vt opes eis augerentur: cùm ipſe contrà id vnicè peteret, vt quas haberet, earum participes alios redderet. Hæc verò dicenti reſpondit Bellarminus; ſe nobilem pauperem natum; vixiſſe pauperem Religioſum; emori Cardinalem pauperem velle. Ipſe tamen multò plùs admirationis ſumebat, cùm Eccleſiaſticos viros interdùm aliquos adſpiceret diuitias perpetuò, & nunquàm ad ſatietatem aggerere, perindè atque viuendum alibi, aut hîc moriendum tandèm non eſſet. Reputabat enim ſecum aurum, & opes, propitius an iratus Deus neget, vel conferat, plerumque ignorari: & pecuniam, vt bonis apta eſt, ità paratam eſſe peccantibus. Ideò conſcientiæ conſultiùs credebat, paruo viuere, & virtuti magnæ, quàm

opi-

opibus in animâ locum aperire.

Poteſt etiàm aliundè cognoſci animus eius ab vtilitate propriâ quàm alienum. Imperauerat ſibi donaria Principum nulla, nullas penſiones admittere; neque à propoſito defecit vnquàm. Cardinalis S.Ceciliæ Bellarmino, quandò vocatus eſt ad Purpuram, obtulit aureorum aliquot millia, eaque recuſauit ipſe, ſicùt & ſæpè ab alijs. Et quià id à ſe more fieret, idcircò Duci Nicolao Chriſtophoro Radziuilio, qui pelles ei neſcio quas magni pretij tranſmiſerat, in hunc modum reſcripſit. „Quamquàm agnoſco in his muneribus propenſionē animi tui ergà me, & gratias vti par „eſt ago: tamen iàm pridèm deliberatum habui, vacuas „habere à muneribus manus, quod cauſæ fuit, vt hactenùs pretioſa dona Principum virorum recuſauerim, ac „remiſerim etiàm. Inſtitutum hoc meum continuare „tecum hâc vice nolui; nè tàm procul reuehi pretioſæ „pelles, quas miſiſti, debeant; ſed obnixè rogo, vt ſi me „amas, nihil quicquàm ad me muneris loco mittas deinceps; niſi velis ea, quæ miſeris diſtrahi ſtatim, & pauperibus pretia numerari: quod de pellibus, quas accepi, „ego iàm delibero. Ad hæc Maria Chriſtierna, & Leonora Auſtriacæ, fœminæ Principes, & Archiduces, quæ Halæ vitam caſtiſſimè, ſanctiſſimèque in clauſtris agebant, quoniā, cùm Cardinali Bellarmino per epiſtolas de his, quæ ad animā ſæpè conferēdo, amabilē iuxtà, venerabilēque compererant, miſère ad ipſum dono crucē

auro

auro diſtinctam, & gemmis ſui monumentum obſequij, ac pietatis ergà ipſum. Cardinalis, nè deteriùs interpretantibus durus videretur, munus repudiare non eſt auſus: ſed nobiliſſimis fœminis gratias referens Crucem diuendidit, ac pretium impertiuit pauperibus.

Religioſus quidam ei picturam obtulit S. Franciſci, cuius ipſum vtiquè perſtudioſum eſſe cognouerat. Mirè opus placuit; ſoluturum ergò ſe mercedem ait, quæ opifici deberetur. At cùm affirmaret ille, pictoris donum eſſe, non admiſit, priuſquâm peteret à Pontifice veniam; nè contrà Diploma de Muneribus fortè delinqueret. Tranſmiſerat Religioſus alter arcam Murani vitris onuſtam: ſed hanc ipſe intrà domum nè quidem importari paſſus eſt, & Vicario Generali Ordinis illius integrum, vt de eâ pro arbitrio diſponeret, reliquit. Fuit verò propoſiti in hâc parte tàm retinens, vt ab Religioſo item alio ciſtellulam vimineam tuberibus (genus hoc eſt rei cibariæ) tâtùm à medio plenã haùd accipere voluerit; niſi cùm nomine totius Cœnobij eam Generalis Præſes Ordinis redonauit.

Sed, quod magis miremur, nè quidem à laicis, & liberis hominibus grati animi parua quædam indicia admittere, niſi ægrè, ſolitus erat. Bibliopolas Tranſalpinos (cùm hi ſæpè ei donarent volumina, quæ imprimerent, & numerum aliquem etiàm opuſculorum eius) ratus nimiò eſſe liberaliores monuit, exemplar

vnum alterúmve, nè plùs, mitterent, etiàm quandò ergà ſe munifici eſſe vellent. Adhuc minùs gratè accidere ei videbatur, ſi quæ ad agnatos munera propter ſe intereà mitterentur. Idcircò Epiſcopo cuidam, quod Fratrem ſuum germanum donarijs ſæpè colere cõſueuiſſet, ſcripſit non id vtiquè ad virtutem facere, cùm ea ità frequentaret is, cui nec ſuberat copia, & imminebat neceſſitas, benignitatem exercendi ergà pauperes propriæ Diœceſis. Denique verſabat animo aſſiduè, (ſicùt perhibuit de ſe, commendabatque etiàm ſuis) illud Iſaiæ; *Beatus qui excutit manus ab omni munere.*

Hæc eius vitæ ratio ab aliquibus ſimplicitas, aut prudentia deficiens iudicabatur; ſed rei pſâ indè oriebatur, quod ei videretur indigna res Antiſtite, ac Sacerdote Magno, quem ex Dei deſtinatione pio quæſtu dùmtaxat animarum allici par eſſet, ſi ad hoc, vt pecuniæ cumulet vim, eniti velit: adducebaturque tantùm, vt cùm Præfecto rationum accepti, datique conſuleret Ephemerides, quòd menſe, & anno quolibet circumacto, cuperet ſtatim, ſi quid ſuperfuiſſet, id in pauperes erogari. Sæpiùs Præfectus rationum ſuaſor erat, optimum fore, ſi pecuniæ pars aliqua ſeponeretur ad fortuitas, & quæ ſæpè ingruunt neceſſitates: ſed ipſe tùnc nihil aliud, quàm dicere, *Sunt cogitationes de craſtino.* Omitte cætera, & eleëmoſinas largè diſtribue. Attamen haùd propterea rei ſuæ procurationem negligi, aut domum per incuriam prolabi pa-

tiebatur : ſiquidem Præfectis iniungebat, ſeriò nauarent operam, atquè induſtriam omnem, vt arua tempeſtiuè colerentur, eorumque cuſtodes atque agricolę patrocinium haberent paratum aduersùs Miniſtros Regiæ poteſtatis; ſubleuarentur cùm indigerent; domi etiàm eis exhiberentur exempla cæteræ humanitatis : cùm iteraret ſæpè verba illa, *Colligite fragmenta, nè pereant* : vt ex his etiàm, quæ ſuperant, inopes ſuſtentarentur.

Hinc nata opinio tàm glorioſa de ipſius integritate; vt Scriba quidam publicus Sanctæ Inquiſitionis, non potuerit acquieſcere ſententiæ capitali, quâ damnabatur, in pœnam admiſſi criminis in eo Tribunali; priuſquàm, ſicut optauerat, cùm Cardinali Bellarmino conloqueretur, & ab eo intelligeret, æquam Iudicum ſententiam, ſeque eſſe capitis reum. Nàm id ei Cardinalis affirmauit conſcius cauſæ, & formati Commentarij de eius damnatione. Et tùm ille dicto viri integerrimi perſuaſus, tulit æquanimiter, quam nō poterat effugere neceſſitatem. Nequè promanauit aliundè libertas illa conſiliorum, quæ ad occaſiones ità multas, & varias Pontificibus, & Principibus magnis conſtanter iuxtà, prudenterque ſuggeſſit. Quæ virtus ipſius, præſertim quòd conſilij ſemper optimi auctor eſſe ſoleret, à Gregorio xv. Pontifice adgnita, cum inter initia Principatûs induxit, vt penès ſe Cardinalem Bellarminum proprijs ædibus attinere voluerit.

luerit. Quod vt ei denunciaretur, Cardinalis Ludouiſius Clementi Merlino Sacræ Romanæ Rotæ Auditori iniunxit, Cardinalem Bellarminum conueniret, referretque, deſtinatum ſe habere, glorioſum reddere ipſo aſſidente Principatum Patrui ſui; adhęc ſuæ meditationis futurum, vt nouis redditibus eius breuem cenſum augeret. Audito eo nuncio ipſe ancipiti deliberatione aliquantulùm hæſit, ac reſpondit poſtmodùm; ſibi quidem benè eſſe domi ſuæ, ſed Summo Pontifici ſe nihilominùs obtemperaturum. Ingreſſus Vaticanas Ædes hoc imperauit ſibi, vt Pontifici deſeruiret dumtaxat in ijs, quæ nominatim iuberet ad commune bonũ: & reliqua ignoraret, quæ temporariæ ſunt procurationis. Et quià nouerat Cardinalem Ludouiſiũ procliuem animi eſſe, vt quibus poſſet modis, auctam vellet exiſtimationem, & gloriam eius Sanctę Sedis, currenti addere ſtimulos conatus eſt, cœpitque eum adhortari, vt nouum Diploma de Pontificum electione condi curaret; ſicuti feliciter iuxtà, ſapienterque eius operâ factum eſt. Inſtitit verò prò hâc re adeò vehemens, vt idem Cardinalis Ludouiſius Cardinali Borromęo ſcribens de cauſis, quibus in eam deliberationem inductus potiſſimùm fuerat, fermè his vtatur verbis; Et peculiariter Cardinali Bellarmino, cui quies iàm inter pios eſt, pollicitus ego fueram, atquè iteratis verbis addixeram fidem meam, fore nimirùm, vt potentiã omnem, & in-

„ „ duſtriam adhiberem, quo id efficeretur, dummodò
„ Summus Pontifex, Deo propitio & iuuante, compos
„ vitæ eſſet diuturnioris. Sic ipſe. Cardinalis Bellarminus verò, quæ deliberauerat, re deindè præſtitit, gratiâ Principatûs, aut ſobriè, aut nunquàm vſus. Et hæc eius modeſtiâ tàm excellens à Gregorio XV. Pontifice, tùnc Nicolao Bellarmino fratris filio meruit veriùs, quàm poſtulauit titulum Abbatiæ S. Benedicti, quam ipſe poſſidebat. Cùm verò non defuerint, qui ad moleſtiam vſquè ipſum incitarent (ignari, & animi, & moris eius) vt Nicolao eidem à Pontifice beneficia, & munia honoris diuerſa flagitaret: ab his perſuaſionibus tanquàm à ſcopulis Sirenarum declinauit ſemper; dedecere ratus, ſi hæc agere inſiſteret. Tantùm igitur eò adſpirabat, vt Pontifici ſimul ſubſeruiret, ac ſimul ipſe in tranquillo eſſet. Fuit verò planè voti compos, & breui occaſionem habuit, viuendi penè in ſeceſſu, quod non licuerat pridem. Poſtquàm enim ad Ædes Quirinales cùm Aulâ Pontifex migrauit, quià in Vaticano ſolitudo eſſet, non facile eſt referre ex ſilentio illo quantum hauriret commodi cor eius. Perpetuò tunc agere cùm Deo potuit, & re nullâ in partes alias differri: quod & affirmauit familiaribus, & Cardi-
„ nalis Creſcentius teſtatus eſt, inquiens; Cum Deo ar-
„ ctiſſimè coniungebatur, ſicuti nôrunt omnes. Præter
„ Horas Sacerdotalis Officij, quas momentis ſuis diſtin-
„ ctè legit plerumque in genua prouolutus; & præ-

ter

„ ter horaria ſpatia, quæ piæ commentationi rerum cœ-
„ leſtium tribuebat, perindè atque ſi Religioſus vir ali-
„ quis priuatus foret; interualla negotiorum omnia aut
„ ſtudio, aut precationi dabat. Et memini ad hanc rem,
„ cùm eum rogarem poſtremis æſtiuis menſibus, in
„ quibus ab aëre inſalubri in Vaticano periculum eſt,
„ vt ſecederet indè; reſpondiſſe illicò; ſumere ſe à ſoli-
„ tudine illâ voluptatem magnam; propterea quòd,
„ cùm eò loci tùm aduentarent pauci, animus eius po-
„ terat verſari aſſiduè cùm Superis, ac Deo.

Quàm illuſtri cum opinione virtutis, & ſanctitatis vixerit.

CAPVT VI.

VITÆ ratio coniũctâ cum virtute perpetuò, quâ Cardinalis Bellarminus paulatim laudes ſingulas promerendò, promeruit vniuerſas, eam de illo apud omnes excitauit opinionem, vt MAPHÆVS BARBERINVS Cardinalis, in cuius animo, atquè ore tantùm ſapientiæ inerat, quantum Auguſtis Patribus requiri viſum eſt, vt in Terris Vicarius Dei ad oracula conſtitueretur; dixerit de Bellarmino, dùm viueret, ac ſpiraret adhuc; eum ab ſe adæquè æſtimari ſanctum; atquè alios, qui defuncti iam rebus humanis; & quos cum adiunctâ etiam antiquitatis commẽ-

datione veneramur. Scripto etiàm eum Sácto Carolo Borromęo virtute geminum fecit. Siquidem in purpurâ, vt is, cui ingenium ſuberat, *& mens ſublimior, atque os magna ſonaturum*, ex quo & ei meritò des Poëtæ nomen, ac *nominis huius honorem*, inter Lyrica Poëmata plura, titulum vni adſcripſit; *In Opus Illuſtriſsimi Cardinalis Bellarmini de Aſcenſione mentis in Deum*. Et poſtquàm de hoc argumento feliciſſimè multa, tandem de Cardinali Bellarmino hæc in fine habet.

Hùc pura mentis lumina dirige;
Scalam recludit rebus in omnibus,
Pulſis Belarminus tenebris,
Quæ gradibus ſuper aſtra tendit.
Dux ille per vestigia Caroli;
Cui vota fundit, quem decus Inſubrum
Miratur Orbis, quem Senatus
Roma ſacrum veneratur aſtrum.

Cardinalis à Monte ſupremus in ordine Purpuratorum, etiàm ipſe de Bellarmino palàm ſermonem eſſe perindè, atque de viro ſancto teſtatus eſt. Quod vocabulũ à ſe vſurpari tàm propriè, ac tàm ſeuerè ait, quàm aliàs vnquàm poſſit. Cardinalis Bandinus adſimilem ducit ſanctis Eccleſiæ Doctoribus, tùm in doctrinâ; tùm in moribus: ſemper verò viſum exemplar excogitatiſſimum Præſulum Eccleſiaſticorum, & ſacri Collegij ſingulare lumen. Cardinalis Rochefocaut

cum

cùm in viro tàm eximio virtutes agnouiſſet omnes, quæ dignæ amplitudinis gradu, in quo viuebat; tres peculiariter diſtinguere ſolitus erat, tanquàm eas, quæ radio quodam nitidiore clareſcerent. Hæ fuerunt; ſumma humilitas, cùm doctrinâ item ſummâ; rara in ſemet ſeueritas, cùm ſuauitate morum, quam ab ingenio cùm haberet, efficiebat vt deberet adhuc magis à virtute commendari; demùm animus ad finem vſque, vitæ Religioſæ amantiſſimus. Conſonat his Cardinalis Creſcentij vox, quâ ipſum paſſim venerationi habitum, ceù virum ſanctum, teſtificatus eſt; adiecitque interfuiſſe ſubindè ſe, cùm viri magnæ conditionis ei vultum demitterent prætereunti, & dùm ipſe non aduerteret, veſtes quoquè eius exoſculando tacitè venerarentur. Cardinalis Verallus, ipſum ait in Aulâ vixiſſe, vti propoſitū exemplar, vndè ſumere virtutem Purpurati Patres poſſent, & Eccleſiaſtici omnes. Scipio Cardinalis Sanctæ Suſannæ ait, excedente Cardinali Bellarmino, ijs qui in Purpurâ ſunt, coronam decidiſſe, & Ordinem ampliſſimū ſibi viſum eſſe neſciò quomodò ſublimiorem, auguſtioremque, dùm lumen illud in eo confulgeret, quod effuſum cuncti adeò indoluere. Cardinalis Valerius, cùm fateatur ſe diuerſis temporibus nouiſſe viros doctrinâ, probitate, & morum cęterâ laude primos, ſublatos etiàm è viuis nō abſque opinione ſanctitatis; addit in his omnibus ſimul, & ſub vnâ cōprehenſione laudatis, háud ſe repetiſſe tot

vir-

virtutes, quot repererat gradu quodam excellenti in vno Cardinali Bellarmino. Cardinalis Cremonenſis exiſtimat eum præſtantiâ, tùm doctrinæ, tùm vitæ integerrimæ comparari poſſe laudatiſſimis, qui in hâc duplici laude anteactis ſæculis maximè excelluerunt. Cardinalis Alexander Vrſinus in Bellarmino demiratus eſt caſtitatem, etiàm in florenti æuo, perindè atque in Ioſepho; paupertatem inter diuitias, ſicùt in Dauide Rege; liberalitatem in egeſtate, quemadmodùm in Tobiâ; ſolitudinem interiorem inter obſtrepentes Aulæ occupationes, tanquàm in Gregorio Magno; humilem opinionem de ſe in confertâ multitudine virtutum excellentiſſimarum, adæquè atque in Paulo; deniquè liberam vocem ergà Dominantes, ſicùt in Ioanne Baptiſtâ. Cardinalis à Sabaudiâ Bellarminum in honoribus à ſe habitum, ait, propter doctrinæ miraculum, quâ Hæreticos Religionis propugnator afflixit, atque adeò propter integritatis ſanctimoniæque eximiam eius laudem. Refert verò, Sabaudiæ Ducem Parentem ſuum crebris ſermonibus, tùm priuatis, tùm publicis loqui ſolitum de eo, tanquàm de viro ſancto, & qui ſit de Religione communi perquàm optimè meritus. Demùm poſt alia, quæ in hunc ſenſum addidit multa; nec illud ſilet, expetiuiſſe ſe reliquiarum loco particulam aliquam rerum illarum, quas vſu ipſe ſuo, vt erat conſtans multorum opinio, reddidiſſet venerabiles; obtinuiſſe verò linteam veſtem vnam, ex his

quæ

quæ ſunt Pontificum geſtamina, cùm amiculo ex purpurâ; atquè ea cuſtodire iàm veneratione quàm maximâ. Hæc è numero Purpuratorũ aliqui; præter multa quæ intexere debui locis alijs. Longum verò eſſet, ſi ad exteros Præſules, & Magnates dịgredi vellem, quó ſimilem ab eis opinionem de Bellarmino, famamq́ue colligerem. A Lotharingiæ Duce in Gallijs, & in Germaniâ inprimis ab vtroque Bauariæ Duce, Gulielmo Parente, & Maximiliano Filio, ſummis beneuolentiæ, & venerationis indicijs amicas per epiſtolas ſalutabatur. Atquè vt de Philippo III. Rege Hiſpaniarum hoc loco ſileam, cuius ergà ipſum alibi ſtudia, obſeruantiamq́ue denarrauimus; Sigiſmundus Poloniæ Rex illuſtre expreſſit de eius ſanctitate iudicium, literis permultis ad eum datis, quæ quidem extant adhùc. Henricus IV. Galliarum Rex, ſicut eum pietate adhùc quàm doctrinâ maiorem iudicauit; ità Patres Purpuratos Regni ſui admonuit, fore ſibi percarum; ſi, quoniam Romæ Comitia inſtarent ab exceſſu Clementis VIII. ſuffragijs in Bellarmini electionem conſpirarent. Demùm Rodulphus, Matthias, Ferdinandus, inuicti Cæſares, cum Familiâ Auſtriacâ vniuersâ, venerati in eo ſemper virtutes illas magnas, quibus acceſſiſſe ad opinionem Sanctitatis maturus planè videbatur. Omnes prætereà cuiuſuis conditionis homines, qui è Septentrionis oris tranſcenderent Alpes, poſtquàm Romam eſſent ingreſſi; quaſi Vrbs quòd eis oſtende-

ret maius non haberet, de Bellarmino percontari ſtatim; adeſſe, ſi quà ille tranſiret; interque omnes Bellarminus, vultusque, & os eius ſpectaculo erant de cuius excedente humanam fidem, tùm ſapientiâ, tùm ſanctimoniâ in Prouincijs audiuerant. Fuère è Tranſalpinis viri quoque primarij, qui Româ formatum documentum manu publici Scribæ, & ſigno eius munitum referre voluerunt; quò, in Patriam cùm remigraſſent, teſtari indubiè poſſent, ab ſe Bellarminum eſſe viſum; qui longè maximum eis fuerat ſpectaculum, auerteratque in ſe à cæteris ipſorum ora, & celebritatis tantæ Vrbis fructum propè ſolus tulerat. Vt redeam ad Antiſtites alios, Andreas Lipski Epiſcopus Luceorienſis, & Regni Poloniæ Cancellarius, in Epiſtolâ, quam ſcribit P. Georgio Tiskeuicio Prouinciali Præpoſito Societatis IESV; *Cardinalis Bellarmini ſanctimoniam,* inquit, *apparere poſt mortem lætor magis, quàm miror: de quo dum viueret, ſæpè tacitus mecum cogitaui, tanto aſſertori, & vindici orthodoxæ veritatis, tanto vitæ cœleſtis, & perfectæ Magiſtro, ac Duci, procul dubio conſtitutam in Cœlo fuiſſe clariſſimam mercedem, atque palmam. Placuit Domino, vt quem hoſtes Fidei, quam ſummâ cum dignitate defendiſſet, famoſis criminationibus in vitam illius coniectis prædamnârant, eius integritas, & innocentia aſtrueretur miraculorum teſtimonijs; ſcriptiſque cenſuræ ſacratioris accederet auctoritas, quò magis* ἀναπολόγητοι *remanerent in diem magnum.* Epiſcopus Sanſedonius

donius narrat id ſibi fuiſſe moris, cùm ad Cardinalem Bellarminum iret, vt ſuam ipſe in viâ adornaret animam, præpararet obſequia, geſtus, pietatem, voces etiàm diſponeret, perindè atque cùm vero ſancto congredi, & conloqui deberet. Addit etiàm, ſe audiuiſſe Cardinalem Eſtenſem, cùm diceret, Cardinalem Bellarminum à ſe vti verè ſanctũ adorari. Quem ſenſum eundem voluit ipſe Cardinalis Eſtenſis ſcripturâ exprimere his fermè vſus verbis; Cardinalem Bel-
„ larminum ſuſpexi equidem perpetuò, atque exiſti-
„ maui exemplar eſſe rarum, & eximium ſæculi ſui.
„ Cùm aderat mihi occaſio, vt ipſum intuerer, experie-
„ bat vrgeri me præſentiâ eius, non vt cùm obſequio, ſi-
„ cút ad Cardinales reliquos, ſed vt cùm adoratione tan-
„ quàm ad virum planè ſanctum adirem. Subdit idem, poſt obitum eius dono accepiſſe ſe paruulam Crucem argenteolam, & Villoſam manicam, ambas ex vtenſilibus eius, eaque duo monumenta ſe, pias veluti reliquias, venerari. Andreas Wiſſe Prior Britanniæ, qui à pueris Louanij nôrat Cardinalem Bellarminum, refert ſe ab eius conſuetudine, quem pari obſequio, ac ſenſu coleret, eam vim expertum eſſe, vt in animâ ſibi pietatem accenderet, & poſt obitum ſola eius recordatio inijceret ſimilem flammam: nulli verò ſe hominũ generi tàm inuidere ſolitum, quàm domeſticis eius; ſemperque exiſtimaſſe fortunatos illos, qui quidem admitterentur in eam domum, viderent, conloquerentur, ac

 adeſ-

adeſſent perpetuò, inter quos præoptaſſet coquus eſſe, quàm alibi Purpuratus; cùm ſanctimoniam afflarent, quæ in eo cuncta aſpiciebantur. Sed nè inter has teſtificationes tàm honorificas ſoli ſileant Socij eius, P. Mutij Vitelleſci iudicium addo, qui caput cæterorum eſt; vt ideò ex vno eius ore propè omnes loqui videri debeant. Arbitratur is Cardinalem Bellarminum intrà limites æui ſui neminem habuiſſe maiorem ſe, aut ſi velis etiàm parem. Quod credi poterit, ſi aggerere in vnum libeat capita laudum maximarum, eximiasq́ue dotes nobilitatis, doctrinæ, morum, & eius excellentiæ, quam in infularum ac Purpuræ honoribus, ſemper citrà virtutis damnum præſetulit; vt nunquàm probitas viſa ſit inter amplitudines extitiſſe tàm innocens.

Cùm hoc iudicio ampliſſimorum virorum conſonat optimè opinio familiarium eius, qui ab eo admiranda fieri ſæpè deprehenderunt. Ludouicus Aragatius iuratus affirmat, cùm inter Cardinalis Bellarmini Aulicos eſſet, æſtiuo anni tempore correptum ſe calidâ febri, eâq́ue periculoſâ, & vehementi fuiſſe: cùm verò cubiculo perangusto, æſtusq́ue nimij fortè habitaret, medicorum cõſilio in locum migraſſe laxiorem. Hoc intereà dùm agitur, improuiſâ & grandi acceſſione febrium correptus, vt linqui animo videretur, à Cardinali Bellarmino inuiſitur; & is frontem ei ſigno ſalutis muniens, vſurpauit verba illa; *Super ægros manus*

impo-

imponent, & benè habebunt. Res mira: momentò eximitur ægritudine omni; & Medicus cùm adfuit, tentauitque venas, reperit febrim omnem extinctam eſſe.

Similem vim expertus P. Stephanus de Bubalis è Societate noſtrâ. Eum grauis Autumnus ſic affecerat, vt iàm vltrà diem vigeſimum ſæuâ conflictaretur febri: ex quo Marſilius Cagnatus Medicus, magnis experimentis Romæ clarus, ex idoneis coniecturis pronunciârat, ad diem quadrageſimum illam fore perpetuã; reciprocabatur enim validè iuxtà, ac pertinaciter, nec vlla erant indicia receſsûs celerioris. Cardinalis Bellarminus ægrum inuiſit, & poſtquàm diù conloqui, ac ſolari comiter deſierat; abiturus digito frontem ei Crucis in modum conſignauit. Poſterâ die febri expunctâ ſanus, medico id mirante, inuentus eſt. Tametſi verò (quià decubitum vti ſegnitiem peroſus, intrà valetudinarij fines, ſtationemque ægrorum citiùs aliquanto inceperat intermiſſam diù gradiendi vſurpare libertatem) redierit noxij æſtûs vis aliqua tenuior: attamen etiàm hæ reliquiæ morbi, ſpatio breui vaneſcere, quaſi virtutem eandem reueritæ, didicerunt. Et potuit proindè ſapienter, curationem æger ex eo Cardinalis Bellarmini contactu repetere: ſicut & ſcripto id poſtmodùm eius memoriæ conſecrauit.

Sanitas altera, reſtituta Capuæ eius impetratione, narrari iàm debet, & quidem vti relata in Commentarios formatos ibidem auctoritate publicâ deindè fuit.

Cùm

Cùm febri acutiſſimâ, & læthali à Medicis cõclamata decumberet Maria Argentia Nobilis, & primaria Fœmina; Parens ob eam rem anxius, ratus eſt conueniendam ſibi fiduciâ magnâ caritatem Paſtoris ſui, quem vti Sanctum omnes deprædicabant. Is fortè ſecundo lapide à Ciuitate aberat; &, Cœlo intereà turbido, metuenda videbatur fœda tempeſtas, cùm nimbis, tonitribusque. Quocircà ea momenta abſque notâ inurbanitatis captari haùd ſanè poterant, vt è lõginquo loco, tẽpore tàm alieno Cardinalis accerſiretur. Nihilominùs vrgens neceſſitas, & amor, qui leges aut negligit, aut diſſimulat perſuaſere homini, vt ad Cardinalem iret ſupplicabundus, quò Filiæ iàm depoſitæ præſens benè precaretur. Omen dederunt è Cælo diſſipatæ nubes, & Sol qui ſtatim reluxit. Itaque cùm vndiquè conſerenaſſet, potuit Cardinalis percõmodè ægram inuiſere, ſolarique, ac ſalutaribus monitis inſtruere. Verùm non anteà diſceſſit, quàm prouolutus in genua propè lectulum, pro illius incolumitate orauerit aliquantulùm; & dein, vti Pontifices ſolent, ei benè precatus, Crucem etiàm in fronte eius digito figurauit, ac certam reddidit fore, vt conualeſceret. Fuit ille ſanè digitus Dei, fuit Cœli vaticinantis ea vox: nàm deſijt confeſtim oblangueſcere, & paulò pòſt valuit proſperrimè.

Sed ab animi ſpe, fiduciâque in Deum tàm ſæpè affectos curauit, vt aliquandò à Religioſo viro interrogatus,

gatus, ecquis foret ſenſus verborum illorum ; *Quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis;* cùm nos poſtulemus à Deo multa, nec impetremus ea tamen ; reſponderit ab hâc parte ſibi difficultatem haùd nimirùm ſupereſſe, quippè cùm re ipsâ experiretur ſecuritatem illam, quam animis affundit Deus, quandò largiri quæ petimus, deſtinauit. P. Andreas Eudæmon Ioannes, occaſione non diſſimili dicentem ›› ſæpè audiuit; tàm certus animi ſum, fore, vt nihil petam, quin impetrem, propter experimenta, quæ habui ›› frequentiſſima gratiarum, vt de hoc equidem dubitare ›› non poſſim. Id verò cauſæ fuit, vt cogitatè admodùm, & circumſpectè à Deo prò ſe, aut alijs, quæ ſunt huius generis, flagitaret, & tantùm vbi conſtaret clarè, expedire prorsùs, vt ea, quæ peteret, obtinerentur. Proin idem P. Andreas affirmat animaduerſum à ſe, quidquid ægrorum fuit, pro quibus Cardinalis Bellarminus ſemel perlitauit, eos conualuiſſe omnes: contrà rem infauſti ominis haberi ſolitam, cùm ille rogatus prò alicuius valetudine renueret aris operari.

Quemadmodùm verò hâc vſus efficacitate votorũ eſt, alijs vt prodeſſet, ità & ſibimèt intereà Cæli beneficentiam pariter implorauit. Hoc pacto tabe liberatus eſt Florentiæ; & Pataui, dùm Theologiæ ſtudijs incumberet; quoniàm ſæuo dentium dolore affli ctari quoſdam adſpiceret, à quo ipſe nunquàm condoluerat; Deũ orauit, vt eò ſe tentari quoquè permitteret.

Inuaſit

Inuaſit verò ipſum ſtatim ægritudo illa tàm vehemés, vt dolori perferendo ratus imparem ſe ad preces redierit, quibus denuò acerbitatem eam omnem deterſit. At non illud ſilere oportet, ipſum, quo ſibi aurium vſus integer reſtitueretur, vt qui ex eo nimiùm obſurdeſceret, & ad publica negotia in ſenio prælertim ægrè ſufficeret, flagitaſſe Diuinam opem ſæpiùs, oratoreſque alios maximè impetrabiles adhibuiſſe, Sanctos nimirùm Patronos ac Tutelares ſuos, viroſque item pios: ſed irritis ſemper votis; quoniàm ea ſanitas non illi congrueret. Videlicet, nè ei deeſſet perpetuò, vndè diſceret imperfectum ſuum; vtque elapſæ in prauum aures, etiàm tùm admonerent humilitatis, cùm illæ ſubindè proprias laudes audirent. Sic S. Paulus, poſtquàm ter Deum orauerat, vt ab importuno ſtimulo liberaretur, re non impetratâ illud audiuit: *Sufficit tibi gratia mea, nàm virtus in infirmitate perficitur.*

Duo adhùc admiranda ſubijciam. Anno Domini M.DC.XIII. quo tempore Cardinalis Bellarminus Romæ viuebat adhùc, narrat iureiurando interpoſito Franciſcus Antonius Thomaſius, ſe Barij; vbi Vicarius Generalis in Baſilicâ S. Nicolai erat; dùm moraretur in conclaui ſuo; tempore Cineralium ieiuniorum; horâ poſt occaſum Solis circiter quartâ; & quidem vigil atquè exſomnis; & illato lumine ex more lecto ex vnâ parte ſublato incumbens, aliqua ſecùm agitaret,

aut

aut legeret, vidiſſe obuerſatam oculis ſpeciem Cardinalis Bellarmini, quem probè nouerat Capuæ Antiſtitem in Patriâ ſuâ, & à quo ibidem Summi Templi Canonicus creatus fuerat. Poſtquàm igitur Cardinalis, aut nota imago eius, ità clarè obtulit ſe; loqui ſic fermè cœpit. Eo conſilio fuiſti à me inter Canonicos adlectus, vt quæ ad Dei obſequium ſpectant, procures ea non indiligens; hoc vt perindè agas in Eccleſiaſticis quibuſcumque præfecturis, ac munijs, in quibus verſaberis velim. Ab his, quæ ità generatim diceret, digreſſus ad ſingularia multa, monuit vt Canonicorum præſentiæ ſanctiùs exigendæ, cæteriſque miniſterijs Templi ritè obeundis inſiſteret magis. Cùm verò Vicarius, euenire id culpâ non ſuâ, ſed eius qui loci Præfecturam gereret; Cardinalis contrà, ecquid autem vbertim adeò diſpenſatur manna S. Nicolai, cùm à Præfecto tamen hoc fuerit vetitum? Tùnc Vicarius excuſatis cauſis, quibus adductum ſe fatebatur, pollicitus eſt haùd deinceps ità futurum. Hoc poſtremum audijt, & ſub oculis mirantis euanuit. Tunc minimè naturalem eam ſpeciem interpretans hominis, quem Romæ procul aliquot dierum diſtantiâ degere non ignoraret, perfuſus horrore, venerabundusque hæſit, & conuocans famulos, aſtitiſſe tùm ſibi, & fuiſſe loquutum eò veſtigio ſecū in cōclaui Cardinalem Bellarminū dixit. Manè etiàm rem totam expoſuit diſtinctè P. Antonio Beatillo è Societate IESV, qui in eâ Baſilicâ concionabatur,

batur, & qui ſimul facti hodiéque memor, de eo ſingraphâ iuramentum conceptum dedit. Nè verò ſegnis, aut ceſſans exequēdis ijs, de quibus monitus pridiè, videri poſſet, ante meridiem eius diei prò foribus templi, de eâ re affixit edictiones. Et ſanè id non incongruè accidit, vbi corpus S. Nicolai colitur; qui viuens, & abſens Conſtantino Principi viſus adeſſe monitor, cùm eo, quæ deſtinauerat loquutus, ſublimis abijt: vt ex facti ſimilitudine deprehendi inter vtrumque debeat ſimilitudo virtutum.

Poſtremò, dùm Capuæ Cardinalis morabatur, Ciuitatem egreſſus quâdā die, vt geſtaretur animi causâ; iuxtà ripas fluminis dùm iret, fortè venit ad locum, quem aliqui conduxerant, vt in eo, prohibitis alijs, piſcarentur. Híc homines comiter monuit, retia vt educerent: ſed illi educta non ità pridem, & quidem prorsùs vacua, reſpondent: tres enim dùmtaxat minutulos piſces interceperāt. Quam rem ſibi vtiquè in damnum euadere aiebant; quià cùm penſio locationis nimium éxcederet; dies plures ibi hæſerant fructu nullo: neque ſpes vltrà ſupererat, dùm nec tempus faueret, nec bonæ auræ. Siſtere tùm eos Cardinalis iubet, & quartam horæ partem circiter moras ducens, pòſt piſces monſtrare digitis, inuitare etiàm, haùd aliter quàm ſi videret in retia confertim ingruere: ſimulque dùm eis; adeſſe, adeſte ingeminat, piſcatoribus imperauit, vt retia ipſi extraherent. Quæ cùm educerentur, piſcium

adeò

adeò ingens modus emerſit, vt vno eo ductu, egeſta ſint ampliùs bis centum quinquaginta pondo; cunctis admiratione defixis; ſicut ad Mare Tiberiadis Apoſtoli olim in capturâ piſcium. Tùm Cardinalis Bellarminus gratias Deo perſoluit, & in eâ re, Capuæ piſcator hominum factus, prædam ominari ſuam iure ac meritò potuit. Omnia hæc verò primarius è conductoribus loci, & alter eius ſocius iurati affirmarunt, tanquàm numerum piſcium prò amnis conditione, atque aurâ tàm alienâ prorsùs inſolitum.

Hæc, quæ narrata hactenùs, confirmabunt haùd dubiè id, quod Cardinalis à Monte de Bellarmino prædicauit; Deum commodare vſibus Eccleſiæ exemplar hoc perfectiſſimum voluiſſe; vt ſacer Senatus, ac ſæculum noſtrum illuſtraretur à Bellarmino; ſicut ſæculum ſuperiùs à S. Carolo Borromęo colluſtratum ſplédidiſſimè fuit.

Aliqua partim abdita, & longè à conſpectu remotâ aperit; partim mox, aut multò poſt futura prædicit.

CAPVT VII.

ETiàm indè Cardinalis Bellarminus erit apud poſteros admirabilis, quòd multa ſine errore, quæ aut clàm, aut procul agerentur, ſcire viſus eſt. Franciſcus Antonius Thomaſius, Barij Vicarius Genera-

neralis, de quo meminimus non ità pridem, per Michaëlem Gruneuengh Belgam, eius Vrbis Canonicum, ampullulas aliquot mannâ S. Nicolai plenas Cardinali Bellarmino miſit. Cùm verò ex eis Præſul neſcio quis Romæ à Michaële binas expoſtulaſſet, hic amiciùs aliquanto, quàm æquiùs manna conceſſit, & vacuas in ampullulas ſanctum laticem depromptum ex alijs, non optimâ fide, cùm aquâ vulgari mixtum infudit; quò ità munus numerum vaſculorum ſaltem haberet. Cardinalis donum vbi accepit, primò de admirandi liquoris virtute diſſerere multa; dein ſciſcitari omnis nè liquor ille manna eſſet. Ipſe, vt obfirmauerat animum rem occultare, affirmauit ſtatim: & Cardinalis tùnc; non omnis hic liquor vtiquè manna eſt. Michaëlem idcircò primùm admiratio, deindè cogitatio haùd dubia inceſſit, factũ ſuũ diuinitùs emanaſſe. Et cùm Barium reuertit, quod ſibi euenerat, narrauit, deprædicans propterea Cardinalem Bellarminum, vti virum ſanctum. Cùm Neapoli Angelus de Aciariâ Epiſcopus Theanenſis, à morbo graui in Domo Profeſſorum Societatis IESV curaretur, ſcripsêre Patres ad Cardinalem Bellarminum, cuius Sororis Filius æger erat, bono animo eſſet; quoniàm vis morbi remitteret, & ſigna præſeferret etiàm rediturae valetudinis. Sed Cardinalis, ſpem eſſe nullam de Epiſcopi vitâ reſcripſit: monerent proindè, diſponeret ſe ad poſtremum actum, in quo vertitur æternitas, ſanctè &

pié obeundum: & re ipsâ paulò pòſt morbo ingraueſcente deceſſit. Dùm Lutetiæ cùm Cardinali Caietano Legato erat, ſub initium Septembris Tabellarius curſor, prædiſpoſitis equis Româ properè aduenerat, cum faſciculo grandiuſculo litterarum. Ob eam rem inuitauit ſe familia tota in ſermones varios, nemóque erat vel leuiter curioſus, qui gnarus eſſe non optaret, Roma quid pareret noui. Recluſæ nondùm litteræ erant, quippè ad Legatum inſcriptæ, & cùm prò ſe quiſque opiniones fingeret, pleriquе pauidi tantùm noui alicuius conſilij, circà Legationis inchoatas tractationes videbantur. Fortè intererat Bellarminus, ac interrogatus à nemine, litteras, ità vt erant ligatæ, inter manus accepit, ac certó dixit. Xixti v. Pontificis funus eis afferri. Res omnibus difficilis creditu viſa, cùm de ægritudine nihil dùm audiuiſſent. Vera tamen dixit: vt non abſquè admiratione, literis reſolutis, fuit deindè manifeſtum. Romæ in Ædibus eius morbo graui impliciti decumbebant, Matthæus Tortus Ticinenſis Theologiæ Doctor, cuius nomine Cardinalis Bellarminus Apologiam primam inſcripſit aduersùs Britanniæ Regem; & iuuenis alter cubiculi eius Adminiſter, cui nomen Octauius Clarellius. De illo iudicia Medicorum improſpera, & ſpes vitæ admodùm anguſtæ; cùm huic contrà benè ominarentur omnes. Cardinalis tamen dixit ſæpiùs; actum de Matthæo cuncti pronunciant; de Octauio, vt nihil ſit eius, ſperant;

rant: ſed aliter cedet, ille conualeſcet, hic morietur: & prædictionem, nec illius vita, nec huius mors fefellit, quæ res accidit Anno M. DC. XXI. Biennio antè Petrus Guidottus eius OEconomus vſquè ad ſexageſimum diem æger decubuerat, & nemo Medicorũ erat, qui non ei ſiniſtra ominaretur. Cardinalis tamen, qui eum alternis diebus minimùm interuiſeret, monebat potiùs expectaret meliora; futurum enim, vt ægritudine illâ non interiret: planèque pòſt valuit. P. Celſus Amerigus Ordinis Cœleſtinorum Generalis Antiſtes in Cœnobio S. Euſebij iacebat ità depoſitus, vt paratum iàm haberetur in eius conclaui Sanctum Oleum, quo ritè inungeretur. Adfuit ei viſitandi causâ Cardinalis Bellarminus, reperitque adeò effluxiſſe ei vires propter acre malum, vt ægrè loqui ſufficeret: nequè recreandæ defectioni cibi aliud, præter quam iuſculorum ſorbilium aliquid natura deficiens, aut accipiebat datum, aut acceptum conficiebat. Deniquè omnium iudicio tantò erat morti propior, quantò habet vitæ minus vita iàm emoriens. Cardinalis in ingreſſu cubiculi orſus à verbis illis, *Pax huic domui*, ad eum ſic affectum propiùs accedens, ſignum ſalutare Crucis digito in eius fronte duxit, ſecùm interim, non tamen clarè, quædam pronuncians; quorum ſenſum indagare æger tùm nequiuit. Poſteà, nè te animi angas, inquit; ex hâc ægritudine ſuperſtes eris. Eo contactu expertus ille ad ſe vitam redire, & veſtigio

gio eodem natura cœpta eſt reparari, breuique morbũ omnem euaſit. Idem P. Celſus Amerigus teſtatur à Cardinali Bellarmino audiuiſſe ſe multa prædici, quæ pôſt euenerũt. Significauit diſtinctè omnia, quæ vltimis Comitijs generalibus facta deindè ſunt; peculiariter cùm prò eo Antiſtite retinendo fuit eadem, quæ & in eligendo fuerat voluntas. Præuidit exitum negotiorum eius in Gallijs; nec illud ſiluit; Patronum Ordinis Cœleſtinorum ab obitu ſuo futurum, non Cardinalem aliquem paruum, ſibique ſimilem, vt aiebat; ſed Cardinalem vtiquè magnum: & is fuit Mauritius Cardinalis à Sabaudiâ: vſque adeò cuncta, & ſingula cùm eius prædictionibus congruerunt. Morbo cùm oblangueſceret Cardinalis Henricus Caietanus, Cardinalis Bellarminus, qui eius Theologus Lutetiæ Pariſiorum fuerat, prò viri valetudine perlitauit: & tùm intùs quaſi vocem hanc audijt; prò Cardinali Caietano deſine precari: nec enim diutiùs viuet. Auditioni fidem non ſtatim dedit, ſed ad preces iterùm ac tertiò retulit ſe, ac ſemper audijt; tempus, & vota ludis; fruſtrà prò Cardinali Caietano Deum veneraris; ſiquidem iàm in mortuis numeratur. Eæ ſpecies anxium animi angebant, incertumque, vndè nàm ea lapſa vox, & an deberet in præſagium verti. Quocircà vt ad coniecturã euaderet, inquirere quãprimum inſtitit de Cardinalis valetudine, & cùm intellexit pridiè ſub veſperam domo incolumẽ egreſſum, ad S. Pu-

dentianæ

dentianæ ſe contuliſſe; gauiſus indè Ludouico Aragazio, à quo hæc perhibentur, narrauit, quæ ſibi inter perlitandum acciderant; ſed biduum non interceſſit, cùm ille ſubito morbi quodam impetu oppreſſus, & ferè repentino exitu extinctus eſt: quæ res immiſſam diuinitùs eam vocem fuiſſe ſatis declarauit.

Petrus Georgij pluribus retulit, ſe multò antequàm inter eos aggregaretur, qui Pontifici ſunt à muſicis concentibus, quâdam die negotij neſcio cuius gratiâ, ad Cardinalem Bellarminum adiuiſſe; & cùm eo functus, interrogatusque, ecquod Romæ exercitium coleret, Muſices artem dixiſſet; Cardinalem certò affirmaſſe, inter Cantores Pontificios eum annumerandum eſse: ſed priùs fore, vt expeditionem ſuſciperet longinquam. Atquè ex his duabus prædictionibus alteram mox, alteram deinceps excepit euentus; ſiquidem non ità multò pòſt in Poloniam iuit, accitus inter Muſicos Regios, & indè reuerſus, eſt iàm inter Pontificios.

Andreæ Wiſe Equiti, & Priori Britanniæ, dùm ſermones vnà ſererent, dixit non ſemel, Petrum Cardinalem Aldobrandinum ſubitâ morte, nec opinantem interiturum. Et ideò tantoperè litteris quoquè abſenti ſuadere annitebatur, vt opera pietatis in ſubſidiũ egenorum prò opibus, & gloriâ ſuâ in Vrbe inſtitueret. Id quod euentus confirmauit, quià ille ſtatim à reditu ex comitijs, in quibus Gregorius XV. creatus

eſt,

eſt, ex inopinato diem obijt.

In Aulâ Romani Collegij promotus fuerat Theologiæ Doctor Sebaſtianus de Paulis, & dùm vti fit inter ſolemnes gratulationes ad Cardinalem Bellarminum, qui interfuerat, adit, is ei inter amplexus Epiſcopatum, tametſi iuueni, ominatus eſt, vſus his verbis; *Vt Doctor, & Epiſcopus.* Nec vana vaticinatio; cùm iàm ſit inauguratus Antiſtes Nepij, in Patriâ Ciuitate.

Siluio Cardinali Antoniano, qui Præfectus cubiculi erat Clementis VIII. ſub initia principatûs affirmauit, Pontificem tres & decem annos victurum. Paulo V. recens electo; rumor erat, quaſi eſſet obiturus morte præproperâ: & Cardinalis Bellarminus Ludouico Aragazio, hæc memoranti; nè has inanes, inquit, vulgi perſuaſiones tuâ credulitate alere velis: Pontifex enim diù viuet. Et cùm is, an per decennium, rogaſſet, ſubdidit; longè diutiùs, nec aliter fuit: ſedit enim annos ſexdecim. Pòſt exceſſum huius, dùm ingreſſurus Comitia in vaticanum iret, dixit Aſſeclis honorarijs, qui in Rhedâ tùnc aſſidebant; nouus Pontifex, quem Patres eligent, Gregorius appellabitur: & hoc nomine Alexander Ludouiſius præfuit Eccleſiæ gubernaculo.

Pari certitudine Cardinali à Monte aſſeuerauit fore, vt nunquàm Clemens VIII. Pontifex, ſicut deliberauerat, pronunciaret definiendo, circà controuerſiam de Auxilijs gratiæ Dei obortam inter Auctores Religioſis S. Dominici, & Scriptores noſtræ Societatis. Imò

& pręcisè adiecit, futurum priùs vitæ eius, quàm quæſtionis finem. Teſtificationem hanc interpoſitâ Sacramenti fide idem Cardinalis à Monte Decanus Purpuratorum dedit, & eſt ea, quam hic interſero.

„ Cùm aliquandò in Æde S. Marcelli Cardinalis à „ Monte ſolemnibus Sacrorum intereſſet id temporis, „ quò Clemens VIII. Pontifex adhùc viueret, dixit Car- „ dinali Bellarmino, qui itèm aderat; deliberatũ eſt Pon- „ tifici tandèm pronuntiare in opiniones de Auxilijs „ gratiæ Dei natas inter Patres Dominicanos, & Patres „ Societatis IESV. Tùm Bellarminus; hoc enimuerò, inquit, Clemens Pontifex nunquàm definiet. Excepit ille; atqui & poteſt, & vult: quâ igitur ratione, inquis, hoc non definiet? Bellarminus rursùs; Pontificem & poſſe, & velle haùd inficior, pronuncio tamen, fore, vt non definiat: imò ſi moliri hoc velit, priùs eum vita deſeret. Dixit verò hæc tàm conſtanter, vt obſtupeſceret Cardinalis à Monte; præſertim quià talia ferebantur eo veſtigio temporis, in quo de exceſſu Pontificis ſuſpicio nulla. Nam valetudine proſperrimâ tùm vtebatur. Atquè hoc neceſſariò contigit triennio ante Clementis obitum; ſiquidem Cardinalis Bellarminus tres annos poſtremos Principatûs ipſius Capuæ vixit.

Ità eſt prò veritate FRANCISCVS MARIA *Cardinalis à Monte.*

Mor-

Mortem huius Pontificis ſæpè aliàs Aulicis ſuis prædixerat, & potiſſimùm Capuæ circà finem triennij, vt aliàs memorauimus. Prætereà fortè iter illàc habuit, ad occaſionem initi connubij cùm Bouini Duce, Soror Ducis Sorani, vnàque aderant cùm eâ Dux huius Mater Soror Cardinalis Sfortiæ, & Clarix de Nobilibus nuptui olim data in Vrbe Politianâ: quæ omnes Capuæ hoſpitij causâ ad amicum Sponſi diuerterant. Cardinalis Bellarminus, vti decens videbatur, Ioſephum Vignaneſium Præfectum Cubiculi miſit ſalutatum Illuſtres eas fœminas, atque primarias; quarum ei notitia pridem: & hic per omnes officij modos transgreſſus, nimiò ſe æquiùs in obſequia laxauit. Quippè, vltrà quam iniunctum fuerat, à ſimplici ſalutatione, & gaudio, quo fungi debuerat, propter fauſtum earum aduentum, Oratorem agens veriùs, quàm nuncium, ſalutauit eaſdem ſermonibus compoſitis, itàque officium inſtitit ornare verbis, vt addiderit; immeritò eas Capuæ Cardinalis domo vſas nõ fuiſſe; vt quæ potuiſſent, aut miſſis antecurſoribus, aut literis datis indicare aduentum, Cardinali haùd dubiè lætum, & ad eius domicilium flectere: quod vtique pateſceret omnibus, & multò magis fœminis primarijs, ac Ducibus excellẽtiſſimis. Proindè rogauit, Cardinalẽ hâc dignatione nè fraudarent ſaltẽ in reditu. Cùm domum deindè reuertit, Cardinali narrauit, neceſſitate illâ officiorum inductum ſe, vt eas inuitaret, & idcircò quoniã ità

 dixiſset

dixiſſet, neceſſarium iàm hoſpitium eſſe. Inuitus animi Cardinalis hæc audiuit; &, ignoſcat, inquit, tibi Deus: ecquid in has tricas me impedire, vt ſim ego fœminas domi habiturus? errasti penitùs, qui noueras ingenium meum. Et dein addidit ſimilia multa; vt non ei ſedata mens redire poſſet: ſiquidem cùm S. Auguſtino animum induxerat fœminas domi nunquàm habere, nè vel ſuſpicione ipsâ contaminaretur. Intereà oppoſitâ ad frontem, & ad oculos manu, ità breues moras hæſit cogitabundus; poſteà interrogauit, quàm illæ mox eſſent reuerſuræ. Vignaneſius reſpondit, propè ad menſes duos. Tùm ipſe, quaſi Diuino inſtinctu vaticinans, erexit ſe, ac minimè confuſo vultu vti priùs; benè eſt, inquit; tùnc nos Capuæ non erimus; veniãt, licet; nobis haùd moleſtiam adferent. Prænunciationem omni ex parte exitus probauit; nàm intrà dies non ampliùs viginti, curſor vnus Pontificem oblangueſcere, alter paulò pòſt eum vixiſſe nunciauit; & Cardinali Romam cum familiâ eundum ad Comitia fuit.

Non de alijs modò; verùm ſæpiùs de ſe etiàm vera prædixit. Louanium ex Italiâ cùm venit, pòſt conſuetam in Collegium admiſſionem per amoris indicia, & complexus Sociorum, in ſermone nato ſuper deſtinationem, quâ Præpoſiti deliberauerant de ipſius in eâ Vrbe morâ, dixit; à Præpoſito Generali miſſus ad biennium fui; ſed ſpatium meæ habitationis in Belgio ſep-

tem

tem anni erunt; nec aliter euenit.

Capuæ ipſo initio dixit, præfici Eccleſiæ illi ſe tantùm ad triennium. Ad hæc labore, ſolertiâque pernimiâ cùm eruiſſet è latebris antiquitatis nomina eorum omnium Antiſtitum, qui in illius Eccleſiæ gubernaculo ipſum anteceſſerant, orſus à S. Priſco S. Petri diſcipulo, & ſeriem deducens ad vltima ſæculi ſui; poſtquàm in album eos ordine retuliſſet, ac de Cæſare Coſtâ, qui proximus obierat, adſcripſiſſet; ſedit annos triginta: ſubdidit hæc; Cardinalis Bellarminus ſedit annos tres. Hoc totum & ipſe habet in Commentario de vitâ ſuâ, & Ludouicus Aragazius, tùnc vnus ex honeſtioribus eius aſſeclis, teſtificatus eſt ſe adfuiſſe Cardinali, dùm hæc ſcriberet, numeraretque ſe in Archiepiſcopis munere iàm perfunctis. Factum veró id aſſerit primis diebus, ex quò Capuam venerant; & Cardinalem inſuper, cùm aliquantò pòſt ea res fortè Prælatis quibuſdam, vti fit, denarraretur, conatũ ſupprimere famam eius; dictitando, ſe nimirùm eſſe ex Prophetis factis opere rudi, & antiquo, qui de rebus nõ ità meditatè præſagiant; & eueniunt tamen.

Peculiariter quoad præſagitiones de obitu ipſius, iàm pridem Cardinalem Bellarminum deſiderauiſſemus, ſi votis improborum vita bonis eriperetur; ſæpè Hæretici ei antè diem fata cecinerunt, & libellis criminoſiſſimis, quaſi tartareæ Præficæ viuenti adhùc parentârunt, impoſueruntque cùm funere inſuper flagi-

tia,

tia : quò Athanaſio acerrimo Fidei Propugnatori, tàm aliorum vitio, quàm virtutibus proprijs fieret ipſe ſimillimus. Tametſi verò difficile ſit homines tàm emotæ mentis inueniri, qui ea penitùs de Bellarmino credant; nihilominùs, quià calumniarum ſemper aliquid adhæret, ſi non eas citò veritas detergat; ſicut etiàm quià Bellarminum viuere, oportebat improbis criminatoribus ad dolorem animi adgnitum eſſe, probis ad ſolatium; teſtificatio de vitâ eius fuit ſæpè per Scribam publicum in Codices relata, eiusque in varias Prouincias fuêre dein exempla tranſmiſſa.

Ad hæc Mathematicorum diuinatio, genus peritiæ, quod dolendum eſt inter homines ſemper damnari, ſemper vſurpari, iure exiſtimatur infida res. Quià delectat tamen audire, ſicubi ea euentis cùm veritate coeat, pòſt Bellarmini obitum mouit iſtorum Mathematicorum aliquis admirationem, qui totius anni pręcinens futuras viciſſitudines, ex aſtrorũ notatione pronunciauerat, anno vertente M. DC. XXI. Antiſtitem magnum è viuis eſſe demigraturum: tenuitque prædictio ſollicitos plurimos ex his, qui iſtæc genera diuinationum religioſiùs, quàm fas eſt, aut reuerentur, aut metuunt: donec animaduerterunt, Cardinalem Bellarminum Sacerdotem Magnum, Septembri menſe eiuſdem anni, fine mortalitatis defunctum eſſe. Sed vt credulis opiniones has relinquam, priuſquàm ad eius

prædi-

prædictiones veniam, illud non omittam, quòd multò antè Diua Catharina Virgo & Martyr, ac litteratorũ Præſes, Viro cuidam Religioſiſſimo viſa lucis ſpecie adeſſe, ac ſermonibus cœleſtibus eloquuta; cùm de Bellarmino interrogaretur, vaticinata eſt de ſpatio vitæ eius diuturniori, adiectâ honorificâ teſtificatione virtutis etiàm. Nàm, inquit, *Diù viuet, & opera eius erunt placita Deo.*

Sed Bellarminum ipſum non ignoraſſe, aut diſſimulaſſe vltima vitæ ſuæ tempora, haberi poteſt prò re „ compertâ. Abbas Franciſcus Perettus hæc refert. Ale„ xander Cardinalis Montaltus, glorioſi nominis, Patruus „ meus, mihi, alijſque diſseruit, Cardinalem Bellarmi„ num, dùm fortè vnà conloquerentur, quo tempore „ ab exceſsu Pauli V Pontificis ſedes vacabat, & hyems „ acris vltià modum obrigeſcebat; hæc dixiſse. Inimus „ iàm Comitia in ſummis frigoribus; proxima fient in „ ſummis caloribus, quibus noſtrûm neuter intererit. Sic ille. Dicto non abfuit fides, quià Gregorius XV eo frigidiſſimo anni tempore electus Põtifex, biennio pòſt, Iulio menſe ineunte, occubuit, ac oportuit Comitia celebrari ſub exortum ipſum Caniculæ, & deinceps vſquè ad VIII. Id. Auguſti: quo die Vrbanus VIII. Sũmus Pontifex acclamatus eſt. Multò antequã hæc appeterẽt Comitia, Cardinalis Bellarminus obierat; at Cardinalis Montaltus, tametſi ætate haùd longæuâ, ſanitate verò validâ, proſperâque, Pontificis obitum, comitiaque

futura

futura in vehementiſſimis caloribus, menſe circiter gemino anteceſſit.

Nequè modò ità generatim, mortem ſibi præſagijt. Sed menſem & diem, in quo erat obiturus, nominauit. Inter cæteros, Ouidius de Amicis Vrbis Capuæ Canonicus narrat, Cardinalem Bellarminum, dùm Anno M. DC. XXI. in ſermone mutuo eſſent, dixiſſe proximo Septembri menſe interiturum ſe, & quidem ipſo die Sancti Franciſci vulneribus ſacro. Aliàs magis adhùc diſtinctè, ſe in Autumno eius anni, VI. feriâ, conceſſurum è viuis aſſeruit, in ipsâ celebritate Stigmatum S. Franciſci. Quod etiam addidit ſperare ſe, quià in eius celebritatis Officio ordinando, diſponendoque piè laborârat: planèque vaticinium hoc fuit. Ex hâc verò notitiâ factum exiſtimo, vt impetrato ſeceſſu ab Aulâ, conuictoribus & Aulicis ſuis denunciauerit, deliberatum ſibi eſſe in re priuatâ vitam agere: proindè Herum ſibi perquirerent, & interim vſquè ad exactũ Septembrem apud ſe diuerſarentur; qui terminus ei poſtremus vitæ fuit.

VITÆ

VITÆ ROBERTI CARD. BELLARMINI E SOCIETATE IESV LIBER VII.

Apparatus eius ad mortem, & ſtudium abſolutiſſimæ perfectionis.

CAPVT I.

ANIMVS Cardinalis Bellarmini, culmine humanarum viciſſitudinum altior, potuit facilè contemnere Mundi lubricam felicitatem: adeò vt, vitam ipſam numerans inter odioſas res, nihil votis adæquè, atque mortem expeteret; quò ad Deum ſuum prouolaret. Hinc vltimis annis, quæ diceret, ſcriberetque, ſemper cùm præfatio-

ne, aut peroratione erant, in quâ mortem ſibi iàm optabilem affirmaret. Inter alios Raphael Epiſcopus Zacinti teſtatur; quoties cum interuiſit, ſpatio vndecim annorum, de re aliâ nullâ auditum à ſe miſcere ſermones, quàm de futurâ hominum cùm Deo inter Cœlites vitâ, vel de Sanctorum virorum famâque, & factis admirandis. Et quamuis paratum ſe oſtenderet, quaſi ſeruus ſolet fidelis, ac prudens, qui expectat Dominum ſuum, vt fores aduenienti aperiat, & præluceat obuius cum accensâ face; nihilominùs reputans quanti momentum interſit, in quo æterna vertitur ſalus, ſæpè inſtitit viatorium animæ ornatum ad eiuſmodi magnam expeditionem ſibi comparare.

In id incumbere præcipuè viſus eſt, cùm appeteret annus eius tertius, & ſexageſimus; quod ſpatium viuendi maximè, inter reliquos annos climactericos, obſeruatum in multâ hominum memoriâ, compertumque eſt ſenioribus pleriſque, aut cùm periculo, aut cùm obitu adeſſe. Hâc occaſione Capuæ teſtamentum obſignauit, eoque Sponſam dilectam ſuam, vt loquebatur, hæredem inſtituit; Cathedralem Eccleſiam nimirùm, aut Sanctos Tutelares Stephanum, & Agatham. Deliberauerat initio Purpuræ teſtamentum non facere, cùm Religioſus Profeſſus foret; vt qui verſaret animo de S. Auguſtino ſcribi. *Chriſti pauper teſtamentum non fecit, quià, quod relinqueret, non habebat.* Mutato tamen conſilio ſapienter à Clemente VIII. Pontifice gratiam

teſta-

teſtamenti flagitauit, ad pias cauſas tantùm; quò certus eſſet, ſicut dein in teſtamento vltimo dixit, etiàm ea, quæ decedenti ſupererant, quæque dùm viueret, vtpotè ſuſtentatiôni neceſſaria, diſpenſare non poterat, ad pauperes, & ad Eccleſias reditura demùm eſſe. Gratiam verò conceſſit Pontifex adhùc ampliori, quàm rogauerat, formâ.

Euaſerat ſoſpes eum annum climactericum, cùm oblata eſt noua occaſio cordi eius conuaſandi ſarcinas, vt in Cœlum denuò profectionem adornaret. Propè ab exceſſu Cardinalis Baronij amici, & Collegæ dulciſſimi, adfuit quâdam die Cardinali Bellarmino ſimplex vir quidam, ore & habitu ruſticus, denunciauitque fore intrà annum, vt in Cœlum iret. Nequè id propter auctoris humilitatem, vti fit, ſpretum eſt. Etenim Cardinalis, quià id credere ſumma vtilitas, præſtitit homini fidem libenter, referens factum Ludouici Imperatoris, qui cùm viſus eſſet in Cœlo Cometes, de quo vulgi opinio, tanquàm ſydus ſit decretorium funeribus Regum, atque Magnatum; indè ſibi ominatus mortem, diſponere ſe ſtatim cœpit, ac non ità multò pòſt vixit. Quarè Imperatoris huius factum adeò prudẽs ſequi; ac ſupereſſe breue ſpatium ratus, negotia tantùm ea non ſeponere, quę coniuncta cùm Purpurâ neceſſariò viderẽtur. Demũ biennio antequã obiret, cùm incidiſſet in ęgritudinẽ grauẽ, ſtatim conceptâ migrãdi ſpe, adeò in eâ cogitatione defixus animo eſt, vt hæc ei

adhæſerit perpetuò: ex quo ſubindè vſurpauit illud S. Pauli; *quod ſeneſcit, propè interitum eſt.* Hoc ſtudium ſatis conijci poteſt, tùm ex partu nouiſſimo ingenij eius, qui inſcribitur, *Ars bene moriendi*, in quo, huius etiàm diſciplinæ Magiſter, diſtinguit quæ vtilia, quæ optima, vt non in ambiguo relinquatur ſalus; tùm ex innocentiæ gloriâ, cum quâ abire in longâ ſenectute potuit; tùm demùm ex deſiderio, Deo ſeruiendi, quem tantoperè amauit. Huius verò, tanquàm pretioſæ hęreditatis, duabus teſtamenti tabulis, quæ ſolæ venere in manus meas, reliquit documentum, inquiens; *Primò animam meam fideli Creatori commendo, quem amaui, & cui ſeruire ab ineunte pueritiâ meâ cupiui.*

Et fuit ſanè mirum, hominem perfectionis tantæ, qui optabat ſuprà modum relinquere humi exuuias ſuę mortalitatis; parte ex aliâ vixiſſe pauidum adeò, vt nunquàm penitùs certum oſtenderit ſe de ſalute conſequendâ. Sæpiùs amicis, qui ominabantur ei facilem ad Cœlum viam, reſpondit; haùd erit ità parum, ſi Dei miſericordiâ mihi ad tempus Purgatorium cōcedatur. Verba ipſius tamen ſatis indicabant, non hæc ideò dici, quòd eum conſcientia criminis vllius perpauefaceret: ſed quia ex S. Pauli ore audiuerat; *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum; qui autem* „ *iudicat me, Dominus eſt.* Quid ſi, aiebat, ſim ego noxæ „ alicuius latētis reus? quid ſi occaſione præfecturæ mul„ tiplicis, quam ſuſtinere, tùm in Religione, tùm in Pur-

,, Purpurâ debui, culpæ alienæ quæſtionem ſubeam?
,, quia ſi nō fecerim ego ſatis muneri meo? Eſt nimiùm
,, formidanda res, ſiſti coràm eo, qui ſcrutatur *Ieruſa-*
,, *lem in lucernis.* Auget timorem diù à me continuata fe-
,, licitas; cùm ſciam, ità comparatos homines eſſe, vt
,, quos in hâc vitâ proſperitas beat, eos infelicitet ple-
,, rumq́ue in alterâ mœror; raròq́ue permitti, vtrobiquè
,, felicem quemquam eſſe. Vereor, nè Purpuræ digni-
,, tas hæc, veluti compēſatio ſit alicuius fortè boni, quod
,, viuens fecerim; quò puniri poſtmodùm debeā. Parte
,, ex aliâ certus ego ſum, quicquid à felicitate habui, hoc
,, obueniſſe non cupienti, nec roganti, meq́ue imperio
,, tantùm adigi ſiuiſſe, vt ità felix eſſem: nam obedien-
,, tiam ſequi ducem, nè errarem, incœpi ſemel, inſtiti ve-
,, rò ſemper. Recipiam me itàque in fidem, ac tutelā Dei
,, Creatoris mei, qui nōn vult mortem ſuorum, ſed ma-
,, gis, vt viuant, & ſalui ſint. Hoc pacto fiduciam omnē
ſuam à Diuinâ benignitate deriuās, atque à ſecreto conſcientiæ ſubnixus ac fidens innocētiæ animus eius miſericordiam, & iudicium cantabat Domino; dabatq́ue locum melioribus, nihil recolens improbè factum, & tantùm ſecunda metuens cor eius.

Neque dubium eſt timorem hūc Domini caſtum, ac ſanctum excitari in eo ſolitum, nè in auxilio Dei implorādo torperet, aut de ſuis ipſe meritis fiduciam plùs nimiò haberet; vt qui ſciret neminem certiùs opprimi, quàm qui Deum non ità metuit; & frequentiſſimū ini-

tium ruinæ eſſe animæ ſecuritatem. Sedenim, vt ad occaſiones alias deprehendi non obſcurè potuit, in eo perfecta caritas foras expunxerat timorem omnem: adeò vt non modò de ſalute certus, ſed de Purgatorio etiàm non adeundo videretur. Id innuere hoc loco haùd ego ſum veritus, in quod vtiquè conueniunt viri auctoritatis magnæ. Cardinalis Creſcentius, inter
,, alios; tametſi conſcientiæ eius, inquit, occurreret ni-
,, hil, de quo poſtulandum ſe duceret, ætatemque ſuam;
,, haberet verò contrà cumulum meritorum ingentem,
,, propter heroicas virtutes; ſemper nihilominùs mor-
,, tem expauit, & memini dicentem, cupere ſe hoc be-
,, neficium à Deo, in Purgatorium vt migrare poſſet. Sed
,, deindè æger, & morti propior, inuentus eſt à me, dùm
,, ei manus deoſcularer venerabundus, corde tàm ſedato,
,, tàm hilari; vt facilè appareret, quanta ineſſet ei de
,, adeundo iàm Cœlo ſecuritas. Hoc idem Iulius San-
,, ſedonius Epiſcopus teſtificatur clariùs; nàm ſpes eius,
,, inquit, tàm erat conſtans, vt ſæpenumerò diceret, pro-
,, ficiſci cupio in domum meam, Cœlum intelligens; &
,, quoniàm ego ſubderem, me vtiquè Purgatorium op-
,, tare; tùm ipſe modicæ ſpei, fiduciæque argumentum
,, hoc eſſe ergà Diuinam miſericordiam pronunciauit.
,, In ſermone item de re propoſitâ, pari conſtantiâ in
,, Cœlum, inquit, in Cœlum ibo; adeò vt ei ex ore etiàm
,, præſiliret abundantiâ certitudinis, ex quâ ferè cor ei,
,, animuſque triumphabat.

Ad-

Ad hæc *habens deſiderium*, vt loquitur Apoſtolus, *diſſolui, & eſſe* cum Deo ſuo, ad eum per gradus illos ferebatur, quibus procreatę res aſcenſiones in corde ponunt; & vt cantaret iuſtificationes Domini in loco peregrinationis ſuæ, quaſi virtutum omnium harmoniam, ordinauerat in ſe caritatem. Hæc verò quoniàm *patiens eſt, & benigna; non æmulatur; non agit perperàm; omnia ſuffert; omnia credit; omnia ſuſtinet; omnia ſperat*: has eaſdem ipſe laudes complexus eſt mirificè vniuerſas.

Multa ſæpè inclementer facta, dictaque ità pertulit, vt nec affici, nec mutari conſtans eius vultus cerneretur. Prolapſus in valetudines graues, coactuſque indè magnis doloribus diſcruciari, non voce gemere, aut fundere querimonias; ſicut ij ſolent, qui torquentur ægritudinibus hiſce miſeris, & ærumnoſis. Brachij ſpaſmo in Societate languens, & iterùm in Purpurâ luxatus brachium, & proximum armum, fuit patientiæ magnum documentum. Quoniàm doloris acerbitas potuit quidem efficere, lacrymis vt extillarent oculi; ſed non vt vox vlla excideret conſona dolori magis, quàm virtuti. Imò primâ vice, cùm ei certa foret perſuaſio, ſicut ipſe narrauit, poſſe à Deo impetrare ſe precibus, vt afflictationis ea vis remitteret; rogare abnuit, quò perfectiùs Diuinæ voluntati conformaretur. Alterâ vice, cùm dexterum brachium conſauciatus eo aliquot dies faſcijs obuoluto eſſe deberet; tantùm Re Sacrâ tàm diù priuari ſeſe haùd ſuſti-

nuit,

nuit, & à Pontifice veniam impetrauit, vt perlitare poſſet, ac ſiniſtrâ manu dumtaxat Hoſtiam alleuare, oſtendereque venerantibus; quod & fecit, donec conuerſa ad vſum manus; & elapſi in prauum artus cœpere vi medicamentorum reparari. Ex eâdem virtute nata in eo morum illa probitas, ac lenitas eſt, quâ in homine haùd exiſtere poſſe maior videbatur. Nunquàm aut irâ commotior, aut in re vllâ vehementior fuit. Imò ipſa obiurgatio, quæ cæteroqui amara eſt, efferebat ex ore ipſius neſcio quid blandæ ſuauitatis; vt quæ non ſtudio fieret vtilitatis propriæ, nec ab animo flueret impotenti, vel iracundo. Et verò lenitatis huius exemplum illuſtrius tùnc edere viſus eſt, cùm propriâ in exiſtimatione læſus, timuit offenſam eorum, à quibus lædebatur, nec moliri contrà quicquam auſus fuit, priuſquàm eſſe in tuto caritas ipſi videretur.

Religioſus quidam in Vrbe, atque Aulâ totâ diſſipauerat, Cardinalem Bellarminum inductum potentiâ argumentationum eius, tandem iudicaſſe aliter, atquè pridem iudicârat circà opiniones *De auxilijs gratiæ Dei.* Hæc impoſita ei leuitas & inconſtantia, quæ alterum quemuis incenſum reddere potuiſſet, haùd vim habuit, vt caritatem ipſius æſtu irarum vllo accéderet: quin imò incitatus ab amicis, vt hominem ſaltem obiurgatione aliquâ increpitum vellet; reſpondit primò, ſtabile ſibi eſſe in hâc re nihil agere; pòſt, cùm ſubiungeretur poſſe eò rem euadere, vt eſſet prauo documento, cùm

to, cùm in Septentrione vniuerſo diſſeminaretur, Cardinalem Bellarminum mutauiſſe ſententiam; ſolummodó adduci ſe paſſus eſt, vt ei Religioſo, coràm geminis Teſtibus ſedatè; quæ, in ſermone mutuo dixerant de controuerſiâ illâ, repeteret; Ex quo potiùs adgnitum eſt, Religioſum illum, ob argumenta Cardinalis Bellarmini, à ſententiâ ſuâ deſciuiſſe. Ad hæc ſuperbienti eum animo non fuiſſe, ſatis indicarunt; cùm vitæ ipſius moderatio; quandoquidem illi non maiori gloriæ fuit bene tolerata in Religione paupertas, quàm fuerint in Purpurâ opes innocẽter, & modeſtè habitæ; tùm humile iudicium, quo ſolitus deprimere res ſuas: vt hinc merito vniuerſis miraculo eſſet, Virum doctrinâ & ſapientiâ inſignem adeò, ab humilitate inſigniorem æſtimari debuiſſe.

Par admiratio erit, ſi ſubeat animum ſimplicitas, quâ perperàm de vllo iudicare haud ferè poterat; queque ab alijs iactarentur, credebat mirâ facilitate; modò clarè non affereretur falſum. Presbytero cuidam, moribus parùm honeſtis, quià Capuæ genua eius aduolutus iuramento affirmauit, ſe virginem eſſe; concredidit ipſe; vt qui nequiret animum inducere, in ore Sacerdotis eſſe poſſe mendacium; & huius generis ſuppetunt multa. At ſi ſemel quis deprehenſus in mendacio eſſet, is haud ſperare poterat fore, vt ipſum ità compoſitis figmentis denuò circumueniret.

Et quoniam amor quæ vult, eadem & credit libẽter,

Reos, ſicubi ſpem facerent vitæ melioris, excedente fidem clemētiâ, penitùs à ſupplicio liberabat. Fortè Capuæ diœceſim intrauerat Sacerdos transfuga profano habitu, vnaque ſecum eò pellicem adduxerat; & is etiàm, in ſummo Templo Vrbis, Organi Præfectum, vt qui ſatis peritè luderet, agebat. Sed breui detecta fraus, & vitæ macula, quâ notabatur. Quarè defertur eius nomen ad Archiepiſcopi Tribunal, in quo, qui ſupplicij ſeueritatem inuenire debuerat, planè clementiam inuenit. Cardinalis enim aggreſſus ſuauiſſimis monitis animam illam reſtituere, induxit in inſignem anteactæ vitæ deteſtationem, cuius tùnc ſigna edidit non obſcura; omnia quæ impiè, nefarièque alia ſuper alia erat auſus, gratiam fecit; dein habitu clericorum eum rursùs ornauit, deſtinauitque aliò ad honeſtum miniſterium; carum ei ſcortum, cuius amore deperierat, cùm cæteris amoribus, ac delicijs abduxit; & huic pariter opportunitatem dedit, vt rationem iniret vitæ honeſtioris.

Eius verò benefica commiſeratio non ſtuduit animas modò ſubleuare; ſed corporum quoquè neceſſitates ſuæ procurationis eſſe voluit. Præſertim hoc egit ergà obæratos, de quibus vnum adfero, plurimos cùm ſileam. Adiuit eum inops quidam opifex, & Ciuis ipſius venerans, vt apud Cardinalem alium pro ſe intercederet; debebat enim aureos nouem, nec erat ſoluēdo. Annuit Cardinalis, & quidem facturum ſe id eodem die,

die, quo, Congregationis cuiuſdam causâ, ſuberat Cardinalem eum conueniendi copia. Sed is domum vix retulerat ſe, cùm reuocatus, ab eo ſtatim pecuniam illam accepit, quòd diceret viſum hoc ſatiùs, ſi eleëmoſinam ei hanc ipſe largiretur: deprecari tamen, vt eam quàm primùm alteri repræſentaret; quod ille optimâ fide præſtitit. Alijs neceſſitatibus quàm largè ſubuenerit, oſtendunt ſatis capita, quæ antecedunt. Notabile tamen eſt, quod Cardinalis Creſcentius refert, audiuiſſe ſe ab vno ex Aulicis Cardinalis Bellarmini: nempè cùm petiuiſſet pauper neſcio quis aureos biſſenos circiter, quorum ei tùm dura quædam inſtaret neceſſitas; Cardinalem, quia pecunia præſens non ſuppeteret, proprium detractum ex digito annulum ei dediſſe, adiectâ ſyngraphâ, vt illum nomine ſuo pignoraret, pecuniæque ſummam indè ſumeret. Futurum enim, vt ipſe pòſt, & ſortem, & fœnus pro annulo redderet: hoc verò egit quàm potuit occultiſſimè. Modum eundem ex ſupellectili oppignorandi alia (ſicut oppignorauit quâdam die proprium atramentarium argenteolum) quandò ei prompta pecunia non ſuberat, famuli ſæpè adnotarunt. Capuæ OEconomo iniunxerat etiàm, vt Rhedam ipſam cum equis diuenderet, nè deeſſet, vndè egenis ſubueniretur. Atque hâc virtutem in Sanctis viris non demirari magis, quàm imitari ſtuduit: ideòque Cardinalis Creſcentius de ipſo addit; cũ referre deberet de vitâ, & rebus geſtis

S. Philippi Nerij, ad Congregationem Sacrorum Rituum; vbi ventum ad eleëmoſinas innumerabiles eſt, quas ille in egenos erogauerat, tametſi aut parum, aut nihil in rationibus haberet; ipſum hæc adſcripſiſſe manu ſuâ; Res eſt nota, pecuniam ijs deeſſe nunquàm, qui eam in ſubſidia pauperum diſtribuunt.

Receſſus eius ab Aulâ, & vltima ægritudo.

CAPVT II.

INgraueſcens annis ætas, & ægritudines aſſiduæ Cardinalem Bellarminum ſatis admonebant, haud multùm abeſſe momentum, quo in ſua reſolueretur initia. Proindè deliberare ſeriò de ſe abdicando, ſi minùs purpurâ, publicis certè occupationibus; & cùm menſe Martio, abundante pituitâ, in febrim incidiſſet; vbi primùm ex eâ valuit, Octauium Cardinalem Bandinum, per ſyngrapham datam xvi. Cal. Maij, rogauit, vt interpres apud Pontificem eſſet, quo vacare poſset à duplici Congregatione Cardinalium; Examinis nimirùm, & Sanctę Inquiſitionis; quià ſenio vt corpus minùs habile, ſic animum minùs vtilem habere iam ſibi videbatur: præſertim cùm tam ægrè audiret, vſumque aurium quotidiè magis interciperet vitiatus humor defluens in eam partem, quâ vocis & ſermonis ad animum iter eſt. Poſtquàm autem flagitauerat,

vt

vt alloqueretur ſuper eâ re Pontificem primâ die habẽdi Senatûs, cui nequibat intereſſe à Medicis prohibi-
» tus; ad finem ſyngraphæ: Poſtulatio hæc, inquit, mihi
» adeò cordi eſt, vt exprimere id non ſatis queam. Ni-
» mium ruboris eſt, & confundor planè, dùm coràm
» Chriſti Vicario, & tot Illuſtriſſimis Dominis oſtende-
» re debeo hoc imperfectum meum. Si longâ medita-
» tione poſſem id aſſequi, vt tibi, quem inter primarios
» Dominos meos veneror, perſuaderẽ, quò in hac re mei
» patrocinium ſuſciperes, facerem equidem: ſed plus
» mihi pollicetur benignitas, & facilitas tua. Deus be-
» nedictus te mihi, & omnibus famulis tuis ſoſpitet diù,
» & me erudiat, vt tibi optimè ſeruiam.
» Hic fuit veluti gradus deliberanti declinare oculos Aulæ, & publico carere, vt quod vitæ ſupererat, tranquilliſſimo traduceret ſenio, & dulcedine Sociorũ in domo aliquâ Societatis priuatus frueretur. Apud quos occupare læthi diem pulchrum rebatur vel ideò, quòd crederet decens, vt accommodatus publicis vſibus, dum ætas fuit; attritus æuo redderetur ſtirpi ſuæ, poneretque ibi finem virtutum, vbi earum initia poſuerat; atque in loco fortitudinis, in quo ſteterat, iaceret demùm, obtineretque ordinem moriturus. Itaque ob eas cauſas poſtremò, apud Gregorium XV. Pontificem, adhibuit deprecatorem P. Mutium Vitelleſcum Generalem Præpoſitum Societatis, veniamque abeundi ex Aulâ obtinuit; ex quò XVII. Cal. Septembris anni

M. D.

M.DC.XXI, ex Vaticano, vbi habitabat, ſeceſſit in Domū probationis ad S. Andreæ in Quirinali ſitam: neque poſt vlli maiori negotio animū accōmodauit, excepto quod abſoluere in Congregatione Sacrorum Rituum cauſam S. Philippi Nerij, de quâ ipſius erat referre, conatus fuerit. Biduò poſt, quàm eò conceſſerat, neceſsè habuit ſtudio vehementi in negotium incumbere, cui finem item erat impoſiturus in Congregatione Indicis. Ad eam ergò ſe conferens, vt ſimul Purpuratis Collegis ſuis valediceret; domum vltrà modū delaſſatus remigrauit, & febri tertianâ duplici nunquàm ceſſante cœptus eſt tentari, quæ etiam cùm augeſceret, phrænesim afferebat. Febrium ea vis, ſeù amentia, quæ fatuos mores etiam Sapientibus inducit, ſtudiaque animi occulta manifeſtat, cauſa ſuit, vt eius virtus fieret euidētior; ſiquidē, vti ab ingenio probus erat, etſi animi inops eſſet, nihil tamen morbi vitio aut fecit, aut dixit purpuræ dignitate, & ſuperioribus virtutibus indignum. Quin potiùs oſtendit in pectore ſibi adeſſe ſingulariter Deum: imaginum quippè multitudo, quas in illo æſtu ſanguis ebulliens confusè agit, vnde & deliramenta loquimur, Viri ſanctimoniam dùmtaxat, & diuinæ gloriæ deſiderium oſtentabat: tantam vim habet vſus, habitusque virtutis.

Medici vel à primâ inſpectione facilè coniectarūt, periculoſam ęgritudinem eſſe in viro, qui ętatis plenus, & fractus exercitationibus ſtudiorum aſſiduis, ac Virtutum

tutum

tutum maximarum. Ipſemet pariter, vt is qui nihil tàm cuperet, quàm mori, ſibi felicem hunc exitum ominatus eſt, & quaſi Cygnus ſolet, abundans dulcedine cordis, cum S. Simeone in hoc itinere vitæ ſenex, otium petere, & canere auditus eſt; *Nunc dimittis Seruum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace.*

Subindè tamen variante morbo de valetudine eius ſigna lętiora cernebantur, & aliqua vitæ ſpes affulgebat. Narrat verò Celſus Amerigus Antiſtes Generalis Ordinis Cœleſtinorum, initio ægritudinis inuentum à ſe colore tàm ſano, & pulſu venarum ità æquabili, adeòque compotem animi, vt periculi expers videretur. Quin & dixiſſe, benè equidem habeo; comedi, nec nauſeabundus; & aliquantulùm quieui de prandio. Sed non proptereà ſecurus ego ſum; vocem audio monentis cor meum, vt paratum expectet, ſiquidem ei intrà dies denos, aut quindenos abeundum erit; & prorsùs ità fuit.

Ea mortis propinquę cogitatio, quæ plerũque magnos animos infringit, tàm ei iucunda fuit, vt exprimi non poſſit, quòt modis id ſignificarit. Sanè nullus quiſquam æger ità vitam deſiderat, ſicut ipſe mortem exoptauit. Medicos, & alios qui eius curationi præerant, ab initio commonefecit, nè formidarent ſibi deferre hoc nuncium optabile. Frequens verbum, quod ab eo audiebatur, id erat; velle ire ſe ad domum ſuam, Cœlum videlicet: & cunctis qui ſuas ei preces offerrent

ferrent, reſpondebat id ſe æqui boniq́ue facere, ſed vnum excipere, ne vitam ſibi precarētur, quam ipſe vtique recuſaret: Deum orarent potiùs, vt mortuo ſedem inter pios daret, impetrarentq́ue id, quod eſt difficilius, cùm facilius ſit obtinere homini vitam, quàm Cœlum. Denique cùm non haberet in terris manentem ciuitatem, ipſe æternam alteram cupiebat. Hippolytus Cardinalis Aldobrandinus, quia morbi vi eum repererat vehementiùs afflictari, ſic rem interpretatus eſt, quaſi, *Spiritus quidem promptus, Caro autem infirma* eſſet. Idcircò ſciſcitatus eſt, quàm eſset paratus probè, vt in aliam vitam immigraret. Et tùm ipſe, audito nomine vitæ felicioris, vultu exhilarato ſatis oſtēdit ſe vnicè illam expetere; atq; eã, in quâ viueret, animo iam faſtidiente reſpuere. Medicis per interualla iterabat; quandò me nuncio illo exoptato recreabitis, quòd emori debeam? quando audiam, tempus eſse, vt ex hac vitâ migrem? Nè, quæſo, nè ſollicitè adeò enitamini corpori reſtituere incolumitatē: quod vtique corpus ergaſtulum eſt animæ, quæ cuperet ad Deum peruolare. Quorsùm ſolatium hoc mihi differre tam diu, qui me non eundem iam, ſed vmbram, nomenq́ue mei relictum videtis? Quorsùm cibi & medicamenta, quæ non tantùm ob naturæ vitium nauſeamq; ſed ſunt adhuc magis ob eam cauſam odioſæ res, quia moram faciunt, citò nè adproperem ad finem meum?

Vulga-

Vulgarant Medici quâdam die ire in meliùs valetudinem eius, ferè diſcuſſô, aût non ità certo periculo; ſed ſpes eorum, ægroti mœſtitia erat, cui maior vitæ metus, quàm mortis. Ideò ipſe ſtatim conqueri, nec expectare, ſpes ea vt ſpatio vaneſceret, cùm diceret;
„ videbar mihi propemodùm in portu eſſe: ecce autem
„ adhuc intemperiæ maris agitant me. Dura ô nimium
„ res eſt, pati iacturam boni illius, quo in cœlis pij fruun-
„ tur, propter anceps bonum, quod in terris haberi po-
„ teſt. Cõpleatur Domine ſumma votorum meorum,
„ ac trahas me pòſt te. Iterùm nullâ ſpe vitæ Medici fuerunt, propter deſperationis notas, quibus ægritudo ingraueſcere cernebatur; & eorum deſperatio ipſius triumphus erat. Deprehenſus ſæpenumeró eſt, dùm lecti aulea eſſet obducta, accipere digitis pellem ipſe-
„ met ſuam, ac loqui ſimul in hæc verba. Quid tu
„ obſcura, & ignobilis caro mihi adhæres adhuc? quid
„ animæ tenax non eam ire ſinis in domum ſuam? di-
„ uidere tãdem; frangere; diſrumpere. Domine ægrè ad-
„ modùm demoror hic in terris diutiùs; trahe me poſt
„ te; tribue mihi pennas columbarum; volabo, & requieſ-
„ cam. *Quandò veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Deniquè modus eum exhilarandi, ſolandique erat de diſſociatione ſpiritûs, corporiſque cùm eo agere. Vt nõ immeritò plurimi ad hoc ſpectaculum admirandum inuitauerint ſeſe, ac viſi ſint cum Diuo Bernardo dicere; vocatos eò ſe, vt hominem aſpicerent exul-

tantem in morte, mortique inſultantem.

Inter hæc deſideria cœpere ſuas viciſſitudines, ſicuti de Sanctis Viris legitur, ſpes, & metus. Deum venerabatur, vt ab occultis mundaret ſe, & ab alienis parceret ſeruo ſuo. Quam ob cauſam iterauit illud ſæpiùs; ſolidum annum præoptaſſem, in quo feriatus ab occupationibus alijs, tantùm hoc agitarem vnum, vt animæ labes extergerem omnes, meque totum innocentiæ darem: quò ego ad mortem ità meditatus magis accederem. Parte ex aliâ morti ſe proximum, nec imparatum videns, nihil tàm verebatur, quàm nè rurſùs valeret, ac diutiùs viueret. Quippè alienus à ſui fiduciâ, ipſe agnoſcebat, haud ſe poſſe certò polliceri futurum, vt etiam impoſterum ſine noxâ perſeueraret; verſabatque animo vixiſſe aliquos annis non ità paucis cùm opinione Sanctitatis, & demùm ſuperſtites nimis diù incertâ iudicia de ſe reliquiſſe. Dicebat „ identidem; Dei beneficio ſatis comparatus mihi vi„ deor; quid moror ampliùs? Dei arbitria recta, & ſeuera „ equidem formido. Humana volũtas lubrica; & perſe„ uerantia Dei donũ eſt, ad quod merita noſtra non per„ tinent. Hãc vita diuturnior ne mihi adimat metuo. ſic ipſe. Hæ cogitationes vtinàm eos condocefacerẽt; vel qui maculis cõtaminati facinorum multorum, nihilominùs Dei clementiam ſecuri pernimiùm expectant, vel qui probi cùm ſint, ſeſe permãſuroſin ſuâ probitate credunt: dùm viderint Cardinalem Bellarminum, virum

rum,qui aut ſemper ſine vitio,aut cùm virtute vixit,incertum fuiſſe tamen , an perpetuò eſset perſeueraturus in innocentiâ;nō eâ quidèm nouâ,ſed antiquâ & ſeneſcente. Præcereà fuit admiratione digna res,aſpicere quàmcogitatè facta vitæ anteactæ reputaret hoc momento vltimo; ſiquidem opera etiam virtutum heroicarum videbantur ei à verâ æſtimatione deficere.

Ex hoc genere ſolus ille occurſabat menti ſcrupulus , quòd ſe abdicaſſet Capuæ Archiepiſcopatu,vbi potuiſſet, vberiori annonâ caritatis , ſuam omnem induſtriam collocare,quàm fecerat Romę,vbi ſe tēporis compendium feciſſe interpretabatur vel tenue, vel nullum , tametſi procurationis ſuæ duxiſſet : quæcunque ad Eccleſiæ commune bonum iuuare potuiſſent. Sedenim rurſus in tranquillo ei animus erat, dum perpenderet abdicationem à ſe factā, vt ſummo Pontifici obtemperaret ,& quià ratus, licere, dùm Eccleſiam retinet , nec reſidet tamen , prouidentiam illius abijcere. Status conſcientiæ tàm innocens multoviſus eſt eminere admirabiliùs , quarto quàm ægrotauerat die: quando,ante Sanctiſſimam Euchariſtiam, ſacrâ exomologeſi animum expiaturus (quod refert P. Iacobus Minutulus, qui tùnc ei aures dedit) bis in ſeipſum inquirere inſtitit ; & cùm nec animi impos , & procùl ab acceſſione febrium eſſet , haud inuenit labeculas ullas vel minimas , in quas pronunciari abſolutio Sacerdotalis poſſet ; ſed tantùm noxæ adſcripſit

id, quod noxa non erat. Quocircà ei neceſſe fuit, rarâ penuriâ culpæ, quæſitas res generales, quas Sacramento aliàs aboleuerat, iterùm ſententiæ ſubijcere.

Mirum, ſed haud nouum id videbitur, referenti ſe ad ea, quæ narraui altiùs, & conſideranti accuratum illud ſtudium, quo ſe ad id tempus, pijs vt exercitationibus totus incumberet, deuouerat Deo. Manè ſtatim atquè expergiſcebatur, nihil aliud, quàm Breuiarium flagitare, penſum vt perſolueret horariæ precationis. Id quià Medicorum iuſſu negatum fuit; mox ipſe, illi cùm aderant, obteſtari, vt id ſibi vnum permitterent: etenim ſupereſſe vires, & animum dicebat, ac poſſe innocenter hoc à ſe agi, præſertim quià adſpiceret, ſe fraudari fine, cuius inuitatu conceſſerat in ſedes illas ſacras Ordinis ſui: nempè, vt ibi meditari, ſupplicare Deo, paginas pias euoluere, cetera Mundi negligere intereà poſſet. Addidit & illa inſupèr;
„ mihi videor deſinere iàm in virum profanum; Ho-
„ ras canonicas non recito; Sacrum omitto; contempla-
„ tione priuor; boni nihil quicquam ago; me corpore
„ hoc tantùm nutriendo, ſeruãdoq́ue impediri ſuſtineo,
„ à quo tamen, niſi animus me fallit, ſatis valeo. Tùm vt Roſarij ſaltèm ſibi poteſtas fieret, rogauit; & hoc etiàm voluiſſent Medici non permittere, ne capiti dolor & grauedo augeſceret, vt qui nouerãt quàm impensè in preces intenderet: ſed non auſi eo ſolatio priuare, & cõceſsêre eâ tantùm lege, vt interuallis diſtin-

ctis, & per decades oraret. Horis, in quibus vis febrium remitteret, & diebus, in quibus ſui potens erat, de rebus ſpiritualibus tantùm colloquebatur, & vt releuaretur animo, SS. Pontificum, & Confeſſorum hiſtorias legi cupiebat. Præcipuè verò audijt Seraphici S. Franciſci vitam integrato ſæpiùs fletu, eximiasque laudes, ac virtutes eius; ſuſpirijs ad perfectionem parem anhelans, & ad eam perpelli ſe auidè ſitiens. Quę deindè virtutum exempla hoc poſtremo actu exhibita ab eo fuerint, non facile eſt referre. Lenitas, & patiētia in perferendis morbi, curationumque moleſtijs inſignis fuit: inſignior commiſeratio ergà illos, qui ei tùm famulabantur. Nàm identidèm aiebat magno ſenſu; quid ego ſum, cuius causâ tot ſumptus fieri, tot adiri ærumnæ debeant? Meinè causâ ſollicitudine tantâ vrgeri ſeruos Dei, noctes vigiles ducere? ne quæſo hoc incommodi ſubeant; captent aliquam quietem; pro me, qui nimis homo nihili ſum, ne labores prodigant. Medicos item quatuor, Bernardinum Caſtellanum, intimum Gregorij xv. Pontificis, Angelum à Balneoregio, Laurentiū Rubium, & Filandrum Coluccium ægrè patiebatur, viæ longitudine, dùm ſe interuiſerent in extremâ Ciuitatis parte, præſertim accliui loco, fatigari. Cubiculi adiutores, & eos, qui à pedibus non iàm appellare famulos, ſed fratres; & iubere etiàm in ſui cuſtodiâ mutarent vices, prouidus erga neceſſitates ipſorum, dum ipſe in vltimâ labora-

boraret neceſſitate. Diſcruciabatur ex ariditate faucium, & gelidâos proluere Medici,prodeſſe etiam,nedùm intēperiem,æſtumq; minuere poſſe,pronūciarant. Attamen refrigerium hoc recuſauit; partim nè his,qui famulabantur labori, aut tædio foret; partim quòd triumpharet cum Domino ſuo Cruci adfixo ſitim ſuſtinere.

Paruit ſemper, ſiuè P. Generalis, ſiuè Medici quid iuberent,& quæ præſcripta ab eis,exequebatur prōptè; tametſi res forent quæ nauſeam crearent. Medicis idcircò iterabat; de me decernite vos,vti lubet,ero ſemper obſequens Diuinæ voluntati; ſed non poſſum, vobis quin feſtinem in domum meā. A cubiculi Adminiſtro permittebat ſe verſari,in quam partem vellet,alacritate mirabili: & in lectulo tàm verecundè ſitus, & tàm modeſtè erat, vt ad pietatem omnes,venerationemque perpelleret. Primis diebus cùm ei quiete opus eſſet, quotquot viſendi causâ venerunt, excuſato alieno tempore, dimittebantur, cunctique præter aſſuetos adire prohibiti ſunt. Sed vbi rumor increbuit de morbo lęthali, debuit ſpatium externis dari confluentibus frequentiâ magnâ,idque per omnem deindè ægritudinem, etiam ipſis extremis diebus,quandò ei quaſſa naturæ vis,& motus ſubdeficiens erat. Adeuntes cuiuſuis conditionis excepit, capite adaperto, adeò vt nec primus ante ipſos tegeret: & de rebus ſuis tàm abiectè,quaſi ſemet omnibus ignoraret modis,

per-

perpetuò loquebatur. Plurimi aduenere venerabundi, & in omne obſequium parati; quippè vt lectum eius contingerent, exoſcularentur, benedictionem flagitarent; & honores iſtiuſmodi patiebatur ipſe perindè atque ſenſu omni abalienatus; nec aliter quàm ſi ſtatua honoraretur. Coactus etiam, vt alijs bene precaretur, manum non ante ſuſtulit, quo ritè eam in Crucem duceret, quàm ſublatis oculis Patrem miſericordiarum, à quo benedictio vera deſcendit, prò eis imploraret. In hunc modum Præſules, Religioſos, Nobiles Viros plures benedixit, & generatim noſtram Societatem Vniuerſam, Ordinem Cœleſtinorum, Cœnobium. S. Martæ, & loca omnia, quorũ viuens patrocinia ſuſceperat. Benedictionem item cumulatiſſimam impertiuit, pro vt à varijs poſtulabatur, Sacro Romano Imperio, Catholicis Regnis, & eorum Principibus. Quin & ſupplicauit Deo quàm demiſſiſſimè, vt regiones affectas ab Hæreſis contagio liberaret. Item ab humilitate, quâ plenus erat MAPHÆO CARDINALI BARBERINO, qui iàm eſt SVMMVS PONTIFEX VRBANVS VIII. ſuadenti vellet de Cœlo Eccleſiæ adæque patrocinari votis, atque in terris doctrinâ, & moribus egerat; reſpondit, quod feci, tenuè admodùm id fuit, & nihil eſt quod iã ago: hinc haud equidẽ videor poſſe polliceri hoc de me; præſertim cùm non ſim ità comparatus, quẽadmodùm expoſtulat ſeuerũ Dei, ac verẽdum iudicium. Voluit is deindè venerationis

nis cauſâ ipſi manus exoſculari; ſed in hæc obſequia feſtinantem licet Cardinalis Bellarminus anteuertit, non ſine admiratione, tametſi ſummè debilitatus; & ei primus oſculum dedit: vt dici potuerit, cætera cùm æger eſſet, officijs tamen valere.

Inter primos ad eum contulit ſe, omiſsâ negotiorum mole, Gregorius XV. Summus Pontifex; quem ipſe reueritus, vt potè Chriſti Vicarium, quàm potuit obſequioſiſſimè vſurpauit Centurionis voces. *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum.* Ecquis ego ſum, quem adire Sanctitas tua voluerit? Pontifex peramanter bis eum amplexus, adueniſſem, inquit, libentiùs, vt ſanum inuiſerem. Poſt hæc pollicitus ei Sacrum prò valetudine, oſtendit ſperare ſe de ipſo etiàm fore, vt conualeſceret. Tùm dixit Cardinalis Bellarminus; „ ego ſi annos meos, & Dei beneficia diù computo, diù „ vixi: quippè qui expleui penè annum nonum ſuprà „ ſeptuageſimum. Vitam non cupio diuturniorem, ſed „ tantùm, vt Dei voluntas fiat. Orabò tamen, cùm ad „ Chriſtum Dominum, atque in Patriam venero, vt Tuę „ Sanctitati Deus ætatem parem huic meæ tribuat, prò „ bono Eccleſiæ ſanctæ ſuæ. Pontifex contrà pietate iuxtà, & humanitate ſingulari; mallem, inquit, vt Deus tuũ „ mihi meritum, quàm æuum daret. Bellarminus hęc admodùm confusè intelligens, vt qui ab auribus parum vigeret, proſequutus eſt vocare ſe inutilem ſenem, qui corrumperetur ſitu ità miſer cubando, ex quo & cupe-

cuperet, tanquàm onus terræ ſuperuacaneum, & vile aſportari aliò. Quæ,aliaque dùm ſereret,Pontifex,vltimum illum viſurus,denuò amplexus eſt, & perfuſus mutuis lacrymis abiuit. Interim Cardinalis Bellarminus hâc viſitatione recreatus eſt, ob eam cauſam etiàm, quòd veluti omen obitûs indè acceperit; ſecum reputás, Romę perſuaſionem eſſe, Cardinales eos mori, quos, dùm oblangueſcunt,Summi Pontifices interuiſerint. Ex eâ die arceri è numero Purpuratorum alij nequiuerũt; qui nõ per nuncios iàm agere,ſed ipſimet adeſſe, vt in Cœlum abeunti valedicerent, cupiebant, eiuſque ſe precibus commendarent. Venêre itàque,admiraturi in Viro egregio, laudatis veterum Sanctorum mortibus exitum parem; & eâ frequentiâ ſæpè adfuêre, vt vno die eum inuiſerint Cardinales decem, Et ſanè ità circumfuſus amplexibus Purpuratorum videri poterat, potiùs honorificè de vitâ migrare, quàm mori. Ex ijs quinque, qui vnâ fortè aderant, rogarunt in digreſſu, ab eo ſibi benedictionem impertiri: ſed abnuit ipſe,dictitans id ſe ab eis æquiùs expetere debere. Tùm illi,quandò hoc vnum poterant,lectum ipſius aduolui, & dextram certatim oſculis fatigare; cùm lacrymis non abſtinerent interim, nec inferiùs Purpurà ducerent, fletu tantam iacturam celebrare. E Sacro Collegio item non defuit, qui cùm ſemel eum, ac ſæpiùs adijſſet; poſtremò diſceſſurus, ſuper genua procubuit,& poſt oſcula, manum eius prehenſam oculis,

 & ca-

& capiti plenus venerationis admonuit. Intereà hís, qui circumſtarent adhuc maiori admirationi fuit, cùm Purpuratis illis abeuntibus, Cardinalis Bellarminus dixit, nouam obſequij ſpeciem hanc eſſe, vt alterutrùm benedictione ſe Cardinales impertiant. Cùm verò Aulici ſubderent, fortaſſis hæc peti, non quià Cardinalis, ſed quoniàm Archiepiſcopus erat, cuius eſt in eum modum alijs benè precari; tùm ipſe maiori ſimplicitate, ac innocentiâ dixit; haùd negauiſſem equidèm, ſi hoc illi nomine poſtulaſſent: adeò erat alienus à propriæ opinione virtutis. Hæc ampla Purpuratorum, & totius Vrbis ergà ipſum ſtudia, adhùc magis incitabant eos, qui ipſius curationi prçerant, vt adniterentur medicamentis, ſi quo modo poſſent, eius vitam fugientem retinere; & circumferebatur paſſim ea vox, eratque iàm in ore omnium; ſi humano ſanguine tanto damno vtique occurri poſſet; neminem fore, qui non eſſet libenter prò eo cruorem proprium effuſurus.

Mors eius.

CAPVT III.

DVM hoc agunt Medici conatu, & induſtriâ omni, vt in Cardinalis Bellarmini corpore noxium

æſtum

æſtum reſtinguant; Patres Societatis animæ procurationem, ipſius etiàm admonitu, haùd interim negligebant. Ideò, quià veriti nè ſi phreneſis excreſceret, ægro facultas adimeretur ſumendi ſacram ſinaxim, primùm de periculo eum condocefacere, quartâ, quàm ægrotauerat, die; dein offerre Cœleſte Viaticum. Sed Cardinalis ad hoc ſupereſſe ſpatium dixit, maluitque more conſueto alere ſe pabulo vitæ, cùm præſertim ea refectio ſupplere prò Viatico poſſet, ſi fortè vi aliquâ morbi vehementioris opprimeretur. In totâ verò ægritudine cœleſti eo cibo ter voluit veſci; precibus, meditationibuſque diſpoſito non corde minùs, quàm ore: & ſemper præſetulit tantam venerationem, vt nulla perſuaſio impetrare potuerit, nè lectulo digrederetur, & in genua humi procumberet. Sed vndecimâ die, cùm nocte totâ inquietas vigilias paſſus eſſet, & à læthalibus ſingultibus concuteretur, ſenſit ipſemet vitæ ſibi ruinam vltimam inſtare: ingeminare itàque illud cœpit; quid mihi differtis nuncium diù optatum, nuncium delectabile, quòd proficiſci debeam in domum meam? Cuperem enim ego me ad expeditionem hanc meliùs adornare: & ſic inchoatâ allocutione, ingenti ſuſpirio de repente congemuit dictitans; ô quam miſerè falluntur, qui cùm
„ perditè viuant, credunt poſſe ſe laudabiliter mori! Benè
„ viuere, ac benè mori ſatis congruunt: at vitam probro-
„ ſam honeſtus exitus rarò excipere ſolet.
„

tantem in morte, mortique inſultantem.

Inter hæc deſideria cœpere ſuas viciſſitudines, ſicuti de Sanctis Viris legitur, ſpes, & metus. Deum venerabatur, vt ab occultis mundaret ſe, & ab alienis parceret ſeruo ſuo. Quam ob cauſam iterauit illud ſæpiùs; ſolidum annum præoptaſſem, in quo feriatus ab occupationibus alijs, tantùm hoc agitarem vnum, vt animæ labes extergerem omnes, meque totum innocentiæ darem: quò ego ad mortem ità meditatus magis accederem. Parte ex aliâ morti ſe proximum, nec imparatum videns, nihil tàm verebatur, quàm nè rurſùs valeret, ac diutiùs viueret. Quippè alienus à ſui fiduciâ, ipſe agnoſcebat, haud ſe poſſe certò polliceri futurum, vt etiam impoſterum ſine noxâ perſeueraret; verſabatque animo vixiſſe aliquos annis non ità paucis cùm opinione Sanctitatis, & demùm ſuperſtites nimis diù incertâ iudicia de ſe reliquiſſe. Dicebat „ identidem; Dei beneficio ſatis comparatus mihi vi„ deor; quid moror ampliùs? Dei arbitria recta, & ſeuera „ equidem formido. Humana volũtas lubrica; & perſe„ uerantia Dei donũ eſt, ad quod merita noſtra non per„ tinent. Hãc vita diuturnior ne mihi adimat metuo. ſic ipſe. Hæ cogitationes vtinàm eos condocefacerẽt; vel qui maculis cõtaminati facinorum multorum, nihilominùs Dei clementiam ſecuri pernimiùm expectant, vel qui probi cùm ſint, ſeſe permãſuros in ſuâ probitate credunt: dùm viderint Cardinalem Bellarminum, virum

rum,qui aut ſemper ſine vitio, aut cùm virtute vixit, incertum fuiſſe tamen, an perpetuò eſset perſeueraturus in innocentiâ; nō eâ quidèm nouâ, ſed antiquâ & ſeneſcente. Prætereà fuit admiratione digna res, aſpicere quàm cogitatè facta vitæ anteactæ reputaret hoc momento vltimo; ſiquidem opera etiam virtutum heroicarum videbantur ei à verâ æſtimatione deficere.

Ex hoc genere ſolus ille occurſabat menti ſcrupulus, quòd ſe abdicaſſet Capuæ Archiepiſcopatu, vbi potuiſſet, vberiori annonâ caritatis, ſuam omnem induſtriam collocare, quàm fecerat Romę, vbi ſe tēporis compendium feciſſe interpretabatur vel tenue, vel nullum, tametſi procurationis ſuæ duxiſſet: quæcunque ad Eccleſiæ commune bonum iuuare potuiſſent. Sedenim rurſus in tranquillo ei animus erat, dum perpenderet abdicationem à ſe factā, vt ſummo Pontifici obtemperaret, & quià ratus, licere, dùm Eccleſiam retinet, nec reſidet tamen, prouidentiam illius abijcere. Status conſcientiæ tàm innocens multo viſus eſt eminere admirabiliùs, quarto quàm ægrotauerat die: quando, ante Sanctiſſimam Euchariſtiam, ſacrâ exomologeſi animum expiaturus (quod refert P. Iacobus Minutulus, qui tùnc ei aures dedit) bis in ſeipſum inquirere inſtitit; & cùm nec animi impos, & procùl ab acceſſione febrium eſſet, haud inuenit labeculas ullas vel minimas, in quas pronunciari abſolutio Sacerdotalis poſſet; ſed tantùm noxæ adſcripſit

id, quod noxa non erat. Quocircà ei neceſſe fuit, rarâ penuriâ culpæ, quæſitas res generales, quas Sacramento aliàs aboleuerat, iterùm ſententiæ ſubijcere.

Mirum, ſed haud nouum id videbitur, referenti ſe ad ea, quæ narraui altiùs, & conſideranti accuratum illud ſtudium, quo ſe ad id tempus, pijs vt exercitationibus totus incumberet, deuouerat Deo. Manè ſtatim atquè expergiſcebatur, nihil aliud, quàm Breuiarium flagitare, penſum vt perſolueret horariæ precationis. Id quià Medicorum iuſſu negatum fuit; mox ipſe, illi cùm aderant, obteſtari, vt id ſibi vnum permitterent: etenim ſupereſſe vires, & animum dicebat, ac poſſe innocenter hoc à ſe agi, præſertim quià adſpiceret, ſe fraudari fine, cuius inuitatu conceſſerat in ſedes illas ſacras Ordinis ſui: nempè, vt ibi meditari, ſupplicare Deo, paginas pias euoluere, cetera Mundi negligere intereà poſſet. Addidit & illa inſupèr;
„ mihi videor deſinere iàm in virum profanum; Ho-
„ ras canonicas non recito; Sacrum omitto; contempla-
„ tione priuor; boni nihil quicquam ago; me corpore
„ hoc tantùm nutriendo, ſeruãdoq́ue impediri ſuſtineo,
„ à quo tamen, niſi animus me fallit, ſatis valeo. Tùm vt Roſarij ſaltèm ſibi poteſtas fieret, rogauit; & hoc etiàm voluiſſent Medici non permittere, ne capiti dolor & grauedo augeſceret, vt qui nouerãt quàm impensè in preces intenderet: ſed non auſi eo ſolatio priuare, & cõceſsêre eâ tantùm lege, vt interuallis diſtin-

ctis

ctis, & per decades oraret. Horis, in quibus vis febrium remitteret, & diebus, in quibus ſui potens erat, de rebus ſpiritualibus tantùm colloquebatur, & vt releuaretur animo, SS. Pontificum, & Confeſſorum hiſtorias legi cupiebat. Præcipuè verò audijt Seraphici S. Franciſci vitam integrato ſæpiùs fletu, eximiasque laudes, ac virtutes eius; ſuſpirijs ad perfectionem parem anhelans, & ad eam perpelli ſe auidè ſitiens. Quæ deindè virtutum exempla hoc poſtremo actu exhibita ab eo fuerint, non facile eſt referre. Lenitas, & patiētia in perferendis morbi, curationumque moleſtijs inſignis fuit: inſignior commiſeratio ergà illos, qui ei tùm famulabantur. Nàm identidèm aiebat magno ſenſu; quid ego ſum, cuius causâ tot ſumptus fieri, tot adiri ærumnæ debeant? Meinè causâ ſollicitudine tantâ vrgeri ſeruos Dei, noctes vigiles ducere? ne quæſo hoc incommodi ſubeant; captent aliquam quietem; pro me, qui nimis homo nihili ſum, ne labores prodigant. Medicos item quatuor, Bernardinum Caſtellanum, intimum Gregorij xv. Pontificis, Angelum à Balneoregio, Laurentiũ Rubium, & Filandrum Coluccium ægrè patiebatur, viæ longitudine, dùm ſe interuiſerent in extremâ Ciuitatis parte, præſertim accliui loco, fatigari. Cubiculi adiutores, & eos, qui à pedibus non iàm appellare famulos, ſed fratres; & iubere etiàm in ſui cuſtodiâ mutarent vices, prouidus erga neceſſitates ipſorum, dum ipſe in vltimâ labora-

bora-

boraret neceſſitate. Diſcruciabatur ex ariditate faucium, & gelid âos proluere Medici, prodeſſe etiam, nedùm intẽperiem, æſtumq; minuere poſſe, pronũciarant. Attamen refrigerium hoc recuſauit; partim nè his, qui famulabantur labori, aut tædio foret; partim quòd triumpharet cum Domino ſuo Cruci adfixo ſitim ſuſtinere.

Paruit ſemper, ſiuè P. Generalis, ſiuè Medici quid iuberent, & quæ præſcripta ab eis, exequebatur prõptè;
„ tametſi res forent quæ nauſeam crearent. Medicis
„ idcircò iterabat; de me decernite vos, vti lubet, ero ſem-
„ per obſequens Diuinæ voluntati; ſed non poſſum, vo-
„ tis quin feſtinem in domum meã. A cubiculi Adminiſtro permittebat ſe verſari, in quam partem vellet, alacritate mirabili: & in lectulo tàm verecundè ſitus, & tàm modeſtè erat, vt ad pietatem omnes, venerationemque perpelleret. Primis diebus cùm ei quiete opus eſſet, quotquot viſendi causâ venerunt, excuſato alieno tempore, dimittebantur, cunctique præter aſſuetos adire prohibiti ſunt. Sed vbi rumor increbuit de morbo lęthali, debuit ſpatium externis dari confluentibus frequentiâ magnâ, idque per omnem deindè ægritudinem, etiam ipſis extremis diebus, quandò ei quaſſa naturæ vis, & motus ſubdeficiens erat. Adeuntes cuiuſuis conditionis excepit, capite adaperto, adeò vt nec primus ante ipſos tegeret: & de rebus ſuis tàm abiectè, quaſi ſemet omnibus ignoraret modis,

per-

perpetuò loquebatur. Plurimi aduenere venerabundi, & in omne obſequium parati; quippè vt lectum eius contingerent, exoſcularentur, benedictionem flagitarent; & honores iſtiuſmodi patiebatur ipſe perindè atque ſenſu omni abalienatus; nec aliter quàm ſi ſtatua honoraretur. Coactus etiam, vt alijs bene precaretur, manum non ante ſuſtulit, quo ritè eam in Crucem duceret, quàm ſublatis oculis Patrem miſericordiarum, à quo benedictio vera deſcendit, prò eis imploraret. In hunc modum Præſules, Religioſos, Nobiles Viros plures benedixit, & generatim noſtram Societatem Vniuerſam, Ordinem Cœleſtinorum, Cœnobium. S. Martæ, & loca omnia, quorũ viuens patrocinia ſuſceperat. Benedictionem item cumulatiſſimam impertiuit, pro vt à varijs poſtulabatur, Sacro Romano Imperio, Catholicis Regnis, & eorum Principibus. Quin & ſupplicauit Deo quàm demiſſiſſimè, vt regiones affectas ab Hæreſis contagio liberaret. Item ab humilitate, quâ plenus erat MAPHÆO CARDINALI BARBERINO, qui iàm eſt SVMMVS PONTIFEX VRBANVS VIII. ſuadenti vellet de Cœlo Eccleſiæ adæque patrocinari votis, atque in terris doctrinâ, & moribus egerat; reſpondit, quod feci, tenuè admodùm id fuit, & nihil eſt quod iã ago: hinc haud equidẽ videor poſſe polliceri hoc de me; præſertim cùm non ſim ità comparatus, queadmodùm expoſtulat ſeuerũ Dei, ac verẽdum iudicium. Voluit is deindè veneratio-

nis

nis cauſâ ipſi manus exoſculari; ſed in hæc obſequia feſtinantem licet Cardinalis Bellarminus anteuertit, non ſine admiratione, tametſi ſummè debilitatus; & ei primus oſculum dedit: vt dici potuerit, cætera cùm æger eſſet, officijs tamen valere.

Inter primos ad eum contulit ſe, omiſsâ negotiorum mole, Gregorius XV. Summus Pontifex; quem ipſe reueritus, vt potè Chriſti Vicarium, quàm potuit obſequioſiſſimè vſurpauit Centurionis voces. *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum.* Ecquis ego ſum, quem adire Sanctitas tua voluerit? Pontifex peramanter bis eum amplexus, aduenissem, inquit, libentiùs, vt ſanum inuiſerem. Poſt hæc pollicitus ei Sacrum prò valetudine, oſtendit ſperare ſe de ipſo etiàm fore, vt conualeſceret. Tùm dixit Cardinalis Bellarminus;
„ ego ſi annos meos, & Dei beneficia diù computo, diù
„ vixi: quippè qui expleui penè annum nonum ſuprà
„ ſeptuageſimum. Vitam non cupio diuturniorem, ſed
„ tantùm, vt Dei voluntas fiat. Orabo tamen, cùm ad
„ Chriſtum Dominum, atque in Patriam venero, vt Tuę
„ Sanctitati Deus ætatem parem huic meæ tribuat, prò
„ bono Eccleſiæ ſanctæ ſuæ. Pontifex contrà pietate iux-
„ tà, & humanitate ſingulari; mallem, inquit, vt Deus tuū
„ mihi meritum, quàm æuum daret. Bellarminus hęc admodùm confusè intelligens, vt qui ab auribus parum vigeret, proſequutus eſt vocare ſe inutilem ſenem, qui corrumperetur ſitu itâ miſer cubando, ex quo & cupe-

cuperet, tanquàm onus terræ ſuperuacaneum, & vile aſportari aliò. Quę, aliaque dùm ſereret, Pontifex, vltimum illum viſurus, denuò amplexus eſt, & perfuſus mutuis lacrymis abiuit. Interim Cardinalis Bellarminus hâc viſitatione recreatus eſt, ob eam cauſam etiàm, quòd veluti omen obitûs indè acceperit; ſecum reputás, Romę perſuaſionem eſſe, Cardinales eos mori, quos, dùm oblanguescunt, Summi Pontifices interuiſerint. Ex eâ die arceri è numero Purpuratorum alij nequiuerũt; qui nõ per nuncios iàm agere, ſed ipſimet adeſſe, vt in Cœlum abeunti valedicerent, cupiebant, eiuſque ſe precibus commendarent. Venêre itàque, admiraturi in Viro egregio, laudatis veterum Sanctorum mortibus exitum parem; & eâ frequentiâ ſæpè adfuêre, vt vno die eum inuiſerint Cardinales decem. Et ſanè ità circumfuſus amplexibus Purpuratorum videri poterat, potiùs honorificè de vitâ migrare, quàm mori. Ex ijs quinque, qui vnâ fortè aderant, rogarunt in digreſſu, ab eo ſibi benedictionem impertiri: ſed abnuit ipſe, dictitans id ſe ab eis æquiùs expetere debere. Tùm illi, quandò hoc vnum poterant, lectum ipſius aduolui, & dextram certatim oſculis fatigare; cùm lacrymis non abſtinerent interim, nec inferiùs Purpurâ ducerent, fletu tantam iacturam celebrare. E Sacro Collegio item non defuit, qui cùm ſemel eum, ac ſæpiùs adijſſet; poſtremò diſceſſurus, ſuper genua procubuit, & poſt oſcula, manum eius prehenſam oculis,

& capiti plenus venerationis admouit. Intereà his, qui circumſtarent adhuc maiori admirationi fuit, cùm Purpuratis illis abeuntibus, Cardinalis Bellarminus dixit, nouam obſequij ſpeciem hanc eſſe, vt alterutrùm benedictione ſe Cardinales impertiant. Cùm verò Aulici ſubderent, fortaſſis hæc peti, non quià Cardinalis, ſed quoniàm Archiepiſcopus erat, cuius eſt in eum modum alijs benè precari; tùm ipſe maiori ſimplicitate, ac innocentiâ dixit; haùd negauiſſem equidèm, ſi hoc illi nomine poſtulaſſent: adeò erat alienus à propriæ opinione virtutis. Hæc ampla Purpuratorum, & totius Vrbis ergà ipſum ſtudia, adhùc magis incitabant eos, qui ipſius curationi prçerant, vt adniterentur medicamentis, ſi quo modo poſſent, eius vitam fugientem retinere; & circumferebatur paſſim ea vox, eratque iàm in ore omnium; ſi humano ſanguine tanto damno vtique occurri poſſet; neminem fore, qui non eſſet libenter prò eo cruorem proprium effuſurus.

Mors eius.

CAPVT III.

DVM hoc agunt Medici conatu, & induſtriâ omni, vt in Cardinalis Bellarmini corpore noxium

æſtum

æſtum reſtinguant; Patres Societatis animæ procurationem, ipſius etiàm admonitu, haùd interim negligebant. Ideò, quià veriti nè ſi phreneſis excreſceret, ægro facultas adimeretur ſumendi ſacram ſinaxim, primùm de periculo eum condocefacere, quartâ, quàm ægrotauerat, die; dein offerre Cœleſte Viaticum. Sed Cardinalis ad hoc ſupereſſe ſpatium dixit, maluitque more conſueto alere ſe pabulo vitæ, cùm præſertim ea refectio ſupplere prò Viatico poſſet, ſi fortè vi aliquâ morbi vehementioris opprimeretur. In totâ verò ægritudine cœleſti eo cibo ter voluit veſci; precibus, meditationibuſque diſpoſito non corde minùs, quàm ore: & ſemper præſetulit tantam venerationem, vt nulla perſuaſio impetrare potuerit, nè lectulo digrederetur, & in genua humi procumberet. Sed vndecimâ die, cùm nocte totâ inquietas vigilias paſſus eſſet, & à læthalibus ſingultibus concuteretur, ſenſit ipſemet vitæ ſibi ruinam vltimam inſtare: ingeminare itàque illud cœpit; quid mihi differtis nuncium diù optatum, nuncium delectabile, quòd proficiſci debeam in domum meam? Cuperem enim ego me ad expeditionem hanc meliùs adornare: & ſic inchoatâ allocutione, ingenti ſuſpirio de repente congemuit dictitans; ô quam miſerè falluntur, qui cùm
" perditè viuant, credunt poſſe ſe laudabiliter mori! Benè
" viuere, ac benè mori ſatis congruunt: at vitam probro-
" ſam honeſtus exitus rarò excipere ſolet.
"

Intereà Mutius Vitelleſcus Generalis, de periculo certior factus, tandem ei horam, quam optauerat, nunciauit. Tùm ipſe, vt ſapiente dignum erat, mortem etiam lætus admittens, & ſuperfundenti ſe lætitiæ vix temperans, ter illud congeminauit: ô lætum nuncium, ô nuncium optabile: non eſt quòd curas alias iam agitem; voluiſſem, fateor, annum integrũ in hoc loco ad profectionem hanc me comparare: ſed quoniam me iam Deus vocat, libens vocantem ſequor, & obſequor iubenti. Sic vitæ quæ antè fuerant, vota præoccupauit in eo mors; cuius enunciationem haùd alio, quàm qui è morbi periculo euaſit, vultu, accepit; nec ſolùm animo indè gratũ ſolatiũ; ſed corpori propè ſalubre gaudium cœpit. Poſt hæc excuſauit rei familiaris paupertatem, doluitque non plus peruenturum ad Domum Profeſſorum Societatis, quam inſtituerat hæredem. Optaſſem, inquit, ſubſidij aliquid ei „ relinquere, vt ab ære alieno leuaretur: ſed metuo, nè „ ſim detrimento potiùs; tàm eſt parum, quod mihi do- „ mi ſuperat. Tùm admonuit P. Mutius, vt bono animo eſſet, Societatis homines, memoriam ipſius intuentes, ad cætera caligare: imaginem vitæ eius ipſis relinqui, & in eâ quidquid boni amauerant, quidquid mali etiã admirati fuerant: hoc verò eos pluris facere, quàm emolumentum vllum hæreditarium. Deinceps Cardinalis Bellarminus hoc habuit perpetuum, vt preces varias ex Hymnis Dauidis recitaret, vel audiret pios

obi-

obitus Sanctorum legi, & mortem inprimis S. Caroli Borromæi; ac fuit ſolatium intelligere, morbo eum ſimili amotæ mentis emigraſſe.

Tēpus vbi viſum eſt appetere, quo Viaticum ſumeret peregrinationis ſuæ, ſeque aduerſus viæ diſcrimina præmuniret; Patres Societatis quia ſemel, iterumque viderant humi cibum venerabilem adorare, metuentes ne parem iam conatum natura ſubdeficiens cùm periculo moliretur, rogarunt ne lecto decederet: ſed fuit potentius in eo ſtudium obſeruantiæ ergà communem Dominum, quàm imminens ex eâ iactatione diſcrimen, aut dolor. Quippè à primo conſpectu Sacramenti, ſupplente vires animo, ſtatuit humi ſe ingenuâ celeritate mirabili, eoque ſitu generalem Confeſſionem recitauit, ac Cæleſtem Dominum in pectus, & cor tranſmiſit. Pôſt, lacrymis manantibus, & quaſi linquente animo in Socios, à quibus tenebatur, incubuit, & in eâ defectione videbatur vſurpare illa; *Defecit in ſalutare tuum anima mea: & in verbum tuum ſuperſperaui. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum: dicentes, quandò conſolaberis me?* Tollentes itàque ſopitum vel dolore morbi, vel ſapore cibi delectabilis, lecto eum reddiderunt: in quo adductis auleis moras aliquas piè meditaturus quieuit, quò poſſet meliùs ad robur concipi animâ fortitudo cibi ſalutaris.

Horæ aliquot vix erant elapſæ; cùm flagitauit, vt extre-

tremo Sacramẽtorũ armaretur, inungereturq; causâ vltimi conflictûs. Et tùm pronũciauit diſtinctè omnia, veniã eorũ, quæ peccauerat, deprecãs moriturus. Ab eo momẽto voluit in imâ parte lecti, in quã oculi directè abeũt, collocari amabilẽ iuxtà, miſerabilemq; Domini ſui in Cruce pendentis effigiem: vt vita, quæ paulatim collabebatur, ante Crucis aram caderet, inueniretúrque abſcondita cùm Chriſto in Deo. Et ſemper deinceps, aut viſus eſt cũ eo agere dulciſſimè; aut eſt auditus de morte adproperante perindè, atque de nuptijs loqui.

Interturbabat pacem hanc ſolummodò cogitata paupertas, & metus, nè Societatem hæredem deiuuaret potiùs ob expenſas funeris. Tametſi enim Teſtamento cauerat, vt ſumptus pro exequijs minuerentur, Pontificem in eo venerans, ac rogans, permitteret piaculare officium, cui à Defunctis nomen, ſibi abſque pompâ, & conſeſſu Sacri Collegij, à ſolis Religioſis noſtri Ordinis recitari: atque inſuper à Præpoſito Generali petierat, vt in communi ſepulchro Sacerdotum noſtrorum tumularetur; quemadmodùm de B Laurentio Iuſtiniano eius hiſtoria perhibet: nihilominùs cogitabat, futurum adhùc arduum negotium ex totâ hæreditate exprimere tùm aureos quingentos, quos pẽdi ab hæredibus mos eſt, annulus dùm refertur, quò Cardinales initio cùm Purpurâ ornãtur; tùm ſummas minores alias, quæ ſolui debent, quandò Purpurati Romæ obeunt. Ideò deliberauit Cardinalis

S.Su-

S. Suſannæ operâ prò hâc re vti, cuius amicum pectus ſæpenumerò expertus erat: ceſſitque res, vt optauerat: nàm is à Pontifice eius totius ſummæ, quæ eſt prò annulo, gratiam impetrauit. Hinc ab eâ moleſtiâ liber cœpit magis in tranquillo eſſe animus eius: profeſſus etiàm Cardinali eidem obſtringi ſe vtiquè obligatione magnâ.

Quædam alia dein propoſita ſunt, vt de eis quoque diſponeret; itaque legatum, quod deſtinauerat Eccleſiæ S. Mariæ in Viâ Tituli olim ſui, addixit Titulo S. Praxedis, quem ad illud tempus obtineret. Prætereà quià Teſtamenti Curatorem Cardinalem Petrum Aldobrandinum nominauerat pridem; huic nempè Auunculo, ſubrogari Cardinalem Hippolytum Aldobrandinum optauit. Poſt hæc iterùm cũ Superis, & cũ Deo agere, atque à prouiſo ſibi Crucis ſimulacro non amouere oculos; niſi vt ſubindè ad circũſtantes rediret animo; aduentantes ſalutaret, valediceret omnibus, ſuffragia & piacularia ſacra peteret à plurimis, amplexaretur aliquos caritate ſummâ, præcipuè verò ſolaretur dulciſſimos Socios; pollicitus, dùm in Cœlum iret, ipſos in ſuâ mente, & corde ſecùm ituros, nec futurum vnquàm, vt poſſet eorum obliuiſci,

Intererat P. Andreas Eudemon Ioannes, intimâ cõſuetudine, vir ei apprimè carus. Amicum itaque amplectens tenerrimè, pectori eius, vltimas eas preces reliquit; vt, Libros fortè cùm imprimeret aduersùs

Hære-

Hæreticos,hæc affirmaret: decedere ſe cùm eâdem Fide,cùm quâ vixerat, & pro Eccleſiæ defenſione quæ ſcripſerat, non modò iterùm dici à ſe, ſed credi perfectè,vti cõcepta priùs animo,quàm calamo. Porrò,vt huius teſtimonium rei extaret, documentum conſtátiſſimæ eius ad vltimam ſenectam Fidei,P. Andreas verba ipſius in codicem retulit, ac inſupèr ſubſcribi voluit ab his, qui tùm aderant;& ſe habet in hunc modum ſyngrapha, iurata coràm publico Scribâ.

„ Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus proximè moriturus,IV.Idus Septembr. anno M.DC.XXI. mihi Andreæ Eudæmon Ioanni è Societate IESV iniunxit, vt teſtificarer,quæ ipſe cuncta pridem ſcripſerat,ediderat-que pro Fidei, & Religionis Catholicæ defenſione, ea rursùs affirmare, & cùm eâdem Fide, quam tutatus fuerat, mori. Item quoad opiniones de Auxilijs Gratiæ Dei, quæ inter Scriptores Societatis IESV, & Catholicos alios Auctores hodieque agitantur, rata omninò habere, & credere ſe dediſſe veritati, quæ in libris Controuerſiarum habet; nequè ſententiam primam circa eas mutauiſſe. Huic verò eius poſtulationi rogati à me ſunt, vt nomen adderent ſcripto ſuo tres Cardinalis ipſius Agnati,Fratriſque,ſeù Sororis filij,Abbas Nicolaus Bellarminus, Marcellus Ceruinus,P. Fabius Bellarminus;duo inſuper cubiculi eius Adminiſtri,& quinque alij noſtri Ordinis Religioſi, qui tùm aderant.Intereà diſſipatur Vrbe totâ,cùm omnem curã

vin-

vinceret ægritudo, vitam Cardinalis Bellarmini inter extrema labi, omnibus admirantibus ſic accelerari, quæ triſtes audirent. Non alia tùm erat materia ſermonum inter Magnates, & priuatæ conditionis homines, nec in triuijs, in foro, in domibus alia ferebantur, quàm pietas, caritas, & cæteræ virtutes illius, & paſſim, quià paupertati ſubleuandæ mirè obſequens fuerat, PATER PAVPERVM appellabatur. Venêre ad S. Andreæ viri omnium Ordinum effuſè adeò, vt ab eis haud potuerint aditus cuſtodiri. Quarè ingreſſi cœpere oculis haurire gratum illud ſpectaculum, nec ſatiari tamen, & cùm viderent, modò eum oculis clauſis cœleſtia contemplari, & tantùm tenui voce, quàm proximi vix audirent, colloqui cùm Deo; modò clarè his, qui aderant verba Vitæ Æternæ, velùt hæreditarij muneris loco, diuidere; haud ſibi temperare potérant, quin meritis eum laudibus onerarent. Affirmabant quoq; in cubiculo illo ſenſum neſcio quem experiri ſe pietatis, cùm ex vultu eius emicare ſanctitas videretur, & aura ipſa loci conſecrari verborum ſono, atquè halitu ſuſpiriorum eius. Pluribus intrare illuc, niſi caſtè ſanctèque, religio erat; nec fuêre pauci, quibus pius hic animi ſenſus eliciebat lacrymas. Sed argumenta venerationis illuſtria præcunctis fuerint, quòd cùm adniterentur cuncti aliquid ex vtenſilibus eius ſecùm indè, vti Reliquias, referre, & iàm Roſaria; pilei pariter, ac pileoli, & quæ ſunt eius

generis, aut diſtributa eſſent omnia, aut deſtinata varijs; tùm nocturna capitis tegmina, linea ceruicalium puluillorum inuolucra, manicas ſubuculæ, ac nodos breui ſurripuere tàm auidè, quàm non aurum, aut gemmas poſſent. Cardinales etiàm, & Præſules Magni prò ſe varia quiſque flagitârunt, vt iàm non ſupereſſet ampliùs, quod tribui poſſet. Caprarolæ agens ad amœnitatem Odoardus Cardinalis Farneſius, qui vti afficiebatur ſummoperè ergà Bellarmini Sanctitatem, voluerat non ità pridem eius manibus inaugurari Epiſcopus Sabinenſis; per epiſtolam P. Iacobo Minutulo ſcriptam, aut Coronam, aut Breuiarum eius poſtulârat; & cùm is reſcripſiſſet, Patres prò ipſo Breuiarium attinere; in hunc modum nouas ad eum literas dedit.

„ Cùm ſenſu animi magno legi litteras tuas; ſiquidèm cognoui de iacturâ, quam pati debemus, ſublato „ è viuis optimo Cardinali Roberto Bellarmino; & ſi, „ qui ipſum diligunt, ſolatij cauſam indè habent, quòd „ ipſe ſit terras cùm Cœlo commutaturus. Dolor hic „ meus nihil quicquàm imminuit obligationem, quâ „ tibi plurimùm debeo; tùm quòd obſequia mea ei, ve„ nerationemque detuleris, ac certum me reddideris de „ factâ Breuiarij eius deſtinatione; tùm verò quòd de „ ſtatu ægritudinis, deque apparatu ſcripſeris, quò ſe „ adornauit, vt in Cœlum eat, & de effuſâ iàm fragrantiâ „ ſanctimoniæ ipſius. Oro quæſoque, vt ſubindè, dùm

» viuet, ſuggeras ei ſingularem obſeruantiam meam;
» ſubſidium quoquè poſcas, quod mihi ominor præſen-
» tiſſimum ex precibus eius, cùm in noſtram veram
» Patriam immigrauerit; non vt rependat modò viciſ-
» ſitudinem ſtudio huic meo; verùm etiàm, quià ex cha-
» ractere, quem in animâ gero, ipſius creatura ſum, &
» ideò velim impetret mihi, vt impoſterùm vtar meliùs
» donis, quibus Deus me copioſè adeò cumulauit. Præ-
» tereà hoc precor, vt pòſt eius felicem exitum, mei cau-
» ſâ, id capias incom modi. In cõmentarios breues con-
» geras, quæ dixerit, aut fecerit, tùm in omni ægritu-
» dine, tùm in horâ poſtremâ huius vmbræ mortis: cer-
» to enim mihi perſuadeo materiam, vberem adfuturam,
» tibi vndè ſcribas, & mihi vndè diſcam. Hoc pacto ſen-
» ſus illos faciliùs euincã, quibus humana infirmitas ca-
» rere in ſimili iacturâ ægrè poteſt. Interim tibi ex animo
» me offero. Caprarolæ IV. Idus Septemb. M. DC. XXI. De-
» indè adiecit manu ſuâ; Doleo ſanè ex animo, ex iactu-
» râ, quæ nobis imminet: ſed ex famâ recreor, quæ cœp-
» ta eſt de tanti Viri ſanctimoniâ paſſim audiri. Sic ipſe.

Cardinalis Bellarminus verò (vt in eo laudes animi tùm non ægrotarunt) cùm obſequioſa hæc aduersùm ſe officia tanti Principis inaudiuit; ſtatim innumera, tùm ipſius, tùm gentis Farneſiæ totius in Societatem IESV, in ſe, atquè maiores ſuos beneficia commemorare; ac dolere ſe gratijs referendis, quibus parem animum haberet, voces, & vires impares habuiſſe:

buiſſe ſemper. Simili ſtudio gratitudinis etiam, quià intellexit inter Patronos Collegij Iuuenum Germanorum adlectum Franciſcum Cardinalem Boncompagnium; gauiſus eſt, nobiliſſimę Nationi, cuius bono ſemper fauerat, hoc honoris acceſſiſſe, vt Patronum eum haberent, qui Gregorij XIII. referens virtutem cùm genere, poſſet eis deſiderium iàm pridèm amiſsi Fundatoris, & Parentis compenſare. Et tùm pariter de huius quoquè optimi Pontificis ergà Societatem vniuerſam, deindè verò ergà Nationes Mundi omnes, caritate ac beneficentiâ memorauit multa.

E rebus, quas vtendas habuerat, Noſtris haud integrum erat cunctis gratificari. Et ideò, cùm deliberatum haberent multi, pio aliquo pignore eius locupletari, miſere ipſimet pileolos, Cruces argenteolas, Roſaria, veſtes linteas, tantâ copiâ, vt ſit conſtans opinio, ſolos pileolos, partim rubros byſſinos, partim albos lineos, datos, vt ſolo eius contactu ſanctitatem, & meritum lucrarentur, fuiſſe numero centum, & quinquaginta. Hoc ſtudio, indumentis ſublatis, quibus ipſe amiciebatur interiùs; indui thorace, femoralibus, tibialibusque ex veſtiario communi Societatis depromptis, mortuus deindè debuit; quoniàm ei iam propria non ſuppeterent. Quadratus pileus purpureus paritèr ab vno ex Cardinalibus, qui vicinis ædibus habitaret, comodatò acceptus eſt; verùm eâ lege,

vt

vt procurato dein funere, quippe jam ex vſu pretioſior ei reſtitueretur. Tametſi autem è numero Purpuratorum ad ipſum confluerent adeò frequentes, adhuc paucioribus lacrymis compoſitus eſt: defuere enim aliqui, & inprimis Odoardus Cardinalis Farneſius, atque Alexander Cardinalis Vrſinus; qui tùm abſentiam ex Aulâ ægrè propterea tolerarunt, voluiſſentque nouiſſimâ in luce ſiſtere ſe oculis eius, acciperéque, vt oracula ipſius vltimas voces.

Auxit venerationem etiàm, quòd triduò quàm obiret, Medici, vt ei grauedine caput releuarent, admotis hirudinibus ad venas ſub vtramque aurem, ſanguinem mitti voluerunt: ſed medicamentum hoc, aliorũ pietati potiùs, quàm ipſius ſanitati parabatur. Æger, quamdiù lentitudo curationis durauit, immotus & defixus oculis in Cruce manſit; interim verò Medici, & qui aderant omnes, albis ſudariolis certatim excepere ſanguinem, qui ex hirudinum hauſtu, perpetuum eum diem, & noctem inſequentem, haùd ſiſti ſic potuit, quin aliquantulum flueret: & morbus nihilominùs ex eo non remiſit. Quarè cùm vita eius iret in deterius, à Põtifice poſtulatum eſt ipſius nomine, vt ſacram ei benedictionem, cùm indulgentiâ piaculari luſtrante vitã anteactam omnem impertiret. Atquè hanc ipſe aperto capite, & generali confeſſione ritè obitâ, accepit venerabundus, vt donis cœleſtibus cumulatus in Cœlum iret. Prædixerat ſæpè, ſibi ſpem

eſſe

eſſe nimirùm, fore vt obiret ſextâ Feriâ, ac ipſo die S. Franciſci admirandis vulneribus ſacro; fortaſſe, vt non deeſſent morituro ad ſpectaculum, ex geminâ eius diei recordatione, vel amoris vulnera, vel doloris. Hoc ſi deſiderium fuit, annuit euentu ſecundiſſimo Deus; ſi oraculum, cùm prædictione cunctâ congruerunt. Etenim, dùm intenderet ſe nox Feriæ quintæ, quæ fuit XVI. Cal. Octobris, hoc eſt pridiè eius Celebritatis, horâ ab occaſu Solis circiter tertiâ, cœpit animam agere. Accurrere illicò Patres, quotquot in eo domicilio inueniebantur, vt horâ illâ decretoriâ æternitatis hoſpitem, & ſocium egregium iuuarent, ac luctanti animæ facilem, & pium exitum precarentur. Durante tractu, & lentitudine mortis, tametſi frigeſcerent pedes manuſque, & ab extremis cedens vita paulatim arctaretur; tamen ferè ad finem vſque feruido & compote mentis pectore os illud Sacerdotale ſacrificia laudis immolauit Deo. Verſus Pſalmorum tempori aptos piè admodùm vſurpabat; Pſalmum totum quinquageſimum, Apoſtolorũ Symbolum, Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, clarè ac diſtinctè recitauit ſæpiùs; ſubindè ijs interponẽs ſuauiſſima IESV, & MARIÆ nomina, & per interualla etiàm illud. *Sancta* MARIA *Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc, & in horâ mortis noſtræ.* Sed-enim ſpectaculum ſuauiſſimum erat, intueri exoſculantem Chriſti Domini è Cruce pendentis effigiem.

Quippé

Quippè eam arctiſſimè complexus, ſatis indicabat, quàm impensè amaret Seruatorem vitæ ſuæ. Quem deniquè cùm vellet vltimis obſequijs venerari, ſtricto ſimulacro ſalutiferæ Crucis reuelatum manu tremebundâ caput ſemel, iterumq́; conſignauit. Poſteà Crucem eandem ſuperponere humeris, quaſi cùm eâ facturus iter, conatus eſt. Demùm ſuprà pectus, ſubter lintea, collocauit; cor euocaturus, vt per ea vtique vulnera immoreretur Deo ſuo: & moribundas manus in his obſequijs reliquit. Indicijs tantæ pietatis vita Cardinalis Bellarmini peruenerat ſub Auroram XV. Cal. Octobris, quæ ei ortus haùd dubiè lucis lætiſſimæ fuit: cùm ſimul obſcurari oculis cœpit, vt in Cœlo videns efficeretur; ſimul loqui deſijt, & tantùm, ſi quæ dicerentur clariùs, intelligere videbatur. Tùm, qui erant in genua prouoluti circà lectum eius, potuêre ſecuriùs Roſarijs, icunculis, & alijs pijs ſymbolis eum onerare, vt hæc virtutē exeuntem cùm animâ acciperent, & retinerent viri ſanctitatem. Atque ità ſine laterum vexatione, ſine ſpiritûs angore, ac penè immotus, ſed ſpirās tamē, à Generali Pręposito inuentus eſt, & à plurimis, qui ex diuerſis Domicilijs Societatis, die illuceſcente conuenerunt, vt Amico in Cœlum proficiſcenti benè precarentur; pauloque pòſt, nullo ſigno paucfactus, ac ſine deprauatione vultûs, tranquilliſſimè defecit; vnâ horâ circiter pòſt exorientem Solem; anno M. DC. XXI. cùm ei deeſſent

dies

dies decem & ſeptem, vt attingeret annum vitæ octogeſimum, VI. Feriâ, in quam incidit anniuerſaria celebritas Stigmatum S. Franciſci, per omnia ſortitus exitum, qualem optauerat, & planè dignus, qui, & ſi peruixit ad ſummam ætatem, omnium Ordinum fletu, tanquàm id fuiſſet breue ſpatium vſibus Eccleſiæ, ploraretur. Poſtquàm expirauit, velùt emerſo ab admiratione animo; cùm plerique, qui aderant, ſtetiſſent ſilentio defixi, libero conqueſtu coortæ voces, & lacrymæ manârunt, vt intereà, dùm prò eo vſitatæ preces recitarentur, nequè ſingultibus, nequè oſculis parceretur. Sic in ſedes piorum digreſſus eſt Cardinalis Bellarminus, vir qui vitâ, & morte conſentaneus, coniunxit rarò miraculo doctrinam ſummam, & ſummam humilitatem; prudentiam maximarum rerum effectricem ad obſequium Dei, & penè pueri ſimplicitatem; ſingularem clementiam, & mentem retinentiſſimam æqui; ſecretum animi aſſiduum ad ſtudia priuatæ pietatis, & negotium perpetuum, ac varians ad Eccleſiæ communem vtilitatem; deniquè conſuetudinem agendi ſepoſitam ab omni labe Aulicæ ſimulationis, & plenam tamen apud Principes omnes exiſtimationis venerandæ: cùm agnoſcerent cũcti laruâ ipſum non vti, quoniã faciem verã haberet virtutis. Hinc meritò à plurimis norma Religioſorum; Antiſtitum exemplar; Purpuratorum lumen; Eccleſiæ Magiſter ſalutabatur, & ex eo factum etiàm,

vt, inter cæteros, Cardinalis Vbaldinus colligens, quæ de eius laudibus dixerat fuſè, doctrinâ Sanctis Eccleſiæ Doctoribus parem; virtute ſpeculum ſanctimoniæ; Purpurâ formam Eccleſiaſticorum nominârit.

Vt pauca de corporis quoque lineamentis dicam; ſtaturâ fuit, quæ ad mediocrem accederet; frontem habuit latam; oculos viuaces & iucundos; naſum leniter incuruum, prægrandes aures, & os decens; capillos in capite ſpiſſos, albentes in ſenio, in priore ætate nigros; barbam aliquantulò rariorem; carnem rubicundam, & candicantem; humorum temperiem, aut cùm exceſſu nullo, aut declinantem nonnihil ad iram, naturamque præferuidam. Valetudine ad hæc vſus non improſperâ, & cerebri vi temperatâ, idoneâque laboribus aſſiduis ſtudiorum, negotiorumque perferendis. Cæteris verò membris æqualis & congruens, ſic vultu & inceſſu toto ferebatur, vt non aliud ferè potuiſſet Modeſtia ipſa magis aptum ſui formare ſimulacrum. In Commentario publico, in quem referunt eos, qui obeunt in Purpurâ, his verbis eſt eius deſcripta mors. *Die* XVII. *Septembris* M. DC. XXI. *Reuerendiſsimus* D. ROBERTVS BELLARMINVS *Presbyter Cardinalis de Monte Politiano, ex venerabili Societate* IESV *hâc die, horâ duodecimâ, de Regione mortuorum trăſiuit ad Regionem viuorum. Vir clariſsimus, Theologus eminentiſsimus; ac Fidei Catholicæ propugnator acerrimus, Hæreticorum malleus, æquè pius, prudens, humilis, ac ſum-*

mè eleemoſinarius. Sacrum Collegium Cardinalium, ac vniuerſa Curia Romana, tanti viri amiſsionem non ſine lacrymis, maximè indoluere.

Honor, & frequentia ad Exequias, & ſepulturam eius.

CAPVT IV.

STATIM ab obitu, quò Populi concurſus declinaretur, per Pomarij inferioris oſtium corpus eius in Profeſſorum domum delatum eſt, vbi priuato in cubiculo latuit, obſeratis foribus, dùm gypſo imaginem eius, ſolatio poſteris futuram exprimerent plaſtæ. Aperto eo deindè, nullâ vi, aut arte populus inhiberi potuit, dùm enim aditum alij, atquè alij impetrant, eoſque vti fit conſequuntur multi, paulatim liber acceſſus omnibus factus eſt, nec ante primã circiter obſcuræ iàm noctis horam viſendi eum copia negari potuit. Aduenere porrò indiſcriminatim ſummæ, & mediæ conditionis varij; Præſules multi, & ex Purpuratis item aliqui; nec venerabantur modò vniuerſi, ſed cõtingere prò ſe quiſque victrices manus cõtendebant. Ex quo Præſul quidam primæ notæ nixus genibus dextræ eius pollicem indicemq;, quos prò fide Catholicâ vt ſcriberent, Deus ità gladio armauerat Verbi Sancti ſui, am pliùs quinquagies exoſculatus eſt,

quem

quem alter etiàm dignitate nihilo inferior imitatus eſt. Veſperâ eius diei, quià deliberauerant Medici cadauer exenterare, demptiſque ilijs, & præcordijs illinere, tametſi hoc ipſe teſtamento vetuerat, veniam Pontifex dedit, & Bernardinus Caſtellanus ipſemet, Medicus intimus eiuſdem Pontificis, vnàque frater eius Sector in Vrbe voluerunt hoc defungi munere corpus eius procurandi, præmuniendiq́ue balſamo, & aromatibus, nè ſpatio putreſceret, aut deflueret. Et veró non fuit neceſſe præparare vaſa cùm linteis, vt ſanguis colligeretur promanans ex thorace pectoris, aut humiditas, in quâ cerebrum natabat. Multitudo enim ingens eorum qui in conclaui erant, ſudaria inſtitit ſpongiaſq́ue cruore madefacere tantâ auiditate, vt guttam extillantem vnam in corpore non reliquerit. Medicus inſupèr particulam cranij ſectam, præmij loco, ſecùm indè tulit.

Pòſt primam lucem XIV. Cal. Octobris, Corpus eius habitu Sacerdotum Purpuratorum indutum, Nobiles, qui ſunt è Sodalitate B. Virginis Aſſumptæ, in ſuam ipſorum Aulam comportarunt, vt tanquàm vni ex Sodalibus iuſta perſoluerent. Et tùm fuit neceſſe, vt viri primarij quatuor loculũ hinc, & hinc tegerẽt, nè impetu læderetur, dùm innumeri cõtenderent hi manus, hi pedes oſculari, & corpori Roſaria certatim admouerẽt. Eam in Aulam ingreſſus F. Bonauẽtura Generalis Procurator Ordinis Minorum S. Franciſci, affirmat in

primo conſpectu, ſacrum quendam horrorem ſe intùs animo expertum eſſe; & cùm corpore toto obrigeſceret, arrigeretque crinem, viſum ſibi vocem audire, quę ad cor ſucclamaret. *Ecce homo ſine querelâ, verus Dei cultor, abſtinens ſe ab omni opere malo, & permanens in innocentiâ ſuâ.* Ex quo ſenſu cùm totum deindè ſe reflecti ad pietatem animaduerteret, grates egit Deo ob dona ſingularia, & egregia, quæ illi animæ magnæ ad documẽtum Eccleſiæ, adeò cumulatè contulerat.

Quartâ circiter horâ pòſt meridiem; quoniàm precatio funebris de more fieri à Sacro Collegio Cardinalium in Templo noſtræ Societatis iàm deberet, Pontifice non admittente vltimas eius preces ab humilitate propoſitas; nè videlicet ſepeliretur pretioſiùs, quàm ſi fuiſſet è numero Noſtrorum; ſub ipſo Templi tholo, in præalto pegmate, corpus eius, ſuprà lectũ holoſerico villoſo nigro inſtratum, collocarunt. Habitu erat Sacerdotali, ac Mitram in capite gerens, quæ eſt Summorum Antiſtitum geſtamen: ad pedes verò galerum purpureum cùm appenſis ſpiris cancellatim reticulatis, ſubligandi causâ eum ad fauces, vti mos fuit olim. Templum vbi apertum eſt, cuncta Ciuitas intùs ſe plenis portis effudit ſtudio viſendi, ac roſarijs contingendi. Quarè cùm metueretur, nè inconſulta populi pietas reliquias arripientis, aut veſtes diſcinderet, aut corpus acciperet indignius; iudicarent Antiſtites ceremoniarum auxilio militari tuendum

eſſe,

eſſe, & Noſtros monuêre, vt Cuſtodes Pontificis Helucios accerſerent, qui vndam populi ſubmouerent. Hi ergò lecto circumſtetere cùm lanceis; ſed haùd efficere potuerunt, vt non perrumperent multi cuſtodiam. Dùm enim hi prohiberentur, aut illi; ſuggreſſi clàm alij, quod vnum poterant, quià pegma præaltum erat, ſitũ ad pedes eius purpureum galerum ſuſtulêre, & quamquã vi deindè reuulſus è manibus eorum fuit; ſericæ appendiculæ tamen, quæ à Purpuratorum galero iactantur, diſcerptæ, & reliquiarum locò habitæ ſunt. Interim Noſtri, qui ad funus proſequendum pſallentes omnes, & aliqui etiàm candidati proceſſerant, cœpere vtrinque diſpoſiti, vti fit, Pſalmos alternatim canere; cùm Præpoſitus Generalis ipſe preces regeret. Aderat altis ſubſellijs Sacer Ordo Purpuratorum, ſi tùm vera memorarunt, nunquàm frequentior: ſiquidèm eorum, qui in Vrbe reperiebantur, modò tres valetudinarios exciperes, vix vnus deſiderabatur. Supplicatio tota confertiſſima fuit, & qualem ſenes Vrbis nunquàm meminerant; raròac vix è vetere memoriâ exemplo: non enim oriebatur ex titulis humanæ magnitudinis illa veneratio, ſed ex opinione virtutis, cùm Sanctus omnium voce, iàm tùm, antequã terra eum tegeret, appellaretur. Et erat magnum eius morti decus publica mœſtitia, quâ omnes lamẽtabantur tãtum præſidium ademptũ vſibus humanis; ſed antè omnia inſigne fuit, quod inopes eum, vt parentem

luxe-

luxerunt. A militibus initiò ſatisfacere pio deſiderio; accedere propiùs, roſarijs tangere, omnes prohibebantur. Paulatim tamen impetrari cœptum eſt, vt Pontificij Curſores bacillis argenteis, & ex Heluetijs etiàm aliqui baculis, quibus turbam ſubmouent, ipſimet Roſaria confertim vicena & tricena Cardinalis corpori admouerent: donec hi toto eo tempore hoc vnum agere coacti ſunt: vt fuerint Roſaria ei admota grauiſſimorum hominum ęſtimatione circiter viginti millia. Et fuit ſanè mira res, nullas exindè colliſarũ genarum ſediſſe in vultu notas. Has verò ſignificationes honoris adeò inuſitati Cardinalis à Monte epiſtolâ, de quâ & alibi memini, adgnitas à ſe ait, tanquàm teſtes opinionis, quæ animis omnium inſederat de ſanctitate eiùs; additque, meritò Cardinalem Mõtaltum celebratiorem hũc diem duxiſſe pietate hominum, & exiſtimatione veræ magnitudinis eius, quàm ſi aut triumphum egiſſet, aut Põtifex delectus eſſet: cæteris enim anteactæ vitæ ei ſpecioſiùs hic dies, etiàm mortuo illuxit. Tùm quoque cœptus eſt circũferri de eo murmur perindè, ac ſi cõſequenti mox die Romæ foret agendum de ipſo inter Cœlites adſcribendo. Similẽ ſenſum è Purpuratis alij manifeſtârunt: quià cùm ea conantem populũ adſpicerent, & mortui virtutem non ignorarent, pronunciârunt ſi vel duo, eius imploratione, contingerent diuinitùs ex ijs, quæ naturales cauſæ miraculo eximere non queunt; non perſuaſione

vulgi

vulgi modò, ſed & ore decernentium ipſum Cœlo, & Superis inferendum. Funebres preces perſolutæ erãt, diſceſſerantq́ue, haùd indecoro queſtu, Purpurati à funere cùm lacrymis, cùm Populus à cõſpectu nõ proptereà dilabebatur. Inuitabat quippè veluti ſuperſtes in manibus largitas, & relicta in vultu benignitas; atque adcò in ipsâ morte Viri ſanctimonia viuebat. Spatio tamen inducta magna pars, vt excederet: at multi nihilominùs obſtinatè hærere; vt qui auebant hominis Dei exoſculari manus, pedesq́ue. Quod cùm flagitarẽt etiàm Principes Fœminæ, Patribus lecto ſuccollantibus in Sacellum B. Virginis corpus eius delatũ eſt, vbi pari vi cuſtoditum à milite fuit. Et ibidem cautum eſt etiã, vt ſinguli, qui ingrediebãtur, ſtatim atque pio officio perfuncti, altero Sacelli aditu, nè aduerſi redirent, emitterentur; & omnes tametſi recederent cùm luctu, altiùs adhùc animis mœrebant. Poſthæc in Sacrarium Templi relatũ, obſeratis foribus, in arcâ ligneâ cõpoſitũ fuit; vt (quod enixè à Pręposito Generali Cardinalis Bellarminus rogauerat communi ſepulturâ Patrum) Societatis tegeretur. Factumq́ue ità in eo Templo, XIV. Cal. Octobris, cùm intereà è Socijs, qui aderant, cuncti dicerent vnanimes; placidè quieſcas anima pia, & nos, quibus obitus tuus extitit maximè luctuoſus, trahas ab infirmo dolore ad contemplationem virtutum maximarum, quas non lugere decet; ſed admirari, ſed imitari.

Die

Die circiter decimâ, quâ in obierat, Societas ei exequias quanto tùm potuit apparatu fecit, maiori tamen pompâ per memoriam virtutum eius, quas laudauit Tarquinius Galluccius è Societate noſtrâ, Orator perelegans; extatque oratio typis edita, & Cardinali Odoardo Farneſio dedicata.

Anno exacto, cùm Præpoſito Generali videretur, voto Cardinalis Bellarmini factum ſatis; nempè quo locum inter Noſtros ſibi mortuo flagitauerat: obſequi tandem pio deſiderio multorum decreuit, qui ferre haùd ſanè poterant, mortem omnibus naturâ æqualẽ, in viro tàm egregio apud Poſteros tumuli gloriâ non diſtingui. Ergò P. Hieronymo Boſchetto, qui Miniſter in Domo Profeſſorum eſt, iniũxit, vt ad eius transferẽdum corpus adiret. Eductũ è cõmuni ſepulchro XVII. Cal. Octobris, An. M. DC. XXII. agnitũ ab eodẽ Præpoſito Generali, à PP. Aſſiſtentibus, atque ab eo, qui à ſecretis eſt Societati vniuerſæ, fuit. Inuentum verò eſt pectus eius, & caput ſine veſtigio vllius rei per tabem tot dierum abſumptæ, erantque vultus nõ integri modò, ſed recentiſſimâ ſpecie. Itaque cùm purè proluiſſent, indutum dalmaticâ, & Sacerdotali Caſulâ carbaſinâ coloris violacei, incluſerunt arcâ cupreſſinâ, quæ theca plumbea item inuoluebatur. Vacuũ erat ſepulchrum S. Parentis noſtri Ignatij, propter aram maximam, ad dexterũ latus Tẽpli. Nàm is inter Cœlites relatus, non ità pridem pro ſepulchro aram obtinuerat.

rat. Generalis Præpoſitus, & alij Patres in eo ſepulchro condi corpus Cardinalis Bellarmini mandarunt, & quidē ità, vti priùs fuerat, parato; nec vllo emblemmate, donec pro dignitate monumentum ei ſatis ornaretur. Neque verò potuiſſet quiſquam IGNATII ſepulchrum occupare æquiùs: non modò quià in ſucceſſore ſanctitatis opinio par, & virtutes magnę requirebantur: ne exprobrarent felices illi, fereq; triumphales lapides, intrare ignobiles exuuias in alienæ locum gloriæ: verùm etiam quià, vt vidimus, Cardinalis Bellarminus magna & prima occaſio fuit, vt IGNATIO ibi cæleſtes honores cœpti ſint exhiberi. Vt propterea is migrans ad aras, videri poſſit, in eius regratiam, ſepulchrum relinquere benefactori ſuo; quod ipſum, vt ſperant multi, erit ei pariter ad aras via.

Interim cùm potuerit tumulus corpus cęlare Cardinalis Bellarmini, haud ſuſtulit cùm eo memoriam eius, manſuram vtiquè æternitate temporum, famâ rerum. Multo minus Populi ſtudia potuit, venerationēque minuere. Siquidem pars alia vtenſilium eius, quæ non prærepta, priuſquam obiret, cum miris flagitaretur modis, loco pij, regijque muneris diſtributa fuit in Dynaſtas, Purpuratos, ac Pręſules magnos. Quorū ne ſit cenſus longior, illud veriſſimè affirmare ſit, ferè Cardinales omnes, ac partem numeroſiorem Principum tùm Italiæ, tùm verò Trāſalpinarum Regionum poſtulauiſſe res aliquas, quæ forent ab eius vſu, ſicut in-

 terpre-

terpretabantur ipſi, venerabiles, quò eas, vti pretioſas reliquias, ſeruarent apud ſe; fuit verò ei glorioſum, viros Primarios linguis diſſonos, & terris ità diſiunctos in hoc iudicium tam honorificum de ipſo conuenire potuiſſe. Sed nè ſileat de ſingulis narratio, Regina Genitrix Chriſtianiſſimi Regis Galliarum, cùm accepiſſet amiculum eius ex Purpurâ, quo ſuper humeros cùm adiuncto galericulo Cardinales induuntur, vnàq; particulam cerebri eius balſamo illitâ, ne diffflueret, Generali Præpoſito, à quo ea rogauerat, propterea humaniſſimis literis egit gratias, eaſque reliquias toti Regiæ Aulæ oſtendit, ac propoſuit venerandas. Gulielmus etiam Dux Bauariæ, cùm ſeriùs, quàm optaret, differrent ei Picturam Bellarmini ab Vrbe tranſmittere, ab ipſo Generali Prępoſito promiſſam; literis Patris Gaſparis Torrentini, qui ei à confeſſionibus, inſtitit, vt citò, nec dubiâ viâ, mitteretur. Is verò in hunc modum P. Theodoro Buſæo Germaniæ Aſſiſtenti in Societate noſtrâ ſcripſit.

Sereniſſimus Gulielmus amauit ſemper, & coluit Cardinalem Bellarminum, propter eximiam vitæ ſanctitatem, quam de ipſo, quotquot Româ venerunt, honorificè deprædicarunt; præſertim PP. Capuccini, & PP. Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum. Imò etiam hoc narrauerunt eius Filij Sereniſſimi, Philippus Cardinalis, felicis recordationis, & Ferdinandus Elector, atque Archiepiſcopus Colonienſis, Româ cùm

remi-

„remigrarunt, vbi etiam hi Patri Bellarmino confiteri
„conſueuerant. Neque verò dubitem à Sereniſſimo Maxi-
„miliano adæquè venerationi habitum: nam frequens
„ibidem eis conſuetudo interceſſit. Quoad reliquias
„eius, neque Sereniſſimus Gulielmus imaginem, ne-
„que Sereniſſimus Maximilianus amiculum ex Purpu-
„râ hactenùs acceperunt: quæ pia munera tamen auidè
„ambo percupiunt. Rogant proindè R. V. vt à Domino
„Criuellio iſtic agête perquirat, ea ne miſerit? per quos?
„aut quà demũ viâ? ſi verò habet ea penès ſe; tranſmit-
„tat per expeditum iuxtà, & fidum hominem. &c.

Andreas Lipski Epiſcopus Luccorienſis, & Regni Poloniȩ Cancellarius epiſtolâ ſuâ, de quâ & altiùs memini; Reliquias, inquit, Cardinalis Bellarmini in hoc Regnũ allatas, venerabundus audio, gratulorq́; Societati tam altæ frugi Alumnum, in quâ exactæ & pietatis, & doctrinæ depoſitum reliquit. Deniq; innumeri ſunt, qui detractum fruſtulum togæ, aut tunicarũ eius, idq́; ſummis precibus expreſſum, ſuſpenſum à vertice geſtant aſſiduè, ac nunquam tractãt, niſi oſculabundi.

Sed vt me referam ad ſepulturam eius, in qua & annum alterum humatus iacuit, abſque vllis monumentis, quæ de eo ſculpta ſaxis, aut ære legerentur; prætermitti non debet, quo pacto permulti, nec rarò eam illuſtrem, atque diſſimilem alijs reddidere; tùm quòd accederent ſubindè ibi eum veneraturi; tùm quod ferè perpetuò floribus ornarent. Sępè ſunt etiam

 humi

humi defixæ cereæ accenſæ faces, ac votiua ſymbola relicta: tametſi Præpoſiti Societatis iuberent ea refigi ſtatim,& in Sacrarium adferri.

Intereà cùm piè ſepulchrum eius plurimi frequentarent,nec ignoraret iàm Roma,ex Bellarmini imploratione variâ cœlitùs impetrari, III. Non. Februarij, M. DC. XXII. à Paulo de Curte Epiſcopo, ac Viceſgerente Cardinalis Vicarij, facta poteſtas eſt formandi commentarios circà vitam, & miracula Cardinalis Bellarmini: ne vtique Viri, de quo fatendum eſt,cùm plurimùm doctrinæ habuerit, plus habuiſſe ſanctitatis, certior memoria pereat obitu eorum, qui ſpectatores rerum,aut auditores fuerunt:ſed ad finem laudabilem perpetua perſeueret. Alij duo ſimiles Commentarij inſtructi pariter ſunt auctoritate publicâ; tùm in Politiano Patriâ eius; tùm Capuæ, vbi Antiſtes fuit.

Ad hæc Odoardus Cardinalis è Gente Farneſiâ, cui noſtra Societas amorem, & omnia ſumma debet, vt cohoneſtaret memoriam Cardinalis Bellarmini vſus eâ magnificentiâ eſt, atque pietate, quam habuit propriam,& perennem. Cùm enim ſciret heredes à Bellarmino accepiſſe plus gloriæ, quàm ſupellectilis, vt qui pauperibus obſequens, voluntarium non ſibimet ipſi ſolùm,ſed etiam funeri ſuo paupertatis neglectum indixerat: honorarium ei ſepulchrum, & quidem ornatius,quod ſit in toto eo Templo,procurauit, elaboratis

ratis

ratis lapidibus verſicoloribus, ac ſtatuis diſpoſitis, opere Equitis Bernini Sculptoris non ſeculi ſui. Nullam verò, præter ipſum Bellarmini Nomen, incidi voluit elogij pompam; ratus meritorũ huic Nomini tantam vim ineſſe, quanta ſit ſatis, vt obliuio non eius famam extinguat. Incribitur verò in hunc modum.

ROBERTO
CARD. BELLARMINO
POLITIANO E SOC. IESV
MARCELLI. II. P. M.
SORORIS FILIO
ODOARDVS
CARD. FARNESIVS
SVI ERGA VIRVM, QVEM
PATRIS LOCO SEMPER COLVIT
AMORIS NVNQVAM MORITVRI
MONVMENTVM POS.
OBDORMIVIT IN DOMINO
ANNO SAL. M. DC. XXI.
ÆT. SVÆ. LXXIX.

Atq; hæc pars aliqua eſt rerum geſtarum Cardinalis Bellarmini; hoc eſt Viri, qui nunquàm egit rectè, vt agere videretur; ſed quià aliter agere non didicerat; & qui ſpatium vitæ idem, quod & innocentiæ, vel inter ſummas dignitates habuit: quas recuſauerit pulchriùs, an admiſerit, an tenuerit non facile iudices.

Vt ſanè Vir aliquandò Purpurâ, ſemper animo illuſtriſſimus, conſilijs mens cœterorum, opere & ſcriptione manus, & excedẽs adhuc virtutis miraculo, ſpẽ faciat fore; vt ſicut imploratus non inutiliter à multis, probat in dies magis ſanctitatem ſuam (quod fide tùm priuatâ, tùm publicâ teſtantur plurimi (ſic eam, quã habet in Cœlis gloriam, ſit aliquandò etiam, vti ominantur omnes, in Terras diffuſurus.

Non hic intexere poſtremò volui catalogum Voluminum eius; tum quòd haud ita pridem, anno M.DC.XX. Colonię Agrippinæ, ipſo approbãte, omnia ſimul ſeptem magnis Tomis comprehenſa, expenſis Bernardi Gualteri edita ſint; tùm verò quòd de Cardinali Bellarmino pariter dici poſſint, quæ de S. Cypriano S. Hieronymus dixit olim. *Huius ingenij ſuperfluum eſt indicem texere, cùm Sole clariora ſint opera eius.* Et quià Eccleſiam ſimul his operibus illuſtrauit, ſimul cumulauit virtutibus admirandis; idcircò; cùm Chriſtus Dominus *qui fecerit, dicat, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum*; facilè iudicabitur Bellarminus fraudari nõ debere, etiã in Terris, appellatione MAGNI.

TESTAMENTVM ILLVSTRISSIMI CARDINALIS BELLARMINI.

IN NOMINE *Domini Noſtri Ieſu Chriſti. Ego Robertus Bellarminus tit. S. Mariæ in Viâ Presbyter Cardinalis ex Societate IESV aſſumptus petij à Sancta memoria Clemente VIII. facultatem condendi Teſtamentum ad pias cauſas tantùm, vt certus eſſem ea, quæ mihi decedenti bona temporalia ſupereſſent, quæq; dum viuerem, diſpenſari pauperibus, & Eccleſiis nō potuerunt, vt potè meæ ſuſtentationi neceſſaria; ad pauperes, & Eccleſias redire. Conceſſit Pontifex indultum teſtandi generaliùs, quàm voluiſſem; ſed non acceptaui, niſi ad pias cauſas, vt petieram. Habetur hoc indultum, inter alias Bullas mihi conceſſas, in magno folio pergameno cum plumbo, datum anno Domini 1603. 6. Idus Aprilis, Pontificatûs Sanctiſſ. Papæ Clementis VIII. anno 12. Ergo hoc indulto præſuppoſito, teſtamentum condidi Capuæ, cum eſſem Archiepiſcopus eius Ciuitatis: deinde eo abrogato aliud condidi Romæ. Sed propter circumſtantias mutatas, hoc ſecundo etiam abrogato, nūc iterum teſtamentum condere ſtatui, cum ſim annorum ſexaginta nouem, & proximus vltimæ diei, vt opinor; ſed mente, & corpore per Dei gratiam bene valens. Primùm igitur ſpiritum meum in manus Dei commendatum toto corde exopto, cui ab adoleſcentiâ ſeruire deſideraui: & precor, vt me inter ſanctos, & electos ſuos non æſtimator meriti, ſed veniæ largitor admittat. Corpus meum non apertum, nocturno tempore, ſine vlla pompâ ad Eccleſiam Societatis IESV, vel Collegij Romani, vel Domûs Profeſſæ deferri volo: & exequiæ fiant per ſolos Patres, & fratres Societatis, ſine interuentu Sacri Collegij, ſine lecto ſublimi, ſine inſignijs, vel flabellis, eademq; ſimplicitate, quâ ceteris de Societate fieri ſolent. Et hac de re quàm maximè poſſum Santiſſimum Dominum noſtrum humiliter rogo, vt deſiderio meo ſatisfaciat. Quod attinet ad locum ſepulturæ, libenter iacere corpus meum voluiſſem ad pedes B. Aloyſii Gonzagæ, mei quōdam ſpiritualis filij: ſed tamen Superiores Societatis, vbi voluerint corpus meum ponant. De rebus temporalibus mihi à Sede Apoſtolicâ conceſſis, vel vndecunq; acquiſitis, ita diſpono. Heredem vniuerſalem nomino, & inſtituo Domum Profeſſam Romanam Societatis IESV, in qua religione nomen dedi. Volo autem, vt primò ſoluantur debita, ſi quæ fuerint, & iura ijs, quibus debentur. Deindè dentur familiæ ad quadraginta dies, more ſolito, quæ ad victum pertinent, id eſt, quod illis taxatum eſt in pecunia pro pane, vino, & companatico: neque aliud eis relinquere poſſum, cum ad ſolas pias cauſas Teſtamentum faciendi facultatem petierim, & eâdem causâ ſingulis ſtipendium, ſiue prouiſionem aliquam dederim præter victum. Fratri meo ſecundùm carnem, vel eius heredibus reſtituatur imago, ſeu quadrum Clementis VIII. Pontificis maximi. Nepoti meo Ange-*

lo detur imago, ſeu quadrum Roberti Cardinalis de Nobilibus, & vnum ex duobus quadris Sancti Caroli Borromæi, & vnâ ex paruis Crucibus, quas ad pectus gero, cùm reliquiis incluſis. Collegio Romano reſtituantur Annalium Cardinalis Baronij Tomi ſex, quos mihi accommodauit, & eidem dentur alij ſex mei. nam cum hac cōditione accepi à Collegio ſex primos Tomos, qui meo nomine dati fuerunt Collegio eidem ab eodem Auctore, vt pòſt obitum relinquerem integrum Opus. Eidem Collegio relinquo vnam ex tribus Planetis pretioſis cum ſtolâ, & manipulo, quam voluerit, & omnia ſcripta mea, & totam Bibliothecam; niſi Reuerendiſsimo Patri Generali videatur Bibliothecam alicui alteri Loco Societatis magis egenti applicare. Sancta Mariæ in Via, qui titulus meus eſt, relinquo vnam ex tribus Planetis pretioſis, quam Heres meus dare voluerit. Aliud titulo meo non relinquo, quoniam ſatis multum expendi in fabricâ Eccleſiæ, vt Fratres illi ſciunt, qui hoc ipſum petierunt, loco paramentorum, quæ illis emere conſtitueram. Reliqua omnia bona, quæ quocunq; modo ad me pertinent, ſeu pertinebunt, ſiue immobilia, ſiue mobilia, ſiue ſe mouentia, ſiue iura, ſiue credita, ſiue ſacra ad Cappellam, ſiue profana ad veſtiarium, vel cellas varias pertinentia, ſiue pecunias numeratas, ſiue quacunq; alia integra ad Heredem, id eſt ad Domum Profeſſam Romanam Societatis IESV, vt dictum eſt, pertineant volo, & in illis omnibus, & ſingulis ipſam heredem inſtituo, & nomino. Pro auxilio animæ meæ nihil relinquo, vel præſcribo; tùm quia parum admodum erit, quod ad heredem meum perueniet, vt exiſtimo, cum ego cumulandis pecunijs vel rebus pretioſis acquirendis nunquam operam dederim, tùm quia confido, imo certò ſcio, non defuturam huic officio piam charitatem Matris meæ; Religionis videlicet Societatis IESV, vt pro aliis filiis ſuis nunquam deeſt: quemadmodum ego non defui toto vitæ meæ tempore pro defunctis Societatis ſacrificia & orationes Deo offerre. Executorem huius meæ voluntatis nomino huius causâ Illuſtriſsimum & Reuerendiſsimum meū Cardinalem Aldobrandinum: labor enim, vt exiſtimo, nullus erit in executione Teſtamenti huius. Relinquo autē eidem Illuſtriſsimo Domino meo id, quo pretioſius nihil habeo, videlicet Crucem ligneam reliquiis pretioſiſsimis refertam, quarum catalogus in ſcriniolo cooperto rubro holoſerico inuenitur.

Hoc Teſtamentum valere volo, prioribus abrogatis, quæ in omnibus, & per omnia reuoco, caſſo, & annullo, etiam ſi hoc forte non fuerit cum debitis ſolemnitatibus factum. id enim aperte concedit Bulla ſummi Pontificis Clementis VIII. in quâ mihi data eſt facultas teſtandi etiam per ſimplicem epiſtolam, vel ſchedulam manu mea ſubſcriptam.

Ego Robertus Cardinalis Bellarminus, vt ſuprà, inſtituo, lego, & teſtor, non ſolùm præfato, ſed etiam omni meliori modo. die 23. Ianuarij M. DC. XXI.

FINIS.

FEſtinaſſe prela etiam, nedùm Scriptoris calamum, Amice Lector, oſtendunt multa; & inprimis ij, qui deſiderantur numeri paginarum : vtinam non & alios numeros deſideres. Vrgebant Maiorum iuſſa; Amicorum vota ſtimulabant ; inſtabant quoque Nundinæ ; nam etiam literas, & volumina, quorum pretia deberent in animis relinqui, Auaritia auſa eſt nundinari. Aggreſsi proindè Opus Typographi duo ; ſed alter, vndè aggredi : alter vndè progredi ſolemus. Si non poeticè diceretur,

Dimidium facti, qui benè capit, habet.

potuiſſet ille, qui ab huius Hiſtoriæ dimidio exorſus eſt, ab alterius fortaſsis non malè inchoatâ editione diuinare ; in quem deberet numerum deſinere. Cæterùm opus erat Mathematicorum aliquo, qui aſtra, non typos componeret, vel certè Aedipo coniectore. Sed pro hâc re ſolatium, mutuo in colloquio fuit, PETRVS ALOYSIVS CARAFA, Epiſcopus Tricaricenſis, ac Sedis Apoſtolicæ Legatus, cuius maximè auſpicijs hæc iàm Hiſtoria prodit. Is enim, vt innueret, haud hanc eſſe rem planè inuſitatam ; Thomæ à Kempis libellum in menſâ muſeoli ſui adpoſitum oſtendit, abſque numerorum notis. Gauiſus ex eo equidèm ſum, & cæpi verſare ſtatim animo multa. Primò admirationi fuit ; cùm alia maximorum Auctorum Volumina circumſtarent, vnum cum libellum familiarem adeò, eſſe Viro Principi, qui ob ſummam eruditionem ſummæ iunctam nobilitati, ſic amplisſimæ familiæ cognomen refert, vt hoc vel ſi nouum ab eo inciperet, prodire ab ipſo vno, pari cum amplitudine potuiſſet. Deindè referens me ad eundem libellum ſimplicisſimum, ac ſtyli innocentiâ nemini ſuſpectum, omnibus gratum; cogitaui, paruum illud, ſed ſublime tamen, & tantum non à Deo ſcriptum Opus, fortaſsè numeris carere; quià liber eſt haùd ijs indigens notis, atque ſubſidijs. Quippè vbique in eo voces, velut oracula, miſſas inuenire eſt; quæ in pectora debeant, animoſque demitti; prorsùs vt pagina quæuis, Volumen ; linea, Liber; vox, Periodus; & ſyllaba ferè, ſententia videri debeat. Demum; (tametſi nihil comparandi causa dixerim) ex hoc omen accepi ; quod fortaſsè Roberti Bellarmini vita etiàm, ipſa liber perpetuus videri poſsit ; ità vt pagina quæuis te, Lector, inſtruat, &, cum librum aperias, reperias vbiquè, quod in eo admireris, quod imiteris. Sed nihilominùs aliquam velut appendicem datam tuæ commoditati (modò pro notis numerorum, ad re litteras foliorum maiuſculas, & minuſculas velis) habes paratam à Viro amico & erudito ; à quo æquiùs librum ipſum ſtylo longè amæniore expectare debuiſſes.

INDEX

Rerum inſigniorum quæ his ſeptem in Libris continentur. Prior numerus indicat folium iuxta cenſum Impreſſoris per litteras in ſeriè Alphabeti diſpoſitas, quas ad imam oram paginæ inuenies. Poſterior, paginam oſtendit, ſeu faciem folij, quod indicatur.

A.

ABBAS Procidæ Bellarm. c.3.p.1.
Abdicare ſe cupit Purpurâ. cc.3.p.2.
Abſoluit Sacellum Sanctæ Agathæ. d.4.p.1.
Ad fines ſuos nõ opimat. dd.4.p.1.2.
Ad fines ſuos non luget defunctos. dd.4.p.1.2.
Aedem S. Praxedis reficit. g.3.p.1.
Aegritudines ſanat chirographo S. Ignatii. g.2.p.1.
Aegros inuiſit, & Pauperibus eleemoſynas diſtribuit. g.1.p.1.
Affectus ipſius perpetuus erga Inſtitutum, Regulas, & Perſonas Societatis. EE.1.p.
Agit cum Generali de Purpura conſilio diſcutiendo BB.2.3.p.1.
Alanus poſteà Card. Comes ei in Belgium offertur. l.4.p.1.
Aleoni Sacerdoti medetur. b.3.p.1.
Aloyſius nunquàm peccauit mortaliter teſte Bellarm. y.4.p.2.
Aloyſius nunquàm vel leuem carnis titillationẽ ſenſit teſte Bell. z.1.p.1.
Aloyſii tria inimitabilia. z.1.p.1.2.
Aloyſius liber à diſtractionibus. z.1.p.2.
Aloyſius fit Beatus opera Bellarm. z.1.p.2.
Aloyſius ſimilis Ioanni Baptiſtæ. z.1.p.2.
Aloyſius moriens vltima ſubſidia à Bellarmino accipit. y.4.p.1.
Aloyſii reliquias annuè colit. z.2.p.1.
Aloyſii Cubiculum Sacellum facit. Ibid.
Aloyſii ad pedes optat ſepeliri. z.3.p.1.
Ambulationes, & tranſitiones per Templum tollit. b.3.p.1.
Amicitia illi arcta cum Aloyſio. y.4.p.1.
Amicitia illi arcta cum Baronio. AA.2.p.2.
Anima cibus oratio & ſomnus contemplatio. aa.2.p.2.
Antiſtites eum conſilii cauſa adeunt. a.1.p.1.
Andreas VVyſe Magnus Prior Britanniæ vidit flammam in capite Bellarmini

larmini concionantis, & totam faciem lucere. x.2.p.2.
Antonij Spinelli de Virtute Bell. iudicium, & prudens experimentum. BB.1.p.2.
Annuli gratiam moriens obtinet à Pontifice per Card. S. Suſanna. nn.4.p.1.
Apparet exiſtens Romæ Vicario Generali Barij abſenti, & monet multa. gg.4.p.2.
Ars egregia Bell. in tractandis animabus. T.3.p.2.
Auget numerum Sacerdotum inter Canonicos Capuæ. b.3.p.2.
Archiepiſcopus Capuanus confectatur à Clemente VIII. a.2.p.2.
Apopthegma Bellarmini. cc.1.p.2.
Annulum pauperi dat oppignorandum quando pecuniam nō habet. ll.2.p.1.

B.

BEneficia incurata Capuæ ſolis ciuibus Capuanis non affeclis dat. c.1.p.2.
Bellarmini Pater, Vir conſularis, & alijs honoribus functus. c.1.p.1.
Bellarmini Mater Cynthia Ceruina Soror Marcelli II. Pontif. Ibid.
Bellarminus ad fontem dictus Robertus Franciſcus Romulus. C.4.p.2.
Bellarminus die S. Franciſci natus, die ſacrorum ſtigmatum moritur. Ibid.
Bellarmini educatio accurata cum delectu puerorum nobiliū. D.1.p.1.
Bellarmini ſexennis pia puerilia & quaſi de ſe præſagia. D.1.p.1.
Bellarminus nouennis nunquàm viſus quidquàm pueriliter agere. D.1.p.2.
Bellarminus nouennis iàm tùm à ſapientiâ commendatus. Ibid.
Bellarminus Muſicam diſcit, impuras illius dictiones execratur. D.2.p.1.
Bellarminus puer in ſchola venerationi omnibus eſt. D.1.p.2.
Bellarminus puer magno motu concionari ſolitus ad ſodales. D.2.p.2.
Bellarminus puer recitat quotidiè officium B.V. Letanias & Roſarium eiuſdem, viſitat crebrò ſanctiſſ. Sacramentū, & ieiunat. D.3.p.1.
Bellarminus nunquàm peccauit Mortaliter. D.3.p.2. *nec Venialiter plenâ deliberatione.* y.3.p.1.
Bellarminus in poëſi facilis, & felix. D.4.p.1.
Bellarmini primum carmen erat acroſtichō de Virginitate. D.4.p.2.
Bellarmini varia poëmata. Ibid. *Eius hymni editi ipſo inſcio inter carmina illuſtrium Poëtarum. Aliqui recepti in Officium Eccleſiæ.* E.1.p.1.
Bellarminus ad Poëſim Eloquentiam adiungit. E.1.p.2. *Ad vtramque pietatem in ſcholis Societatis Ieſu* Ibid.
Bellarminus exēplar pij ſtudioſi. E.1.p.2. *Sodalis B.V.* Ibid. *Sæpè dicit ad Sodales cum fructu.* E.2.p.2.
Bellarminus Cœlo comparatur ad aliorum vtilitatem factus. c.3.p.1.

C.

CAeleſtinorum ordinis Patronus Bellarm. p.1 2.3.4.
Cęleſtini florent ipſius operâ. ibid.
Cęleſtinorum Prouincialis Gallię litera ad Bellarminum. q.2.p.2.
Cęleſtini aſsignant auctore Bellarm. quatuor domicilia ſeparata pro Nouitiis: quatuor pro Iunioribus profeſsis, & quatuor pro Veteranis. q.3.p.1.2.
Cęleſtinis illata meditatio. q.3.p.2,
Cęleſtinorum regimini non ſe immiſcet. q.4.p.1.
Cęleſtinorum officioſa munera recuſat. q.4.p.2.
Cęnobium S.Marthę Patronus tegit. ibid.
Cęnobium Nominis Ieſu eleemoſynis iuuat. e.2.p.1.
Cęremonias Capuę reponit. b.3.p.1.
Cęſar, Reges Hiſpanię, Gallię, Polonię, Duces Germanię venerantur Bellarminum. gg.1.p.2.
Calumnię Hęreticorum in Bellarminum. P.3.p.1.
Calumnia inuidorum. C.2.p.1.
Capua excipitur omnium plauſu. a.4.p.1.
Capuana Vrbis & Templi deſcriptio. a.2.p.1.2.
Charitas Bellarmini erga ęgrotos. T.3.p.1.
Catechiſta ſcribit omnes Catechiſmos. T.2.p.2.
Catechiſmus ipſius iuſſu Clementis imprimitur ſtatim ac cōpoſitus nè mutetur tranſcriptione. T.2.p.2.
Cautè ſe ſeruat à conſpectu colloquio & confeſsionibus fœminarum. x.3.p.1.
Celeritas Bell. in rebus expediendis. a.2.p.2.
Chirothecis in choro non vtitur hyeme b.4.p.2.
Chorum cū Canonicis ſeruat. b.4.p.1.
Claudii Aquauiuę Generalis littera ad Prouincias de Purpura Bellar. CC.2.p.1.2.
Clemens gratulatur ei pacis ſtudium i.1.p.2.
Clemētis littera ad Bell. Capuę. ibid.
Clementis gratitudo. BB.3.p.1.2.
Cogitur ſub Cenſuris acceptare Purpurā non ſine lacrymis. BB.4.p.2.
Conatus & gemitus Bell. Purpuram detrectantis. BB.4.p.1.
Commendatarius fit magnę Crucis. o.1.p.1.
Cōponit diſsidētes de gradu. b.3.p.2.
Concio Bellar. Rectoratum ineuntis. X.4.p.1.
Concilium Prouinciale celebrat. d.2.p.1.
Concionandi munus in Epiſcopis eligendis Pontifici per epiſtolam cōmendat. b.1.p.1.
Concionatur Capuę cum ingenti fructu in Quadrageſima, & omnibus feſtis, & dominicis. a.4.p.2.
Conſilia Bell. circà regimen Pontificatus. l.1.p.1.
Conſiliū Bell. Sacerdoti datū. x.3.p.1.
Conſilium Bell. contra protegias ſyngraphas Eccleſiaſticę libertati cōtrarias. i.4.p.1.

Con-

Conſulitur à viris maximis de rebus maximi momenti. N.4.p.1.

Conſultor Inquiſitionis conſtituitur. AA.3.p.2.

Congregationes Cardinalium Inquiſitionis, Rituũ, Iudicis, omnia ferè ad ipſum deferunt. r.2.p.1.

Correctionis fraternæ ſedulus exactor. q.3.p.2.

Culices ſibi moleſtos non abigit. II.3.p.1.

Cynthiæ Ceruinæ Matris Bellarmini peregrinationes, orationes, ieiunia, diuerberationes, & moderatio animi in aduerſis, & proſperis. C.1.2.3.

Controuerſias Bell. præfert Cardinalis Peronius omnibus libris à mille annis editas. R.2.p.1.

Controuerſias Bellar. curat Peronius Card. gallicas fieri. R.2.p.1.

D.

Demophoõ Ferinus teſtimoniũ fert de virginitate Bell. u.4.p.2.

Deprehendit falſam mannã S. Nicolai pro vera oblatam. hh.2.p.2.

Deſcriptio elegans ſuperpellicij. b.4.p.1.

Deſcriptio item Epomidis Cardinalitiæ. Ibidem.

Deſcriptio pulchra Vrbis Venetæ. AA.4.p.1.2.

Deſcriptio horologij Solarij. g.3.p.2.

Deſcriptio tabellaturæ muſicæ. T.1.p.1

Deſcriptio Vrbis & Templi Capuani. a.2.p.1.2.

Deſcriptio Sacelli B. Aloyſii. Z.2.p.1.

Deſcriptio imaginis impreſſæ. S.3.p.1.

Deſcriptio Romani ſeminarij.

Deſcriptio venuſta horologij rotati cum ſuo excitatorio. Z.4.p.2.

Deſcriptio Coronæ Sacerdotalis. L.4.p.2.

Deſerti Matrimonij inſimulatur. I.1.p.1.

Deſiderij Cardinalis Scagliæ iudiciũ de eruditione Bell. S.1.p.1.

Dicitur per Galliam Bellarminus Peronij. R.3.p.1.

Diſcordiam conantur quidam ſeminare inter Bell. & Baroniũ. k.1.p.2.

Diſtribuit beneficia Eccleſiaſtica per certamina litterarum, præcipuè tamen ex virtute ſuffragio. c.1. p.2.

D. Catharinæ Teſtimonium de ſanctitate Bell. ii.4.p.2.

Doloris imminutionem non impetrat cum poſſit. b b.

Domum Profeſſam ſcribit hæredem. nn.3.p.2.

Domum ſuam cælum vocat. n.2.p.1.

Dona omnia reſpuit, & quæ non poteſt ad vſum pauperum vendit. e.4.p.1.2.

Duacum metu hoſtium fugit relicto Louanio. L.4.p.2.

Doctrinam Chriſtianam pauperes docet, eorumq; pedes lauat. cc.2.p.2. & d.2.p.1.

E.

Electio Pontificum per ſecretas ſyngraphas ſuaſa à Bellarmi. l.4.p.2.

Electio

Electio Pont. ac ſecreta lege ſancitur à Gregorio XV. ibidem.
Eleemoſynæ cauſa vaſa, veſtes, & ſupellectilia vult oppignerari. d.1.p.1.
Eleemoſynas dare debent Epiſcopi. b.4.p.2.
Eleemoſyna eius in Pauperes. f.1.p.2.
Eleemoſyna obæratos è carcere liberat. f.3.p.2.
Eleemoſynæ nomine cibum ſibi præparatum pauperibus diſtribuit. g.4.p.2.
Elogium Baronij de Bell. AA.2.p.2.
Elogia Hæreticorum de controuerſiis Bellarmini. O.2.p.1.
Elogia Regionum de æquitate Bellarmini. 1.2.p.2.
Elogia Cardinalis Vbaldini de Bell. pp.1.p.1.
Elogia Romana publica de Bellarmino. oo.4.p.2.
Elogia vide Teſtimonia.
Epiſcopus Sanſedonius audit ſacrum Bell. ſanctâ compoſitione ipſius ad deuotionem excitatus. aa.3.p.1.
Epiſcopus Sanſedonius præparat animam Bell. allocuturus. gg.2.p.1.
Epiſcoporum delectum Pontifici perſuadet. l.3.p.1.
Epiſcopos cupit honorificè à Pontifice tractari. Ibid.
Epiſcopis audiendis diẽ certum hebdomadæ dandum à Pontifice cupit. Ibid.
Epiſcopi de conſpectu nemo debet triſtis diſcedere. d.1.p.1.
Epiſcopatuum reſignatio non concedenda ſine graui cauſa. II.3.p.1.
Euergumenas tres liberat. g.1.p.2.
Epiſtola Baronii ad Bell. k.1.p.2.
Epiſtola Card. de Ioyeux ad Bellarminum. Q.4.p.2.
Epiſtola Card. Peronii ad Bellarminum. R.1.p.2.
Examinandæ Conſcientiæ modus familiaris Bell. l.2.p.2:
Excitatorem agit hominum Societatis ad ſe diuertentium vt famulorum moleſtiam excuſet. d.3.p.1.
Exemplo Auguſtini operum ſuorum recognitionem facit. cc.1.p.2.
Exemplo S. Caroli Boromæi recuſat ruſticari ad amanitatem etiã in Villa Societatis. EE.4.p.2.
Exemplum S. Boromæi in omnibus ſequitur. d.1.p.2.
Exemplo Pii V. recuſans mane ignẽ in hyeme multa ſaua à frigore patitur.
Epiſtola pulchra Bell. ad Epiſcopum Principẽ Verdunenſem. CC.4.p.2.
Exercitia ſpiritualia ſingulis annis obit per menſem integrum. a.3.p.2.

F.

Faciles omnium etiam pauperum ad Bell. aditus. i.4.p.1.
Facetia Bell. pia & ingenioſa. r.1.p.1.
Fœminis Principibus cedit principium ſermonis ſibi finem de Deo reſeruans. x.3.p.2.
Fama eſt eum plures precibus ſanaſſe. Y.3.p.1.
Fama ſcholaſtica Theologiæ latè celebratur. K.3.p.2.
Famulis ſuis obedientiæ reuerentiã tenuiſſe creditur, & quare. HH.1.p.2.

Famu-

Famulos ſuos facit priùs diſcumbere poſt ipſe ſe reficit. II.2.p.1.
Fames Pariſiis fœda. V.4.p.1.
Felicitas memoriæ in Bell. t.4.p.2.
Ferrariam proficiſcitur cum Pontifice. AA.3.p.2.
Franciſcus Maria Tauruſius Ordinis Oratorij fit Archiepiſcopus Aueniouēſis, poſteaCardinalis. B.3.p.2.
Fratri piam operam ægrotanti impendit Politiani. M.3.p.1.
Fratri creditur precibus ſalutem reſtituiſſe. Ibidem.
Fructum ingentem ex Latinâ Concione Louanij legit. K.2.p.1.
Frugalitas Bell. in menſa & ſupellectili. cc.3.p.2.
Frumenti inopia pauperes laborantes iuuat. f.3.p.2.
Furi pecuniam condonat. f.4.p.2.
Furtum impedit dādo eleemoſynam g.1.p.1.
Furti inſimulatur. I.1.p.1.
Facetè dictum Bell. ee.3.p.1.

G.

GAllia Rex agit cum Cardinalibus vt Bellar. Pontificem eligant. gg.1.p.1.
Gallia eius & Legati opera, graui ſchiſmate liberatur. V.3.p.1.
Gandaui à Ianſenio Epiſcopo fit Sacerdos. K.1.p.1.
Genibus flexis ferè perpetuò officium legit domi, tùm iterùm in Templo Bell. b.4.p.1.
Genuæ in Comitijs Prouinciæ Theſes cum laude defendit. I.2.p.1.
Genu flexus accipit viaticum moriens. nn.3.p.1.
Geſtatoria ſella nunquàm vtitur vel infirmus. EE.4.p.1.
Grata verborum libertas Bell. Sepimonio Cardinali à Mōte. t.2.p.2.
Gratitudo Bell. erga eos, qui theſes, aut libros dicabant. v.2.p.1.
Gratijs in relaxationem Canonum palam reſiſtit. v.3.p.1.
Gregorius XV. non patitur eum à ſe diſcedere. ff.1.p.2.
Geſtus orantis Bell. aa.4.p.2.

H.

HAeretici ex Angliâ, & alijs partibus ad eum audiendum adfluunt. K.2.p.2.
Hæredem ſibi Capuæ ſcribit Eccleſiā ſuam. kk.1.p.2.
Hebræas litteras diſcit, & inſignis in illis euadit. K.3.p.2.
Henricus à Lotharingia Epiſcopus & Princeps Verducenſis ad Societatem aſpirat. CC.2.
Honori ſobriè ſeruit. i.3.p.2.
Horas Canonicas ſuo quaſi, die & tempore recitat. z.4.p.2. *maximâ veneratione.* aa.1.p.1. *horā vnam ante lucem dat Matutinis.* aa.2.p.1.
Hoſpitalitas Bell. erga Epiſcopos, & Religioſos venientes Capuam. d.2.p.1.
Humilitatis certamen inter ipſum Prouincialem, & Bernardinum Realinum. bb.2.p.1.
Humilitas Bell. bb.2.p.1.
Humilitas in ſe non defendendo. dd.1.2.p.1.

Humile & facetum reſponſum ipſius datum petenti ipſius imaginem. bb.3.p.1.

Humilis Bell. non audet acceptare carmen Vrbani Pontificis in ipſius laudem. Ibidem.

Humilitate frangit aduerſantem. dd.2.p.1.2.

Hymni Bell. in officium Eccleſiæ recipiuntur. E.1.p.1.

I.

Iacobus Angliæ Rex gaudet ſe in aliquo imitari Bell. aa.4.p.1.

Iacobus Rex Bell. gemitum Columbæ penes ſe retinet. aa.1.p.1.

Ieſuita in Purpurâ dicitur. II.4.p.1.

Ignatio concione & propoſita ad cultum ipſius imagine ſacros honores inchoat. c.3.p.2.

Ignem in hyeme Cardinalis recuſat exemplo Pii V. II. p.1.

Imaginem ſuam in libris poni non patitur. bb.3.p.1.

Imperandi formulis nunquā vtitur. Z.2.p.1.

Indulgentiis lucrandis multum incumbit Bell. bb.2.p.1.

Indulgentiam moriens piè à Pontifice accipit. oo.3.p.1.

Ingenio Bell. Suario prælatus. cc.1.p.1.

Ingenua inter diſputandum modeſtia, & animi candor. N.1.p.2.

Ioannes Arlemius Præfectus Bell. in Hebrais vir doctus & pius. k.3.p.3.

Ioannes Antonius Cangianus videt vultum B[illegible] radios emittentem. x.1.p.2.

Ioannis Berchmanni vita, & facta admirabilia. y.3.p.1.

Ioannes Marriana librum ei dedicat. T.1.p.1

Ioannes Rixius Card. Montis Pollitiani. B.2.p.2.

Ioannes Rixius commendatur, & Cardinalis adlegitur, & honoribus fungitur. B.3.

Irreprehenſibilis & imago moris elogium Bell. T.3.p.2.

Italiam ſanitatis causâ repetit. M.4.p.2.

Iuriſdictionis ſacræ tutela. h.4.p.2.

Iuſtitia Bell. à Miniſtris regni commendatur. i.2.p.2.

Iuſtitiæ ſtudium in Bell. h.3.& 4.

L.

L[illegible] Euchariſtiam accipit, & poſtea quaſi in deliquium ſacrum labitur. nn.3.p.1.

Lectiones ſuas de controuerſiis imprimere iubetur. O.2.p.1.

Legit diligenter Vitas SS. e.3.p.1.

Leodii primam tonſuram cum quatuor Ordinibus minoribus, & ſubdioconatu ſuſcipit. K.1.p.1.

Lex controuerſiarum in Religioſos eſt indicium animi citra damnum affectus proferre. II.4.p.1.2.

Liber Bell. contra Barclaium, oppreſſus in Galliâ luci redditur. Q.3.p.1.

Linguâ Græcâ, & Hebræâ plurimos exercet. k.4.p.1.

Louanii timor ingens belli. L.4.p.2.

Louanium mittitur, vt ſtudia Theologica abſoluat, & ſimul Latinè concionetur. L.2.p.2.

Loua-

Louanij Primus è Societate Theologiam profitetur. k.3.p.1.
Lucenſem Remp. cum Epiſcopo componit. ſ.1.

M.

Manſuetudo Bell. in ſuis repetendis. i.3.p.2.
Mapphai Barberini Cardinalis, nunc Pontificis carmina in laudem Bellarmini. ff.3.p.2.
Martyrium æſtimat Card. Creſcentius, quod paſſus eſt in Belgio Bell. M.1.p.1.
Mauritius à Sabaudiâ Card. conſcius voluntatis Bell. exuendi Purpuram. cc.3.p.2.
Meditationi vnam horam impendit ante lucem. aa.2.p.1.
Media loca inter Principũ partes legatis Apoſtolicis optima. X.1.p.1.
Meditans à ſenſibus quaſi eripitur. aa.3.p.1.
Meditationem ait propriam Prælatorum. aa.2.p.1.
Meditatur de nocte Pſalmos Dauidicos. aa.2.p.2.
Meditationem egreſſus ſolitus toto vultu ardere. aa.3.p.1.
Michaelis Baij erroribus obſiſtit, & medetur. l.3.p.2.
Mira conuerſio hominis ipſius funus proſequentis. x.4.p.2.
Mitti per orbem Chriſtianum conſulit inſpectores operis ſacri Epiſcoporum. L.3.p.1.
Modus quo Prouincialis Collegia viſitat Bell. Z.3.p.2.
Modus victus tenuem Societatis ſeruat in Purpurâ. DD.4.p.1.2.
Modeſtia Bellarm. veſtibus exuendis. II.1.p.1.
Modeſtia conciliat ei nomen Sancti. aa.1.p.2.
Modus peculiaris Bellarmino in exercendis virtutibus. l.2.p.2.1.
Monita dat egregia Clementi VIII. HH.2.3.4.
Morbus Bell. in vrbe Metenſi. X.1.p.2.
Mortale peccatum iudicat Tridentinum promouere minus vtiles futuros Eccleſiæ. HH.4.p.1.
Mortem Xiſti V. abſens nuntiat. X.1.p.2.
Mortificatio multiplex Bell. II.3.p.1.
Mortis memoria dulcis Bell. kk.1.p.1.2
Multa ſimul munia obit. k.4.p.2.
Muſcas à facie nõ remouet. FF.3.p.2.
Muſicam ſuperior impedit qui Miniſtrorum inferiorum officia ingreditur. X.4.p.1.
Mutius Vitelleſcus Rector Collegij Neapolitani, præcipuus ei à conſilijs. Z.4.p.1.
Mutius Vitelleſcus Generalis Societatis Bellarmino adfert lætum ei mortis nuntium. n.2.p.2.

N.

Nouitios Societatis hortatur ad contemptionẽ mundi. EE.3.p.2.

O.

Obedientia prompta Bell. ad iter periculis plenum. I.3.p.2.
Obedientia & obſequium Bell. erga Pontifices vt Dei Vicarios. v.1.p.1.
Obedientia huius exemplar. Ibid.

Obedientiæ ipſius rigor in publicis obligationibus Purpuræ. v.1.p.2.
Obitus ſanctiſsimus Bell. oo.4.p.1.2.
Obſeruantia Bell. erga Generalem etiam in Purpurâ. DD.2.p.2.
Oeconomia Bellarmini. ff.1.p.1.
Omnes penè autores legit. L.4.p.1.
Opificum vita ad ſalutem conſequendam plurimum idonea. cc.4.p.2. alijs ferè vitæ generibus præfertur. Ibid.
Opum quicquid à neceſſarijs vſibus ſuperat in pauperes, & templa diuiditur. DD.4.
Oratio Bell. in conclaui. m.4.p.2.
Orandi modus vſitatus Bell. L.2.p.2.
Ordinat Card. ſua ex arbitrio campana Societatis. ll.1.p.2.
Origines Platonis ſuauitate deceptus. AA.2.p.1.
Oſculatur ei manum morituro Cardinales. nn.1.p.2.
Odoardus Farneſius Caprarola mittit Romam pro reliquijs Bell. ſibi reſeruandis. oo.1.p.2.
Officia Bell. erga pauperes. h.1.p.1.
Opera pia ſuadet Card. Aldobrandino & Montalto. h.2.p.1.

P.

Panes dat Catichiſandis in ſancto Vitali, & in ſanctâ Mariâ in viâ. g.3.p.1.
Particulis temporis piè vtitur. v.1.p.2.
Paſtoris optimi partes obit. b.1.p.2.
Pater pauperum publicè Romæ dicitur. oo.1.p.1.
Patientia admirabilis Bell. in cruciatu. KK.4.p.1.
Patitur grania in fame Pariſiis. V.4.p.1.
Patrimonium D. Petri impendendũ fidei propagandæ. l.2.p.2.
Pax inter Epiſcopos & Magiſtratum confert ad bonum animarum. l.3.p.2.
Pauperum Procuratores ſibi facit. c.2.p.1.
Paupertatis ſtudium Bell. m.1.p.1. FF.4.p.2. EE.4.p.2.
Paupertas & mortificatio Bellarm. II.1.p.2.
Paupertatis ſtudio refugit imagines indices in Breuiario. S.3.
Paupertatis ſtudium miratur in Bell. Baronius a.1.p.1.
Pecuniam ex choro quaſitam ſeruat, & honeſtioribus pauperibus diſtribuit. b.4.p.2.
Penſiones Epiſcopatibus parcè imponendæ. Ibidem.
Perfectiſsimum ſtudium Paupertatis. S.3.p.4.
Pericula adit in Galliâ. V.1.p.1.
Philippus Careſius radiantem Bellarmini faciem videt.
Petrus Guidoctus vir experiens & pius Præfectus rationum Bell. d.1.p.1.
Pixides argenteas dat templis ſuis expenſis, & deaurat calices. c.4.p.2.
Platonis philoſophiam Sapientia inducturus Clemens conſulto Bellarmino reijcit. AA.2.p.1.
Plato à V. Sinodo proſcriptus & quarè. Ibidem.

Pani-

Pænitentia Bell. pro liberandis Pariſiis.
Polygamia ſpiritualis Epiſcoporum fugienda ex conſilio Bellarmini. II.1.p.1.
Politianum Vrbs Hetruriæ laudatur. B.2.p.2.
Politianum patria Bell. Ibidem.
Politianum nobilitant quatuor Cardinales & vnus Pontifex. Ibid.
Politianam Eccleſiam ex charitate regit Bell. o.2.p.2.
Politianæ Eccleſiæ redditus auget. p.1.p.1.
Pontificatum maximum miris artibus effugit. m.2.p.1.
Pontifex ſe excuſat Bellarmino quod illi copioſius non prouiderit. A.1.p.2.
Prædicit voce monitus mortem Card. Caietani. bb.4.p.2.
Prædicit Petro Georgij iter longum in Poloniam, & locum inter Muſicos Pontificios. Ibid.
Prædicit ſubitam mortem Aldobrandini Cardinalis. Ibid.
Prædicit Epiſcopatum Doctori Sebaſtiano de Paulis. ii.1.p.1.
Prædicit Bell. ſibi Purpuram, & famam in litteris. d.3.p.1.
Prædicit Beatificationem Aloyſii. r.2.p.2.
Prædicit ſæpè mortem Xiſti V. X.1.p.1.
Prædicit Hyppolito Margaruuio affectam valetudinem. V.4.p.2.
Prædicit ſanitatem P. Laurentino. EE.1.p.2.
Prædicit Clementi VIII. annos 13. regni. ii.1.p.1.
Prædicit plures Paulo V. Ibidem.
Prædicit Clementem nõ definiturum controuerſiam de Auxilijs, licet ſtatuerat. ii.1.p.2.
Prædicit ſequentem Papam fore Gregorium. Ibidem.
Prædicit in initio triennium ſe Capuæ Epiſcopum ſeſſurum. ii.2.p.1.
Prædicit diſceſſum ſuum Capuâ poſt duos menſes, ob mortem Pontificis. ii.3.p.1.
Prædicit ſeptennium ſe manſurum Louanij. ii.2.p.2.
Prædicit mortem Pontificis. ii.2.p.1.
Prædicit mortem Montalti Card. & ſuam. ii.4.p.1.2.
Prædicit abſens mortẽ Epiſcopi Theanenſis. hh.2.p.2.
Prædicit mortem Matthæi Iortij contra arbitria Medicorum. hh.3.p.2.
Prædicit ſalutem Octauij Clarellij à Medicis deſperati. Ibidem.
Prædicit ſalutem Petri Gorduari item à Medicis deſperati. Ibidem.
Prædicit, & dat ſalutem Generali Cæleſtinorum impreſſo fronti crucis ſigno. Ibidem.
Prædicit item multa, quæ poſtea euenerunt. hh.4.1.
Prædicit exitum negotiorum in Galliâ. Ibidem.
Prædicit Cardinalem Mauritium à Sabaudiâ futurum Patronum Cæleſtinorum poſt ſe. hh.4.p.1.

Præfert Societatis labores ſuis Capuanis circa animas. EE.4.p.1.
Profeſsionem 4. votorum emittit. L.4.p.2.
Promotio vtilium Epiſcoporum curanda Pontifici ex conſilio Bell. HH.4.p.1.
Prouinciam totã bis luſtrat in triennio vtcunque patentem. Z.2.p.2.
Prouincialis fit. Z.1.p.2.

Q.

Quæſtionem de Auxilijs explicat opuſculo ſcripto, quod offert Clementi VIII. & duobus alijs reſpondet ad argumenta. II.3.4.
Quanto cum labore ſua ſcripſerit. L.2.p.1.
Quatuor horas manè tenent deuotiones ante audientiam quotidie. aa.3.p.2.
Quatuor loca ſui Epiſcopatus aſſerit ex manibus laicorum. i.2.p.2.
Quendam procaciter mendicantem verbis & ſtipe placat. f.4.p.1.
Quicquid à Deo petit impetrat. gg.4.p.1.
Quidam ore & habitu Ruſticus denuntiat Bell. vt intra annum in cælo eſſet. kk.2.p.1.
Quinque actus ſpirituales Bellarmino familiares. L.2.p.1.
Quomodo Bell. agit Aulicum. AA.4.p.2.
Quorum operâ in ſcriptorum recognitione, & quâ demiſsione vſus. N.2.p.1.
Quotieſcunque pro ægroto celebrat, impetrat ipſi ſanitatem. Ibidem.

R.

Rapiuntur omnia morituri ad reliquias. oo.1.p.1.2.
Reconſecrat Sacellum ſancti Pauli. Ibidem.
Rector fit Collegij Romani. X.3.p.2.
Item Collegij Pænitentiarij auctoritate Pontificis. BB.2.p.2.
Recreatio ægreſcentis Bellarmini rerum ſuarum abdicatio. K.1.p.1.
Recreatio Bell. Rectoris. T.1.p.1.
Redditus ſuos augeri à Pontifice non permittit. ee.2.p.1.
Reddituum tertiam partem erogat in pauperes f.2.p.2.
Reformandi Religioſi. Ibidem.
Regentis Martis dictum de æquitate belli. i.3.p.2.
Regione in Subalpina annuos octoginta aureos erogat in pauperes. f.3.p.1.
Reginaldi Poli de eodem elogium eximium. Ibidem.
Regi Angliæ obijcienti Bellarmino humilitatem Natalium Bell. modeſtè reſpondet. B.4.p.1.
Rhedarius Belga Bellarmino iacenti in via viribus defecto mortem eripit. M.4.p.1.
Religioſi in Eccleſia iuriſdictione non ſubijciendi laicis. l.4.p.2.
Reliquias piè colit. bb.1.p.1.2.
Reliquias ex veſte Boromæi ſuis diuidit. bb.1.p.2.
Reliquias ex veſte Bernardini Realini piè veneratur, & apud ſe retinet. bb.2.p.1.
Rem veſtiariam ſacram Eccleſiæ valdè

dè auget. Ibidem. cum illuſtri odeo. Ibidem.

Renunciat Archiepiſcopatui, & amplis redditibus Capuanis n.4.p.2.

Rependit diſtributiones Canonicas ex conſcientiâ, quod non integrè omnes ſuos verſus pronuntiaſſet. b.4.p.2.

Reprehendit quendã ex aulicis quod percuſſerit pauperem. f.2.p.1.

Repurgat Biblia Xyſti V. cum Card. Columnâ; Alano, & Magiſtro ſacri Palatij. X.2.p.2.

Reſidentia Epiſcoporum curanda. HH.4.p.2.

Reſtaurat Capuæ Epiſcopale Palatium. d.3.p.2.

Reſtaurat Romanam Bibliothecam Bell. Rector. T.3.p.2.

Rex Hiſpaniarum & Margarita Regina commendant pro Rege Neapolitano Bell. I.2.p.1.

Rigor paupertatis. T.2.p.2.

Robertus de Nobilibus anno 13. ætatis creatur Cardinalis. B.3.p.1.

Robertus de Nobilibus cupit ſe abdicare Purpurâ, & Societatem Ieſu petere. B.3.p.2.

Romæ varia Seminaria iuuentutis ſacra à Gregorio XIII. eriguntur. M.4.p.1.

Roma eligitur ad explicandas fidei controuerſias. M.4.p.2.

Romam proficiſcitur ex Belgio. M.3.p.2.

Ruſſeti multum patitur. Z.3.p.1.

S.

Salmeronis opera omnia accuratè æſtimat. N.4.p.2.

Sanat ſigno Crucis febrientem Ludouicum Aragatium. gg.2.p.2.

Sanat ſigno Crucis P. Stephanum à Bubalis. gg.3.p.1.

Sanat ſigno Crucis Mariam Argentiam nobiliſſimam fœminam. gg.3.p.1.

Sanat vnum è Societate mirabiliter Louanij. L.3.p.1.

Sanctimoniales ad S. Ioannis Capuæ reſtaurat. d.4.p.2.

Sanctorum Præſulum vitas moribus refert. e.4.p.1.

Scriptorum Eccleſiaſticorum catalogum Louanij fecit. K.4.p.2.

Securitas ſtatus Religioſi. a.4.p.1.

Semi-miracula Bell. vti ipſe facetè dicere ſolebat, quæ? Y.3.p.1.

Sermo Bell. ſpeculum animæ innocentis. t.3.p.1.

Sermo eius omnis cum Deo terminatur. Ibidem.

Suſpiria eius ad vitam beatam. Ibid.

Sermo illi mirificè ſuauis de rebus diuinis cum ægrotis. S.4.p.2.

Senſum prauæ voluptatis in carne tota vita nunquam habuit. x.1.p.1.

Seuerum ſe ſimulat, vt Pontificatum à ſe auertat. m.3.p.1.

Seuerus Rector in exigendis penſis ſtudiorum. V.4.p.2.

Singularitatis hoſtis. T.2.p.1.

Socius dicitur Prouincialis in Romanis Societatis Comitiis. Z.1.p.2.

Societatis Sacerdotes duos præmittit ſemper quando prouinciam viſitat & alios in Vrbe pro ſe relinquit dum viſitat. c.4.p.1.

Specta-

Spectaculum inſigne amoris ouium erga Paſtorem. K.3.p.2.
Sanguis Bell. ad balſamum ſecti omnis ad guttulam pro reliquijs linteis adſtantium exceptus. pp.2.p.1.
Sodales Virginis Aſſumptæ comportant corpus Bell. mortui in ipſorum aulam.
Suauitas ſumma in ſermone Bellarmini. T.1.p.2.
Suauis modus Bell. agendi cum ſubditis deſcribitur. T.1.p.1.
Syngrapha ſua puellam à Dæmone liberat Bell. g.2.p.2.
Syngrapham fidei dat moriens Eudæmon-Ioanni. nn.4.p.2.
Synodum Diocæſanam ſingulis annis celebrat.
Sodalis Virginis Aſſumptæ Bellarm. t.3.p.2.

T.

TAberna excipitur honorificè. Z.3.p.1.
Tempus ei res ſummi pretij. a.1.p.2.
Tertium in triennio diœceſim luſtrat. c.3.p.2.
Teſtem aliquem adeſſe voluit quoties cum fæmina loquitur. x.3.p.2.
Teſtandi gratiam ad pios vſus à Clemente VIII. petit & quarè. kk.2.p.1.
Teſtimonium Cardinalis Creſcentij de circumſpectione verborum Bell. circà alios.
Teſtimonium Comitis Camilli de ignitâ locutione Bell. t.2.p.2.
Teſtimonium Raphaelis Epiſcopi Zacchi de humilitate Bellarmini. cc.1.p.2.
Teſtimonium Mutij Vitelleſci de Bell. gg.2.p.2.
Teſtimonium Cardinalis Creſcentij de ſeueritate Bellarmini in ſe. FF.1.p.1.
Teſtimonium OdoardiCard. Farneſii de ſanctitate Bell. oo.1.p.2.
Teſtimonium Baronij de Bellarmino. a.3.p.1.
Teſtimonium Card. Eſtenſis de Bell. gg.2.p.1.
Teſtimonium Card. Vrſini de humilitate Bell. Pontificatum refugientis. m.2.p.1.
Teſtimonia Card. à Monte. Card. Bādini. Card. Rocheſacaut. Card. Veralli. Card. S. Suſannæ. Card. Creſcentij. Card. Cremonenſis. Card. Alexandri Vrſini. Card. à Sabaudiâ de ſanctitate Bell. qui eum cum magnis Eccleſiæ ſanctis comparant. ff.4.p.1.
Teſtimonia clarorum Virorum de ipſius Controuerſiis. O.4.p.2.
Teſtimonia Hæreticorum de iiſdem. P.1.p.1.
Teſtimoniū Maphphæi Barberini nunc Pontificis de ſanctitate Bellarmini. ff.3.p.1.
Theologus Pontificis creatur loco Toleti defuncti. AA.1.p.2.
Theologos deſiderat in Purpurâ. r.4.p.1.
Timor Dei præſentiaq́; eius, & minimorum cura ſemper in Bellarmino. S.1.p.2.
Timor Iudicij apud Bell. kk.2.p.1.
Tinea ſapientiæ opinio ſui. L.2.p.1.

Tranſla-

Tranſlatio Epiſcoporum ab vnâ Sede in aliam non debet facilè fieri. ii.1.p.2.
Tribus in Comitiis Pontificalibus excellit omnes numero ſuffragiorum Bell. m.3.p.1.
Tituli Bell. dati in Commentario publico Cardinalium Romæ. pp.1.p.1.
Teſtamentum Bell. qq.4.p.1.2.

V.

Vacatio Eccleſiarum reformanda. HH.3.p.2.
Vaſquez admiratur Bellarminum diſputantem. N.1.p.2.
Vectigalia Pontificibus minuenda optat Bell. l.4.p.1.
Venetam Vrbem inuiſit cum tribus Cardinalibus.
Veſte pellibus, aut villis manicâ fultâ nunquam in hyeme vtitur. b.4.p.2.
Virginitatem ad Deum refert eo flore, eoq; odore, quem cum anima pariter & luce ſuſcepit. x.1.p.1.
Virginitatis ſuæ teſtimonium vultus inſtar Solis fulgoribus radiat. x.2.p.1.
Vix inuenit quod confiteatur poſt ſeueram diſcuſſionem ſui. x.1.p.2.
Veneratio corpori mortuo Bell. ab omnibus certatim ſumma religione habita. pp.1.p.2.
Vita communis ſpiritualis modus. l.2.p.2.
Voces æque ac res ſexti præcepti, & matrimonii ignorabat. v.4.p.1.
Veracitas ſumma Bell. etiam in ipſa pueritia. D.1.p.2.
Virgilium integras noctes legit. D.4.p.1.
Vitas Sanctorum optimè callet. b.3.p.2.
Verba Bell. mirabilem vim habent operandi in animis. t.3.p.2.
Vrbanus VIII. ode pulcherrima Bellarminum ornat. bb.3.p.2.
Victus Bell. præparcus. FF.1.p.2.
Virtutes, & conſuetudo familiaris Bellarmini. S.1.p.1.

APPRO-

APPROBATIO.

FAcultatem excudendi Vitam Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Cardinalis BELLARMINI, viri in memoriâ noſtrâ cum doctiſſimi, tum morum ſanctimoniâ cum quouis inculpatiſſimæ vitæ conferendi, (cuius etiam inter minimos in pleriſque teſtes oculati ſumus) Latino idiomate redditam, neque non auctam à P. SILVESTRO PETRA SANCTA Societatis IESV Sacerdote, Ioanni Ouwerx, & Leonardo Streel, Typographis Leodienſibus eò lubentius concedimus, quò ad Virtutis imitationem illa, vel perfecto cuique in Chriſtianâ, ac etiam Regulari diſciplinâ, meritò proponi poſſit. Datum Leodij 26. Septembris 1626.

IOANNES A CHOKIER
Canonicus & Vicarius generalis Leod.

BIBLIO R... VITTORIO EMANUEL...

LICENTIA SVPERIORIS.

EGo infraſcriptus Societatis IESV in Gallo-belgica Prouincialis, iuxta Priuilegium à Sereniſsimo Principe eidem Societati conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque Superiorum permiſsione imprimant, facultatem do Ioanni Ouvverx, & Leonardo Streel Typographis Leodienſibus, vt *Vitam Roberti Cardinalis Bellarmini*, è Societate IESV, Italicè ſcriptam à *Iacobo Fuligatto*, Latinè redditam & auctam *à Siluestro Petra Sancta* Sacerdotibus eiuſdem Societatis, imprimere, & libere diſtrahere poſsint. In quorum fidem has manu propriâ ſubſcriptas, & Officij noſtri Sigillo munitas dedimus. Inſulis 27. Auguſti 1626.

IOANNES HERENNIVS.